# JOHANNIS JACOBI Ÿ RYSSEL, DE JURE NATURAE ET GENTIUM LIBRI...

Johann Jacob : von Ryssel

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 A
10

Digitized by Google

# JOHANNIS JACOBI A' RYSSEL, *DE* JURE NATURÆ *ET* GENTIUM *LIBRI DUO.*

*LIPSIÆ*

Apud REINHARD WÆCHTLER.

Typis CHRISTOPH. BALTHAS. LAMPII

*Anno M. DC. XXCIX.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

gle

VIRO
*ILLUSTRISSIMO*
ET
*EXCELLENTISSIMO*
DOMINO
FRANCISCO
*A*
MEINDERS.
*Sereniſſimi & Potentiſſimi*
ELECTORIS
Brandenburgici
Primo Status Miniſtro
*Ut &*
Conſiliario à rebus bellicis
Intimo
*MOECENATI SUŌ*
*MAXIMO.*

Google

# ILLUSTRISSIME
# ET
# EXCELLENTISSIME
# DOMINE,
## *MOECENAS MAXIME.*

*AUdaciam ſane præbet liber, qui ſub nomine meo* TE, VIR ILLUSTRISSIME, *aggreditur, à nulla quippe ductus firma ratione, quæ ad factum iſtud excuſandum arceſſenda ſit. Reſpexi tamen*

*men ad morem hominum ex antiquo quodam populo, quorum juventus, poſtquam certum annum attigiſſet, in publicum prodibat, ut ibidem ſolenniter primitias, quas fabricari debebat antea, cuidam Mæcenati conſecraret, qui, addito ſuo de opere judicio, juvenem vel dignum vel indignum Civitate declararet. Hic mos, ut videtur, propterea introductus erat, ut ſibi proſpiceret Civitas de Civibus, quorum æqve Diligentia æqꝫ Prudentia reddita eſ-*

 *ſet*

*ſet conſpicua. Ego,* VIR EXCELLENTISSIME, *ad* TE *cum levi ſpecimine accedo, non ut de eo petam ſententiam, hoc enim ſplendor tum* TUI NOMINIS, *tum* FUNCTIONIS TUÆ *mihi non permittit, ſed ut per illud tanquam primitias meas me Tibi conſecrem. Expectavi jam dudum occaſionem, quâ viâ in* PROTECTIONEM TUAM, *me committere poſſem, verum defuït ea id conſequendi, de quo ita anxiè fui ſolicitus. Jam mihi*

*per*

per leve medium ad TE patet acceſſio, non ut abs TE arbitrium meæ legitimationis publicè petam, nam ego ipſe & imbecillitatem, cujus plenus ſum, libenter profiteor, & illud apud me, quo TUO PATROCINIO prorſus indignus ſum, reperio, ſed ut inveniam duntaxat Aſylum, ad quod mihi ſecurus ſit acceſſus. Accipe itaq;, VIR EXCELLENTISSIME, hoc leve opuſculum, quod TIBI offero, & cum eo me obſcurum in TUTELAM TUAM: certè de



Digitized by Google

*novò quaſi animus efflore-
ſcet, ſi intellexero, hoc ar-
rogans factum à* TE *be-
nigne fuiſſe admiſſum.*
*Ita* DEUS O. M. TE *per
multos adhuc annos flo-
rentem atque vigentem
ſervet! Quod conſtanter
exoptat*

TUÆ EXCELLENTIÆ

Dabam Lipſiæ Sept. Calend.
Decembr. 1688.

*devotiſſimus*

Johann. Jacob. von Ryſſel.

## *LECTORI BENEVOLO*

## *Salutem.*

MUltæ ſunt rationes, cur Autores circa initium librorum ſuorum aliquid præfari ſoleant, quas nos non quidem tibi recenſebimus, quia hoc extra noſtrum inſtitutum eſſet, ſed ſufficiat, ſi harum duas duntaxat, quæ ad diſcurſum aliquem procemialem nos moverunt, hîc adponamus, quarum prima eſt, ut intentio noſtra circa hunc librum tibi declaretur, altera verò, ut moneamus nonnulla circa librum ipſum.

Anni ſunt præterlapſi circiter decem, cum ego à meis, relictis ſtudiis, quibus tum me delectavi, ad Matheſin & præcipue Geometriam, atqve Architecturam Militarem ductus ſum, quia voluerunt, ut ſuo tempore per iſtæc ſtudia patriæ ſervirem. Hæc occupatio, quia per aliquod conſpicuum tempus eidem inhæſi, mihi non permiſit, ut ea, quibus antea me mancipaveram, ſimul continuare potuiſſem.

Poſtquam verò fata omnia aliter diſpoſuerunt, mutavi iterum ante quinqve vel ſex annos meam profeſſionem, & de novo quaſi applicavi animum ad ea ſtudia, quæ decent hominem in vitâ civili degentem. Ita coactus fui, ut quaſi de novo inciperem literas, quibus, tanquam mediis ad capeſſenda ſtudia altiora, ſuo modo abſolutis, quaſi per Scalas adſcendi ad veſtibulum legitimæ ſcientiæ, Jurisprudentiæ enim ſtudium mihi placebat præ reliquis. Percepi verò à multis, quanta circa iſtoc ſtudium ſit difficultas quantusque labor: Inde ſecutus ſum monitum aliorum, qui conſulebant, ut optimos Doctores Jurisprudentiæ, eosque paucos vel ſaltem unum audirem, qui me docendo præiret. Nunquam tamen ita felix fui, ut mihi contigiſſet iſtud, quod ex animo optavi. Inde tantum contentus eſſe debui illis diſcurſibus, quibus ineſſe mihi licebat. Adfuit tamen medium, quo ducebar, ad metam mihi propoſitam ſuo tempore obtinendam. Scilicet egi & tum docentem inter medias auſcultationes, cum finitis

lectio-

lectionibus ad me conveniſſent aliqui, quibus quaſi ex me ipſo propoſui id, quo ante unam horam inſtruebar. Poſtquam autem circiter ante Annum Doctoribus valedixerim, & ſtudia mea ipſe direxerim, ſepoſui omnem in ſententiis autoritatem, reſervata tamen debita reverentia, & proprio marte, methodo, ut dicunt, polemica de novo cum aliis incepi ſtudium, ſic ſeorſim cum nonnullis per tempus hyemale præterlapſum percurri librum Viri alicujus Eruditi, in quo fundamenta Jurisprudentiæ tam Naturalis quam Divinæ poſitivæ optime explicuit. Eo abſoluto, cum aliis Dominis progreſſus ſum ad Jurisprudentiam humanam, quam prout in Germaniâ noſtrâ recepta eſt, adhuc percurrimus. Verum medio hoc tempore expertus ſum multa, quæ me ad unam vel alteram opinionem ducebant, imò expertus ſum, quod opiniones illæ, quæquæ erant in formandis concluſionibus & caſibus, omnia non tantum facillima, ſed & quandoque firma redderent. Inde ductus fui ad laborem aliquem, cujus initium jam tibi exhibeo.

Scili-

Digitized by Google

Scilicet conſtitui ego, ad confe-
rendas meas ſententias cum aliis cor-
datis, aliquid in chartam conjicere, ubi me deterrebat quidem antea ſcribendi moleſtia, ita ut duntaxat conſtituerem, per theſes nonnullas ex univerſo Jure deſumtas aliquid componere, verum aderat iterum ſcrupulus: nam ſic intentio mea haut perfectè aliis fuiſſet cognita, quo pacto totam Jurisprudentiam de novo etiam ſcribendo concluſi percurrere. Accedebant enim præter rationem jam dictam adhuc duæ, una, quia adhuc apud me reſidet, propter amplitudinem hujus univerſæ diſciplinæ, informe chaos, quod ſic in juſtum ordinem redigere volo, altera, ut & ab illis, quorum converſatione adhuc non fruor, amicam expectare poſſim informationem.

Itaqve conſtitui ego totius legitimæ ſcientiæ fundamenta ex genuinis & domeſticis ſuis principiis repetere, ut omnem operam complecterer quatuor partibus: quarum, prout jam vides, Prima eſt, quæ in ſe comprehendit Jus Naturæ & Gentium. Secunda tra-

ctabit

ctabit Jus Divinum Poſitivum, quod tibi jam promiſi in Diſquiſitione de Habitudine Jure Conſulti Chriſtiani ad legem naturalem. Tertiam faciet Jus Publicum noſtræ Germaniæ. Quartam vero Jus Privatum, quod apud nos introductum eſt.

Hæc de Intentione mea ſufficiant, nolo enim, ut perſvadeas tibi, quaſi ex invocato contradicendi ſtudio nova nonnulla moliri, vel viris eruditis, qui certè ſibi ipſis ſufficiunt, aliquid præſcribere velim, hæc enim ſi prætenderem, neſcio quid mihi ab illis ciere poſſem.

Sic accedo ad Jus Naturæ præſens, de quo antea nonnulla prolixè prænotanda eſſent, vel, quomodo aliquis ad notitiam hujus diſciplinæ feliciter pervenire poſſit, vel, quomodo res inchoanda, ſi hiſtoria variæ fortunæ, quam diſciplina juris Naturæ usqve ad hunc diem experta eſt, tradenda ſit, vel, quomodo Notitia Autorũ in iſto ſtudio comparanda ſit, & quæ ſunt alia, quæ verò ſuo tempore, ſi occaſio forte poſtulabit, non præteribo. Hîc duntaxat in con-

tentis

tentis ipſius libri ſubſiſto, & primò quidem, quod methodum concernit, vides tu ipſe, quod jus hoc diviſerim in libros duos. In libro primo egi partim brevisſimis verbis de Hypotheſibus, partim de officiis hominum, quatenus abſtrahendo tam à jure divino, quam humano, illi obligantur, tam in Societate quâcunqve, quam in tribus Societatibus naturalibus. In libro verò ſecundo de Republicâ & Societate Gentium prolixe fui ſolicitus, ibiqve tales propoſui quæſtiones, quæ omnem deciſionem recipiunt ex legibus in libro primo inculcatis: atqve ſic eas quæſtiones ſimul juris naturalis eſſe arbitror. Huic ſecundo libro adjunxi corollarii quaſi loco duo capita unum de officio erga mortuos, alterum de applicatione legum naturalium. Prioris connexio petenda eſt ex generali officio, quod debemus ſocio noſtro, quia, ut iſtud caput docet, obligatio ea ad mortuos ipſos non reſpicit. Poſterioris connexionem tu ipſe colliges ex illis, quæ de demonſtratione & Applicatione legum naturalium diſſerimus.

Deindè

Deinde, quod ipſas meas opiniones, quas fovi, concernit, nequeo eas vendere, tanquam res ab omni macula liberas, quis enim fuit unquam inter homines, qui omni errore ſe exemtum eſſe prætendere posſit: ita & me lubentiſſimè huic ordini adnumero, præcipuè quod ſciam, duo reſtare, quæ mihi ſubvenire posſint, partim defectus annorum, qui adhuc non permittit, ut eo judicio, prout hominem profectioris ætatis decet, utar, partim brevitas temporis, per quod diſciplinæ Juris Naturæ incubui, vix enim triennium pro me allegabo. Non tamen percipio, cur unus vel alter non tantum de Scripto meo, ſed etiam de me ipſo male ſuſurraverit, cum tamen ego illum nunquam læſerim, cui modeſtis ſaltem verbis, nolo enim ex Prudentiâ calumniandi, quam & ruſticus callet, argumenta depromere, dicta reponam. Si enim vicenarius in Jure Naturæ eſſem, neqve meliora divulgarem, indignum me ipſum eodem ſtudio elegantiſſimo haberem; Imo cur non pro me repetam dictum

Si

Si deſint vires; tamen eſt laudanda voluntas.

Hoc quidem non promittere poſſum, quaſi non aliquoties à ſententiis Virorum Summorum receſſerim, cogitavi enim, mihi currenti in via veritatis inveniendæ dubia illa remittenda eſſe, quos ego nunc pro ductoribus meis ſumma cum devotione agnoſcere volo, ut me, ſi erraverim, in rectam viam ducere poſſint. Neque credo, fore unum ex illis, qui propterea mihi iraſcetur, quia aliquoties expertus ſum, quod & in diſputationibus, ubi par ratio ſubeſt, multi ſuos diſſentientes benignè admiſerint. Ita & ego omnem mihi favorem à viris eruditis quibuscunqve, quos ſummâ cum reverentiâ proſequor, promitto: quosqve omnes, ſi meliora ſuggerent, libenter audiam & ſecundum quorum informationem omnia emendare ſum paratus.

Interim, hoc ut moneam, non debeo præterire, quod Jus meum Naturæ non ex proprio meo cerebro ſurrexerit, ſed quod in elaboratione unum vel alterum juris hujus Doctorem adjunxe-

junxerim; Nolui tamen ſingulis locis nomina eorum adponere, ſed ſubſtiti ſaltem in talibus loquendi formulis, ex qvibus facile percipiendum erit, quod vel cum aliquo locutus fuerim, vel à nonnullo diſſenſerim, vel cum aliquo in decidendo convenerim. Et ſi tu in jure naturæ non peregrinus es, ſine magno labore per diligentem collationem non duntaxat Autores, ſed & loca ipſa invenire poteris. Hæc itaque ad me purgandum de plagio aliquo dicta ſufficiant. Quod ſi verò illos, qui mei manuductores fuerunt, adjicere licebit, ex omnibus præter GROTIUM & HOBBESIUM, quos certis de rationibus aliquoties produxi, *Viri Per-Illuſtris*, Domini à PUFENDORF libros de Jure Naturæ & Gentium, *Magni* ZIEGLERI animadverſiones in Grotium, *Excellentiſſimi* KULPISII Collegium Grotianum, & *Conſultiſſimi* THOMASII Inſtitutionem Jurisprudentiæ Divinæ jam allegabo, non ut reliquorum laudibus, quos taceo, aliquid detrahere vellem, ſed quia illi ab ipſis viris ſummè honorandis in medium fuerunt producti. Neque etiam præterire debeo

)o( )o( ii-

Digitized by Google

librum gallici idiomatis, quem in capite de jure gentium circa legatos præ oculis habui, de Ambaſſadoribus eorumque officiis, ſcilicet: Les Memoires de Monſieur Vicquefort, touchans les Ambaſſadeurs & les fonctions. Ita verò in eodem capite progreſſus ſum, ut fermè de omnibus eis, quæ Dominus Wicquefortius in dicto libro latius propoſuit, judicare poſſis.

Quod verò ſtyli brevitatem, qua uſus fui, attinet, tu ipſe me excuſabis, quod eam uſurpaverim, nam modus ſcribendi per poſitiones prolixum ſermonem plane reſpuit; nam alias hoc Compendium Juris naturæ creviſſet in immenſum ferme opus. Verum quod capita priora, quibus Hypotheſes incluſi, concernit, perbrevis fui, ita ut unus vel alter locus latius exponi potuiſſet: credo tamen, attentum lectorem & breviſſimorum verborum ſenſum ampliſſimum percipere poſſe. Hîc duntaxat unum vel alterum locum ex primo capite, qui hæc ſcribendo in oculos incidebat, illuſtrabimus. Sic ſtatim in primis verbis poſui quæſtionem: An

ad

ad Jurisprudentiam ſpectet jus Naturæ? ad eam verò reſpondi per genuinam Jurisprudentiæ definitionem & diviſionem, ſic enim deduxi, quod Diſciplina Juris Naturæ pars ſit Jurisprudentiæ latè ſic dictæ, quo pacto ea nihil commune habet cum Philoſophia Practica, ſed quæ fermè in totum cum jure Naturæ eſt unita, imò quæ in noſtra Diſciplina paulo evidentius & ad vitam Civilem rite inſtituendam commodius inculcari poterit. His poſitis, progreſſus ſum ad materiam *Actionum moraliũ*, quibus in genere per regulam §. 10. poſitam, attribui prædicatum, quod omnis debeat eſſe *juſta*, huic adjunxi actionem *honeſtam*, & deinde in Cap. 3. actionem juſtam iterum diſtinxi in actionem *neceſſariam* & *licitam*. Quando verò fundamentum differentiæ actionis juſtæ & honeſtæ repetere volumus, tunc certè unicum hoc ſufficiat, quod jus Naturæ congruere debeat cum toto ſuo, Jurisprudentiæ enim latè dictæ objectum eſt actio juſta. Deinde actio honeſta relinquitur Ethicæ, quoniam ea, poſtquam antea ex hac ſibi vindicavit Jus Naturæ actiones ſuas juſtas, pro objecto re-

tinet ſolas actiones cum bonis moribus & Civilitate Gentium congruentes, quæ certè honeſtæ dicuntur, qua in re elegans eſt locus Æmilii Probi, qui ſtatim ſub initium de vitis excellentium Imperatorum eleganter nonnulla hanc in rem facientia loquitur. Ablegabo etiam eum, qui forte circa dictaControverſiam movere vult, ad B. Scherzerum, qui in Nucleo Philoſophiæ Ethicam aliter appellare nequit quam Ethicam. Illud autem vocabulum omnes Lexicographi interpretantur die Sitten-Lehre. Quod ſi verò plura adhuc addere licebit, exiſtimo inſuper, quod Domini Ethici ad demonſtrandas ſuas Concluſiones fundamentum petere debeant ex jure Naturæ & ita abs JCtis, quod ſatis luculenter probavi in Regula: *Omnis actio honeſta debet eſſe juſta, ſeu non pugnare cum lege*, quam regulam, prout arbitror, Ethicæ ſuperſtruere debent.

Examinavi etiam locum Grotii ubivis obvium, qui Jus diſtinxit in jus pro lege vel pro attributo perſonæ,

quod

quod jus pro attributo perſonæ ipſi non quidem negavi, dixi, tamen, quod ille & alii hoc in rectum locum non poſuerint. Ubi enim de Jurisprudentia in genere loquimur, ſupponenda antea eſt lex, quo pacto & ego legem & jus accepi tanquam Synonyma: legem itaque conſtitutam ſequitur jus perfectum & imperfectum, vel ſi eleganter loqui mavis, obligatio perfecta & imperfecta.

Deindè & paulo aliter definivi legem, quam communis fert ejus expoſitio, quia eidem adjunxi adhuc pœnam quamque acceptionem tu mihi quoad leges humanas non negabis, negabis tamen, quod leges naturales pœnam aliquam dictitent. Sed de qua objectione cogitavi etiam in Cap. 3. §. 24. ubi breviſſimis verbis poſui, qualem pœnam leges illæ homini relinquant, quæ certè mala Conſcientia eſt, nam alias pœnarum determinatio expreſſa in jure Naturæ non oſtenditur.

Poſtea & obſcuram prædicavi doctrinam Peripateticorum de Juſtitia,

eamque per aliam juſtitiæ expoſitionem paulo evidentiorem rejeci. Præſuppoſita enim jam lege dico, quod juſtitia, ſit implementum ejus, ita quidem, ut lex impleatur partim à Legislatore, partim verò à ſubjecto legis. Et de ſubjecto quidem nulla reſtat controverſia, remanet tamen ſcrupulus aliquis intuitu legislatoris, qui, ſi homo eſt, tunc iterum res ſalva manet, quando verò DEum, tanquam legum divinarum auctorem producimus, tunc certè de juſtitia DEI nihil aliud poſſumus dicere, quam quod poſuimus in Cap. 8. §. 7.

In Capite ſexto egi de Societate & ejus effectu, ubi quidem pauca verba vides, ſed quorum tamen ſenſus erit ampliſſimus, neque jam mecum convenio, quod ita brevitati ſtuduerim. Ut verò intentionem meam circa iſtud percipias, hoc ſaltem moneo, quod illa capita, in quibus de Socieratibus iſtis in ſpecie agitur, evolvenda ſint, ibi enim non duntaxat de cujuslibet fine, ſed & de earum differentia plura reperies. Interim venire poterit, ut certo tempore meam

cir-

circa iſtud caput opinionem paulo latius in peculiari Diſſertatione videre poſſis.

Tandem & hoc non omittere debeo, quod mihi in elaboratione aliquid contigerit, quod in partibus tribus reliquis me ad tutiorem viam obligabit, imò quod me obligabit, ut in impreſſione altera hujus libri omnia debito modo diſponam. Scilicet, dum conſcripſi librum, initium in Typographia imprimendo factum fuit, ita, ut Typographus, qui brevi me ferme ſuperabat, ad opus abſolvendum cöegerit, quô ſecutum eſt, ut nonnulla, quæ adhuc monere vellem, plane omittenda ſint, præcipue verò in relegendo expertus ſum, quod aliquoties præter intentionem meam aliquid, neſcio quomodo, irruperit, quod parum cum mente mea conveniebat: Quo pacto coactus fui, ut unum vel alterum locum de novo imprimi curarem, ex quibus & ille reſtat ex Cap. XVI. §. 17. ubi dixi, quod pacta illa, quæ oretenus panguntur, intuitu Interpretationis ſubſiſterent in Interpretatione ſermonis, quod tamen vix procedere poterit,

terit, quia Interpretatio nullam conſtituit differentiam inter pacta ſcripta & ore prolata, qua ratione mallem, ut plane hîc differentiam iſtam tolleres. Eodem modo feſtinans in corrigendo peccatum commiſi, multa enim errata non duntaxat circa verba, ſed & circa ſigna diſtinctionum librum meum intrarunt, ex quibus quoad verba indicem extantiorum tibi poſt finem exhibebo, reliqua cum ſignis tuæ dexteritati emendanda committens.

Bene Vale.

LIBRI

# LIBRI PRIMI
## DE
# JURE NATURÆ
## ET
# GENTIUM.

## CAP. I.

## *De Jurisprudentia in Genere.*

I.

AD *Jurisprudentiam ſpectat diſciplina juris naturæ.* Hoc ut debitô modô oſtendamus, res ex principiis ipſis repetenda eſt.

2. Non verò pugnabimus multis, quid de verâ habituum diviſione ſtatuendum ſit, quia alii litem hanc ſibi ſumſerunt. Sufficiat, quod nobis omnes concedant: *Prudentiam*, excellenter ſic dictam, *eſſe habitum practicum, qui pro objecto habet actiones hominum morales.*

3. *Quid actio moralis ſit?* deducitur ex differentiâ hominis cum beſtiis. Nam ex communi doctorum opinione actio moralis competit homini, quatenus à brutis animantibus diſtingvitur.

4. *Homo* vulgariter definitur, quod ſit *animal rationale*, ubi & nos ſubſiſtimus. Indè in voce *rationale* hæc differentia latet, certè latere debet.

5. *Quid ſit ratio iſta?* demonſtrare nequeo, ſed à poſteriori erit incipiendum. Ratiocinari non



Digitized by Google

poſſumus niſi cogitando; ergo, *ratiocinatio eſt cogitatio.*

6. Ejus *duas potentias* recenſeo, *Intellectum* nimirum & *Voluntatem*: prior conſiſtit in *contemplatione rei*, vel *ſimplici* vel *compoſitâ*, quod eſt affirmare vel negare, poſterior verò in *appetendo* vel *averſando* occupatur.

7. Atque ſic non opus eſt, ut cum aliis de tribus aut quatuor mentis operationibus diſputemus, quia dicta controverſiam facilè tollere poterunt.

8. Sic Actio hominum *Moralis* in genere eſt, quæ provenit ex Intellectu & Voluntate, quam diſtingvo in *juſtam vel injuſtum* & *honeſtam vel inhoneſtam.*

9. Actio *juſta* eſt, quæ convenit cum lege, *injuſta* quæ fit contra legem. Actio *honeſta* eſt, quæ convenit cum bonis moribus vel Civilitate gentium, *inhoneſta*, ubi contra hos peccatur.

10. Ex his ſequentem formo regulam: *Omnis actio juſta eſt honeſta, & omnis actio honeſta debet eſſe juſta* ſeu non pugnare cum lege.

11. Vocabulum *Juris* variè accipitur, præcipuè verò à Grotio ſumitur vel pro *lege* vel pro *attributo perſonæ. Jus pro attributo perſonæ* appellat qualitatem moralem, perſonæ competentem ad aliquid juſtè habendum vel agendum, idque diſtingvit in *perfectum* & *imperfectum*, prius vocat Facultatem, quâ poſſum exigere id, quod mihi debetur, poſterius verò Aptitudinem, ſi non poſſum aliquid perfectè poſtulare, dignus tamen invenior, cui id conferatur, quorſum referunt Doctores jus exigendi Eleemoſynas.

12. Sed

12. Sed ſi verum dicere licet, exiguum hæc Grotii meditatio jam, ubi generalia tractamus, habet uſum, *quia legibus jus perfectum ineſt*, & exinde aliis conceditur, *imperfectum* verò infra, & præcipuè in promiſcuis officiis humanitatis inculcabitur. Ergo legem jam conſtitutam iſta Grotii diviſio demum ſequitur.

13. Reſtat ultimus ſignificatus tanquam proprius. *Juris enim Synonymum eſt Lex.*

14. Jurisprudentia itaque in latiſſimo ſignificatu eſt *Prudentia legum*, & quotuplices, intuitu *cauſæ efficientis*, ſunt leges, totuplex eſt Jurisprudentia.

15. *Lex eſt voluntas imperantis, obligans ſubjectos, ut ſecundum iſtam voluntatem actiones ſuas inſtituant, & ſi quid contra faciunt, pœnas luant.*

16. Malo uti *voluntate* quàm *juſſu*, quia juſſus præſupponit verba, lex autem poteſt etiam ex nullis verbis conſtare, ut omnes Leges Juris Naturæ.

17. *Pœna* à plerisque in definitione legis omittitur, cui tamen eſt neceſſaria per infra dicenda Cap. 25. §. 24. Monendum eſt tamen, nos pœnam ſumere tam latè, ut ſecundum varia objecta legis variè etiam conſideretur, præcipuè verò vel pro *Reparatione* vel pro *aſſecuratione*, vel pro *malo paſſionis, quod infligitur ob malum actionis.* Sicut Grotius dixit.

18. Pœna autem eſt vel *expreſſa*, quæ legi ipſi eſt inſerta, vel *arbitraria*, quam legislator ſibi reſervavit.

19. Deinde *obligatio* eſt *vinculum ab Imperante ſubjecto per legem injunctum, ad dandum aliquid vel faciendum*, & illa obligatio, quæ deducitur ex Jure pro attributo perſonæ, oritur ex hâc erga legis-



Digitized by Google

latorem, utpote qui, virtute ejus, nos ad hanc obligare voluit.

20. *Indè nullum pactum obligat per ſe, ſed mediante lege*, item: *Obligatio eſſe nequit, ſi nullus eſt Imperans.*

21. *Dare* eſt alicujus rei Dominium transferre, *facere* verò reliqua facienda vel omittenda complectitur.

22. Ipſum verò *vinculum*, quod fundamentum eſt obligationis, nititur illô præſuppoſitô ſeu primô principiô Jurisprudentiæ. *Imperanti eſt parendum.* Quodque fluit ex infrà dicendis Cap. 26.

23. Legi ſubjectus ſolus eſt *Homo*, cujus libertatem in actionibus ſuis lex reſtringit, propterea dicitur etiam *norma Actionum humanarum.*

24. Per actionem hîc intelligitur moralis *juſta*, quia Actiones *honeſtæ* ſunt alterius diſciplinæ.

25. Atque ſic *beſtias* ab omni lege excludimus, quia carent Intellectu & Voluntate, ut fontibus Actionum moralium.

26. Actio verò hominis legi attemperata, unâ voce dicitur *Officium*.

27. Ex lege oritur *Juſtitia*, quæ à Peripateticis usque adhuc non exculta, ſed magis obfuſcata eſt. Initio eam diſtingvunt in Univerſalem, tanquam obſervantiam omnium Virtutum erga alios, & Particularem, quæ mediocritatem ſervet in bonorum externorum diſtributione aut commutatione, indè ſit Juſtitia Commutativa, quæ arithmeticè, & diſtributiva, quæ geometricè progrediatur.

28. Mihi

Digitized by Google

28. Mihi vero ita videtur: *Juſtitia eſt implementum legis.* Lex autem impletur partim *à Legislatore*, partim verò à *ſubjecto*, ſeu cui data eſt.

29. Ex parte *Legislatoris*, quando legem judicando & exequendo exequitur. Ex parte *ſubjecti*, ſi ſecundum legem præſcriptam vivit, quorſum etiam ſpectat definitio juſtitiæ juri Romano inſerta.

30. Lex vim accipit ab ejus Auctore, qui vel DEus eſt, vel Homo, indè eſt Lex Divina & Humana, & conſequenter Jurisprudentia Divina & Humana.

## Cap. II.

# *De Jurisprudentia Divina.*

I.

*JUrisprudentia Divina eſt prudentia in Leges DEI, ſalutem hominum temporalem reſpicientes, inquirendi, easq; ad actiones hominum applicandi.*

2. Atque ſic non confunditur cum Theologiâ, utpote quæ etiam explicat leges DEI, ſed concernentes ſalutem hominum æternam.

3. Variè quandoque vox Theologiæ ſupponitur, nam dicitur & Theologia Moralis & Naturalis, de quibus prolixius alibi.

4. Jurisprudentia Divina dicitur aliàs *Univerſalis*, quia leges DEI obligant omnes homines in Univerſum, & ita contradiſtingvitur Particulari judiciariæ, de quâ ſuô locô.

5. Spectat huc principium Jurisprudentiæ hujus primum, quod eſt: *DEO pare.* Quodque ſuum fundamentum habet ex Religione naturali.



Digitized by Google

6. Leges Divinæ ſunt vel *Naturales* vel *Poſitivæ*, inde Jus Naturæ & Poſitivum.

7. Equidem aliàs diſtingvuntur in *Morales*, *Ceremoniales & Forenſes*, quæ diviſio tamen, pro ut ſuo tempore videbimus, jam aliis diſplicuit.

8. Quanquam enim duæ ultimæ ſint jus poſitivum, reſtat tamen obſcuritas circa legem moralem. Non enim ſic planum eſt, utrum lex Naturalis & Moralis ſint Synonyma.

## CAP. III.

# *De Jure Naturæ in genere.*

I.

*JUs Naturæ eſt certus ordo Legum, quæ à DEO rectæ omnium hominum rationi ſunt inſcriptæ, ut illos ex lege aliquâ fundamentali obligent ad eas actiones, quæ ipſorum naturæ rationali conveniunt juſtæ, faciendas, quæ injuſtæ, omittendas.*

2. Autor hujus Juris DEus eſt, qui eô ipsô, quô homini dedit rationem, per quam bonum à malô diſcernere ſatagit, ſimul voluit, ut horum recordatio tanquam lex illum obligaret.

3. Erravit ſic Grotius, qui poſuit, hoc jus etiam obligare, licet fingamus DEum non eſſe. Erravit & Hobbes, qui jus naturale ex pacto deduxit.

4. Sicuti enim priori objicimus, legem absque Auctore eſſe non poſſe, ita poſteriori opponimus ea, quæ diximus Cap. 1. §. 19. Hic vero Autor hominibus debet eſſe ſuperior. Quis autem ille, quàm DEus?

5. Leges naturales dicuntur aliàs 1. *Divinæ*, quia DEus autor eſt. 2. *Univerſales*, quia obligant omnes homi-

homines. 3. *Immutabiles*, quia à nullo principe citra injuſtitiam mutari poſſunt, adde tamen §. 21.

6. Quemadmodum verò omnes omninò homines, unâ eâdemque pollent ratione, ita univerſalitas harum legum ad ſingulos etiam, absque ullâ exceptione extenditur, quia aliô modô non eſſent univerſales.

7. Sed *bruta* excludimus, quia ratione deſtituuntur; quod ſi verò hâc parte diſpoſitionem juris Romani objicias, reſpondeo, verba illa non eſſe articulos fidei, ideoque tollenda, præcipuè, ſi adhibitâ culturâ judicii hoc veritas ſvadeat. Indè non opus habemus, ut ad ejus defenſionem ſudemus in vulgari expoſitione, ab aliis huic loco adjectâ.

8. Hoc notabile dictu eſt *hominem ſine jure hoc vivere non poſſe.* Sed dicis, ſic beſtiæ longè majori fruuntur libertate præ hominibus? Imò verò objicio: Libertatem minimè brutis eſſe tribuendam.

9 Eſt enim *libertas facultas intrinſeca agendi aut omittendi, quod quis ipſe judicaverit*, quæ ſupponit Voluntatem, Voluntas intellectum, quibus beſtiæ non gaudent.

10. Hanc homo libertatem, prout humana potentia permittit, pleniſſimè poſſidet, ita ut tam quæ bona, quàm quæ mala ſunt, in arbitriô habeat.

11. Cum verò Voluntas magis proclinet ad malum, convenit, ne interitus humani ſexus ſequeretur, ut normam habeat, ſecundum quam juſtitiam vel injuſtitiam actionum ſuarum metiri poſſit.

12. Poſſidet enim *Intellectum & Voluntatem*, quæ duæ animæ rationalis functiones planè ad hoc judicium ſunt ſufficientes.



Digitized by Google

13. Quod *Intellectum*, homini, *maturâ ætate* & ſanâ mente tantum eſt relictum, ut adhibitâ meditatione, de Actionibus ſuis per ſe ratiocinari, ſimulque, an juſtæ an injuſtæ prædicentur, judicare poſſit, quod judicium Intellectus unô verbô dicitur *Conſcientia*. Dixi *maturâ ætate*, ut excludamus *infantes*, qui in intellectus operationibus ſunt inexerciti, & extra judicium intellectus agunt, quandò aliquid boni & juri naturæ conveniens faciunt.

14. Ipſa tamen Conſcientia Actiones hominum vel *præcedit* vel *ſequitur*.

15. Si *præcedit*, aliquando eſt *perfectè certa*, cum dat judicii rationes ex certis fundamentis, aliquando *probabiliter certa*, ſi ex fundamentis probabilibus futura meditatur, aliquando *dubia*, cum hæret anceps, & ad certum quid concludendum eſt incapax, aliquando *erronea & ignorans*, ſi ex errore vel ignorantiâ juſtum pro injuſtô, vel contra eligit.

16. Error verò & ignorantia ſunt vel *vincibiles* vel *invincibiles*.

17. Si *ſequitur*, eſt vel *bona*, quando propter Actiones ſecundùm leges commiſſas quieta eſt, vel *mala* ſeu inquieta, ſi contra legem aliquid effectum eſt.

18. Quod *Voluntatem*, homo ex libertate ſuâ aptus eſt ad ea, quæ in Intellectu evolvit, in effectum ducenda, tam mala ſint, quàm bona. Atque ſic pro vero Autore actionum ſuarum habetur, cui & imputandæ ſunt.

19. Jam ad *Actiones*, quæ legi naturali ſubſunt, quæ vel *juſtæ* prædicantur, quatenus cum normâ conveniunt, vel *injuſtæ*, quæ contra ſeſe habent. Imò ſi actionem *injuſtam* accuratius in jure naturæ defi-

Digitized by Google

definire cupis, tunc illa erit, quæ oppoſitam habet actionem juſtam neceſſariam, quia actio licita ibidem eſt actio indifferens.

20. Itaque Actio juſta vel eſt *neceſſaria*, quæ legem, ex lege fundamentali, *ſtricto jure* fluentem, præſupponit & neceſſariò vel facienda vel intermittenda eſt, vel *licita*, quæ *æquo jure* ex lege fundamentali fluit, atque aut effici aut intermitti poteſt, & ſic pro actione *indifferenti* habetur, quæ eandem cum actione licitâ patitur definitionem. Quanquam etiam vocabulum *actionis indifferentis* ita latè pateat, ut non ſolùm actio honeſta appellanda ſit actio indifferens, ſed & reliquæ actiones, quæ ab actione morali diſtingvuntur.

21. Sed leges naturales diſtingvo in *præceptivas*, (latè dictas, ita, ut ſub ſe comprehendant & prohibitivas) quæ ſemper ſunt *immutabiles*, & *permiſſivas*, quæ mutari poſſunt, & mutatæ etiam ſunt à DEO & Principe.

22. Hæc noſtra legum naturalium diviſio duplicem nobis videtur allatura utilitatem. Partim in diſtinctione *juris naturæ & poſitivi*: Sic enim leges *præceptivæ* ſunt, quæ tam juri naturæ, quàm poſitivo conveniunt, & *permiſſivæ*, quarum nonnullæ per jus poſitivum ſublatæ ſunt. Partim in diſtinctione *actionis neceſſariæ & licitæ*. Sic omnis lex *præceptiva* facit actionem neceſſariam, & omnis lex *permiſſiva* actionem licitam.

23. *Obligatio*, quæ hominis libertatem coërcet, fundatur in Conſcientiâ bonâ vel malâ. Præſuppoſito enim, DEum eſſe, quilibet, niſi ſit Atheus, ſi actio-

nem injuſtam commiſit, credit, illum ſibi iraſci, cujus rei teſtimonium ipſa conſcientia mala eſt.

24. Sic mala Conſcientia *pœna* propria eſt legum naturalium, quam in ſtatu civili, conſtitutis Rebuspublicis, ſeqvuntur *pœnæ determinatæ legum humanarum.*

25. De diviſione Juris Naturæ agemus in Cap. 7. Jàm ex præcedentibus ſequentes formamus regulas, & quidem quoad Intellectum. 1. *Jus Naturæ obligat in Conſcientiâ.* 2. *Quicquid convenit conſcientiæ perfectè certæ, illud eſt faciendum, quicquid diſconvenit eſt omittendum.* 3. *Quoties concurrunt conſcientia perfectè & probabiliter certa, toties in contradictione prior eſt ſequenda.* 4. *Conſcientia probabiliter certa illa ſequitur argumenta, quæ accuratius cum legibus naturalibus conveniunt.* 5. *Conſcientia erronea & ignorans expectent occaſionem, donec ex certis quid concludere posſint.*

26. 6. *Quoties aliquid factum contra Jus Naturæ, quod excuſare volumus per ignorantiam & errorem, toties malam habemus conſcientiam*, quæ regula convenit cum §. 13. ut verò Actio evadere poſſit juſta, ex regula quinta ad tempus eſt differenda.

27. Aliud tamen eſt in legibus humanis, ubi error & ignorantia aliquoties excuſare ſolent.

28. Quoad Voluntatem. 1. *Voluntas nihil ſinè judicio Intellectus efficiat.* 2. *Et id faciendum eligat, quod conſcientiæ Regulis convenit, contra verò illò abſtineat, quod illis adverſatur.* 3. *Voluntas non poteſt cogi*, ergò, quod nos coacti aut metu *juſto* inducti facimus, non imputatur.

29. Quo-

29. Quoad Actiones, 1. *Actus proæretici in legibus Naturæ tantùm imputantur*, excludimus ergo actus, qui forte fortuna perpetrantur, quosque agunt infantes, furioſi, ſummè ebrii, ſomniantes, aliique. 2. *Actiones propriæ tantùm imputantur, non alienæ*, niſi easdem auxiliis noſtris adjuvemus.

30. Quoad Obligationem. *Ad impoſſibile nemo obligatur*, ergo ad quos actus à naturâ non ſumus capaces, ad illos DEus nos per leges naturales obligare non voluit.

## Cap. IV.

# *De Fundamentali Lege Juris Naturæ.*

1.

PEr legem fundamentalem intelligo propoſitionem aliquam generalem, ex quâ reliquæ leges Naturales tanquam concluſiones demonſtrantur.

2. Ad hanc autem requiritur, ut ſit 1. *Domeſtica.* 2. *Adæquata.* 3. *Vera.* 4. *Univerſalis*, & licet fortè unum alterum continere videatur, placuit tamen ita procedere.

3. *Domeſtica*, ut illam ratio ſola, absque omni additamento, rationi incognitô, poſſit percipere. Nam ſi ulterius progrederemur, tunc Jus noſtrum naturale involveret contradictionem, nos verò committeremus μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος.

4. *Adæquata*, ut cum omnibus hominum Actionibus, de quarum juſtitiâ vel injuſtitiâ ratio noſtra occupatur, ſit convertibilis, ita, ut neque ſit anguſtior, neque ad alia præcepta, quàm ad hæc poſſit extendi.

5. *Vera*,

Digitized by Google

5. *Vera*, eaque talis, 1. ut ſtatim Intellectui conſtet, hanc ipſam eſſe legem fundamentalem, qualem 2. & ipſe DEus voluiſſet, ſi illam per verba hominibus præcepiſſet 3. ne pugnet cum legibus divinis poſitivis, quatenus ejus aliquæ Concluſiones juris permiſſivi ab illis non ſunt mutatæ.

6. *Univerſalis*, ut ad captum omnium hominum ſit accommodata, quia, ut diximus, leges Naturales obligant omnes homines.

7. Sed dicis, ſic te ipſum omnibus auxiliis privabis, neſcies enim, quando ita procedere inſtituis, ubi erit incipiendum. Sed reſpondeo, in promtu habeo fontem, qui mihi ad incipiendum media ſuppeditabit.

8. Scilicet incipere debemus ratiocinando à nobis ipſis, & deinde progredi ad alia extra nos. Hanc viam ſequar. Quæro legem fundamentalem, eamque quæram primò in ipſo homine, ſi ibi non reperietur, extra illum progrediar. Sed ulterior progreſſus fortè non opus erit.

9. Porrô regeris, hôc modô tibi ipſi contradicces? Anteà nominaſti legem normam hominis, hîc contra hominem facis normam legis.

10. Sed per inſtantiam. Medicus, præſcribens ægroto medicamenta, reſpicit ad morbum ipſum, deinde ſecundum qualitatem morbi medicamenta ordinat. Ita homo per ſe, quemcunque etiam repræſentet ſtatum, non quidem eſt objectum Juris Naturæ, ſed actiones hominum, juxta quas leges ſunt componendæ.

11. Ergo actiones hominum ſunt ſimul norma & normatum.

12. Ul-

Digitized by Google

12. Ulterius, quemadmodum Medicus neque morbo neque qualitati morbi ſuccurrere poſſet, niſi ſubjectum morbi ſeu ægrotantem ejusque naturam cognoverit, ita & actiones hominum ſine homine ipsô tanquam unicô ſubjectô conſiderari nequeunt.

13. Homo verò, quomodo eſt conſiderandus? duplex quippe ejus ſtatus eſt, unus, quatenus vixit in *ſtatu integritatis*, alter, quatenus jam vivit in *ſtatu corruptô.*

14. Dicis, *ſtatus integritatis eſt ſtatus hominum perfectiſſimus, qui, ſi eum tibi proponis, facilè ſuggeret, ut videas, quomodò actiones hominum præſentes ſecundum iſtum ſtatum temperandæ ſint.*

15. Benè, inquam, tu mihi dux & autor eſſes, modò ſtatum iſtum ratio noſtra aſſequi poſſit. Deinde jus naturæ ad illud non progreditur, ad quod ea pertingere nequit, quia pro principiô cognoſcendi habet rationem, ſed è contrariô ſtatus integritatis Revelationem ſupponit.

16. Nullius enim momenti eſt argumentum eorum, qui ex ſcriptorum gentilium teſtimoniis probare voluerunt, ſtatum eum Gentilibus fuiſſe cognitum? Quicquid enim Ovidius & alii de eô ſomniarunt vel fabulati ſunt, illud ex confusâ relatione Judæorum, non ex ſolâ ratione perceperunt, ut probarunt accuratiores Hiſtorici.

17. Benè, dicis, ſic video, te ex ſolâ ratione tua velle fabricari concluſiones, & parum curare Revelationem: præcipuè ſi per eam ſcriptura ſacra Chriſtianos docuerit contrarium.

18. Verùm reſpondeo, agnoſco & veneror ſacras literas tanquam voluntatem DEI revelatam, & tu agno-

agnoſces, precor, me nunquam ſtatuere velle, quaſi jus naturæ verbo revelato opponatur.

19. Nam qualis eſt diverſitas inter *vivere ſecundum voluntatem* DEI, & inter *docere eandem*. Jam autem jus naturæ eſt voluntas DEI tacita, revelatio verò expreſſa, imò tu nobis concedes, tacitam prius demonſtrandam eſſe, ut deinde eam ſequatur expreſſa.

20. Dum verò docemus jus naturæ ex principiô ſuô domeſticô, *abſtrahendô* duntaxat ab illâ cognitione, conditionem aliquam hominis nobis concipimus, quandò aliàs volumus ut leges cum *communi naturâ hominum rationali* conveniant.

21. Neque etiam, ſi à revelatione ad ſtatum integritatis argumentari cupis, valebit adſertio, quia, ut ego arbitror, hujus ſtatus notitia nobis in ſacris literis breviſſimô ſenſu eſt relicta, tantùm, ut ſciamus quomodò protoplaſti felicitatem primævam, excedentes mandata DEI, amiſerint, non verò, ut ille norma actionum noſtrarum ſit, aliàs enim paulò uberior ejus hiſtoria ad nos ibi perveniſſet.

22. Sed ut videas, nos propter ſolam veritatem pugnaſſe, ipſe homo juxta duplicem hunc ſtatum proponendus eſt: *Homo integer eſt homo perfectus & ab omnibus vitiis alienus; Verùm hominis lapſi natura magis ad malum quàm bonum inclinat.*

23. Itaque ſi integrum produceremus hominem, tunc ſtatim alius nobis objiceret, quomodò homini, qui tum optimâ mente fruebatur, in mentem venire potuerit, aliquid ſibi fingere, quod integritati ſuæ adverſatur, quia nullæ pravæ cupidines illum agitabant.

24. Spe-

24. Spectat huc reſponſio ad *perfectionem* tuam, quam tu ſtatui integro tribuis, quam quidem affirmamus, non tamen concludere poſſumus: ergo eſt proponendus. Nam illud ſaltem perfectiſſimum eſt proponendum, quod poteſt acquiri.

25. Quod ſi verò & hæc non ſufficiant, agè conſideremus: *Quomodò præcepta juris naturalis in ſtatu præſenti pugnent vel conveniant cum illis in ſtatu integrô?*

26. *Convenientia* quidem ſeſe in eô exerit, quod *ſumma* juris naturalis tam in ſtatu integrô quàm corrupto fuerit eadem, ita, ut & tum obtinuerit: *Dilige DEum & proximum tuum ſicut te ipſum*, qualis & obtinet jam apud nos, viventes in ſtatu corruptô.

27. Verùm quoad leges, ex ſummâ pullulantes duplex conſpicua deprehenditur *diverſitas*. Primò enim obtinebant in *ſtatu integritatis* duntaxat præcepta *affirmativa*: videlicet, *pacta ſerva*, *ſuum cuiq; tribue*. Nam natura hominis, tum optima, alias concluſiones non poſtulabat.

28. Sed ſtatus hominum *lapſus* præter leges eas affirmativas indiget etiam *negativis*, quæ propter accedentem promtitudinem ad malefaciendum ſpecialiter naturæ hominis rationali nunc ſunt impreſſæ, de quibus homo integer ne quidem cogitabat, quales certè ſunt: *Non occide, furtum ne facias. Neminem læde.* &c.

29. Illuſtrabimus hanc diverſitatem exemplô aliquô. Fingamus patrem, duos habentem filios, unum modeſtum & probum, alterum diſſolutum & petu-

petulantem, hîc ſanè ſumma præceptorum erit eadem, ſed variabunt tamen præcepta particularia.

30. Eôdem modô res jam redit in jure naturæ. Fingamus, nobis obviam veniſſe duo genera hominum, unum adhuc integrum, alterum verò lapſum & immoratum. Imò fingamus, his duobus normam vivendi abs te ipsô præſcribendam eſſe, nonne ſeparares integros à corruptis, & nonne cuilibet parti peculiarem præſcriberes normam vivendi.

31. Secunda diverſitas eſt intuitu *numeri* præceptorum iſtorum ſpecialium, nam in ſtatu integritatis homo tam multis legibus non indigebet, partim quia pleraque negotia hodierna ibidem ceſſabant, partim, quia inſignis erat defectus multarum Societatum quales hodie in ſtatu poſt lapſum reperiuntur.

32. Taceo enim, Societatem dominicam ex naturalibus planè exulaſſe, imò taceo exulaſſe multas arbitrarías, hoc duntaxat dico, quòd neque Reſpublica, neque Societas aliqua Gentium expectanda fuiſſet, quia finis ille, propter quem Reſpublicæ ortæ ſunt, ibi ceſſabat.

33. Remanet itaque *ſolus ſtatus poſt lapſum*, qui & rationi noſtræ ad hominis conditionem *evidenter* ſibi proponendam apprimè congruit? quanquam enim dicatur corruptus, eſt tamen adhuc *ſuo modo* rectus, nam ſi *planè* corruptus eſſet, magis *belluinus* eſſet.

34. Et ſi tibi ſimile adhuc placet de medicô, ita illuſtrare poſſum adſertionem: Quemadmodum Medicus qualitatem præſentem ægroti præ oculis habere debet, ita nos hominem in præſenti ſtatu, ut nunc eſt, conſiderare oportet.

35. De-

Digitized by Google

35. Deinde, quia ægrotans ſtatum ſuum *pro miſerrimo* habet, ita & nos, homini quaſi diætam contra illum præſcribentes, ejus miſerrimam conditionem à primis incunabulis repetemus. Hoc enim modo honeſtam arripiemus occaſiônem, actionibus ſuis accuratisſimas leges præſcribendi.

36. Ponamus ergo hominem ſtatim à nativitate extra omne auxilium inter ſylvas vel deſperata loca relictum, hîc ſane infantia annos nunquam ſuppleret, niſi à Parentibus vel aliis ſui ſexus alimenta ſuppeditarentur.

37. Ad hæc usque adhuc adjutum, iterum ab hoc tempore omni hominum conſortio privatum ponamus, cui in inviis locis ad ſtomachum ſedandum, nihil niſi herbas radicesque colligere relictum, ægrotum ſimul, omnique informatione ad reliquam vitam ſuſtinendam orbatum. Ubi & iterum absque concurſu aliorum miſerrimam ageret vitam.

38. Jam & hæc illi demus, demus ſimul omnes divitias, conſideremus tanquam omni arte & ſcientia pollentem, ponamus vero extra conſortium, ubi & absque illo miſerabilem vitam duceret.

39. Ergo homini, quocunque módo illum tibi fingas, *Societas à natura eſt neceſſaria*, non citra naturam, ut Hobbes docet, quia nos ab hac ad illam ducimur.

40. Ratio enim, *ſecundum §. 5. Cap. 1.* conſiſtit in cogitando, cogitare non poſſumus, niſi per verba, verba vero in mente volvuntur, ore demum profe-

runtur, jam autem nobis non loquimur, ſed aliis, qui autem ſunt illi? quam ſocii.

41. Concipiamus itaque nobis hominem prout in Societate vivit, ſed concipiemus etiam antea ejus naturam, ad quid illa inclinet.

42. Initio quidem homo eſt animal *Sui conſervationis* ſtudioſiſſimum, ita, ut impedimenta, quocunque modo opponantur, non tantum evadere, ſed &, ſi ſe aliter conſervare nequit, adhibita vi repellere laboret.

43. Præter hanc ſui conſervationem pronus eſt etiam *ad aliis malefaciendum*, nocendique facultate pollet, quæ facultas non certo tempore in illo deprehenditur, ſed hæc proclivitas à teneris quaſi usque ad mortem illum reddit paratisſimum.

44. Contra vero in illo *aliquid boni* reſidet, quo aliis benefacit, aliorumque commoda auxiliis ſuis promotum it.

45. Nemo vero ſibi ſoli ſufficit, ſed *aliorum ope* indiget, per quam defectus ſuos corrigere vel ſibi exinde proſpicere posſit.

46. Horum vero in univerſum *ingenia ita ſunt diverſa*, ut aliquis ſine prævia meditatione, inſinuatione vel præcautione iisdem nunquam gaudere posſit, ſi quandam utilitatem inde percipere vult. Unde vulgare proverbium: *Quot capita tot ſenſus.*

47. Quapropter neceſſarium eſt, *ut genium ſuum accommodet*, ſuasque actiones ex voto aliorum temperet, ſi quosdam fructus ab iis expectabit.

48. Quo pacto tandem apparet, hanc eſſe legem juris Naturæ fundamentalem: *Quilibet homo*



Digitized by Google

*mo id ſtudeat, ut quicquid Socialitati ejusq; conſervationi & augmento eſt adverſum, intermittat, vel ut intermittatur in eo ſit, quicquid vero eandem promovet & tranquillitatem ejus conſervat, faciat, vel ut efficiatur, curet.*

49. Atque ſic noſtra lex evadit *Domeſtica*, eſt enim ſolius rationis inventum; *Adæquata*, quia, prout docebimus in ſequentibus, omnes ſocietates conſiderabit; *Vera*, convenit enim intellectui, quod usque adhuc deduximus; Quamque Deus voluit, alias enim homini dediſſet rationem & naturam ſibi ſoli ſufficientem. Neque pugnabit cum legibus poſitivis, quod videbimus in parte ſecunda; *Univerſalis*, cuncti enim homines indigent Societate, & de omnibus etiam prædicatur, prout diximus in præcedentibus.

50. Sed non hic erit ſubſiſtendum, ulterius progrediemur, & alios evolvemus, ut videamus, an & illi in monſtranda lege hac primaria nobiſcum conveniant.

51. Inter hos placet primum ponere *Hobbeſium*, qui hominem quidem ponit in *Societatem*, cujus tamen initium facit â *mutuo metu*, cui hac parte ſatisfecimus in §. 40. & ſatisfaciemus infra præcipuè Cap. 21.

52. Homines deinde facit *natura æquales*, & recte quidem, falſum vero eſt, quod concludit, hanc naturalem æqualitatem importare indolem belli, *quilibet enim habet quidem voluntatem alios lædendi, non vero jus.*

53. Hocce bellum autem non conſiderat ut *temporaneum*, ſed *perpetuum omnium in omnes*, quapropter conſulit, *ut quisq; vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueatur.*

54. Ipſe vero tale certamen perenne generi humano exitium minari agnoſcens, hâcce inſurgit falsâ propoſitione: *quærendam eſſe pacem, quatenus habendæ ejus ſpes aliqua affulſerit, ubi haberi non poteſt, quærenda eſſe belli auxilia.*

55. Annon vero Hobbes, tanquam vir acutiſſimus, à nobis re paulo presſius inſpecta, aliquo modo, ſi non defendendus, tamen excuſandus ſit, præcipue, quia hæc hypotheſis aliquam rationem ſtatus induere videtur, ego aliis cogitandum relinquo.

56. *Grotius* reſpexit ad ſtatum integritatis, ſed ex doctrina Socinianorum, qui de eo *maximam ſimplicitatem* prædicant, quam, cum ab aliis fuerit erudite improbata, nos mittimus.

57. Denique *Scholaſtici* ſua adhuc conferre voluerunt, ita enim illi: *Ad imaginem Dei homo eſt conditus, ergo & in hoc præſenti ſtatu radii divinæ Sanctitatis & Juſtitiæ, quaſi reliquiæ apud illum remanſerunt.* Quo pacto convenientiam cum ratione dicunt conſiſtere in convenientia cum Sanctitate & juſtitia divina. Inde Regulam ſic efferunt;

Digitized by Google

runt: *Quicquid convenit cum Sanctitate & Juſtitia divina, illud in jure Naturæ eſt faciendum, quicquid diſconvenit eſt omittendum.*

58. Sed hic non opus habemus, ut cum illis extra hominem progrediamur, quia id, quod quæſivimus, in ipſo acquiſivimus: deinde horum attributorum plena explicatio ſpectat ad Dominos Theologos. Nam ſi ἀνθρωποπαθῶς de Deo cogito, non aliter quam *imperfecte* hanc divinam Sanctitatem & juſtitiam mihi poſſum concipere. Neque ad minimum juſtitia, quatenus à nobis eſt accepta, Deo competit, ſed quæ aliam plane faciem induit. Provocant equidem Scholaſtici ad commune κριτήριον, quo DEus ſibi ipſi legem aliquam præſcripſiſſet, ſecundum quam jus Naturæ condidiſſet hominibus. Cui opinioni ut prætextum induerent, finxerunt *normam* ipſius legis hujus æternæ eſſe Sapientiam & ſanctitatem Dei. Sed bene, inquam, contradictoria tamen ſunt, eſſe ſimul ſuperiorem & inferiorem, illud enim ex hac aſſertione fluit. Quo pacto ego cum aliis mallem legem æternam referre ad figmenta Scholaſticorum.

59. Tandem Jus Romanum tria facit juris præcepta, *1. honeſte vivere, 2. alterum non lædere, 3. ſuum cuique tribuere*; quæ tamen omnia, ſi ſecundum noſtra requiſita metimur, potius ſunt *concluſiones*, quam ipſa lex fundamentalis, ut probarunt alii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

# Cap. V.

## *De modo deducendi leges Naturales ex Lege fundamentali.*

I.

DEfinitio Juris Naturalis nos docuit eſſe legem aliquam fundamentalem, ex qua reliquæ omnes pendeant. Illam monſtravimus, reſtat ut nunc diſpiciamus quoque, quomodo hæ inde ſint deducendæ. Res vero ipſa paulo altius eſt repetenda.

2. Partem illam Jurisprudentiæ humanæ, ut appellant Judiciariam, Doctores conſiſtere ajunt in *Interpretatione* & *Applicatione legum.* Hæ duæ partes autem non tantum juri humano ſunt propriæ, ſed ulterius etiam ad Jurisprudentiam Divinam extenduntur.

3. Hoc enim pro certo ſtatuendum eſt, nos quoad leges divinas æquo modo ſubeſſe voluntati Imperantis ac in legibus humanis.

4. Voluntas iſta ſemper prius eſt ſcrutanda & cognoſcenda, quod regulariter fit per *Interpretationem*, & denique ad caſus applicanda, quia lex propter hos lata eſt, unde *applicatio* oritur.

5. Iſte vero Imperans paulo dignioris eſt *conditionis & eſſentiæ*, ut reliqui, quapropter à nobis ejus voluntas etiam paulo reverentius & accuratius erit conſideranda.

6. Et quod leges divinas poſitivas concernit, prædicantur ſimul de illis tam interpretatio quam appli-

applicatio, ut ſuo loco videbimus. An vero & Juri Naturali conveniant, adhuc quæſtio eſt.

7. *Interpretatio*, non in genere, ſed *legum* tantum, definitur: *Declaratio legis* additur quandoque *dubiæ.* Sed quoad hanc definitionem duo ſunt monenda.

8. Primo enim *Leges poſitivæ* nunquam ſunt *dubiæ* ſeu obſcuræ, ſed *perſpicuæ.* Et ſi quæ obſcuritas accidit, cauſa eſt tantum Intellectus humanus, non ipſæ leges, ideo & nos illis Interpretationem tribuimus.

9. Deinde requiritur ut lex ſit *Scripta*, quia omnis declaratio *legum* ſupponit aliquid ante oculos. Atque ita non eſt, ut Juri Naturæ Interpretationem adſcribamus, quia 1. non ſunt leges *Scriptæ*, ſed rationi hominum inconditæ. 2. neque leges *obſcuræ*, conveniunt enim Intellectui.

10. Aſt dicis, ſic ex Jure Naturali plane exulabit? Imo reſpondeo, non prorſus exulabit, infra enim intuitu ſermonis & pactorum nonnulla circa Interpretationem aliam erunt excudenda. Exulabit tamen illa legum Naturalium, pro qua, ad deducendam Voluntatem DEI circa Jus Naturæ nos aliud ſubſtituemus.

11. Videamus itaque, quid ſibi poſſit *Demonſtratio.* Non vero inhærebimus illis difficultatibus, quas, ut Vir aliquis eruditus dicit, Commentatores maluerunt ſcrutari, quid ſibi voluerit Ariſtoteles, quam quid eruditio inter homines practice adhibenda requirat &c.

12. Demonſtratio itaque eſt *operatio Intellectus, ubi ex primo principio per medium aliquod certum, evidens atq; verum perfecte deducitur, quod deducendum eſt.*

13. Qua ratione ad hanc requiritur 1. *Primum principium* & hîc Jurisprudentiæ proprium, quod in *Cap. 1. §. 22.* paucis dedimus, quia circa illud nulla eſt controverſia.

14. 2. *Medium*, quod apud nos eſt lex fundamentalis, idque 1. *certum*, quale & hæc eſt. 2. *evidens*, nullam enim circa hanc ſenſi obſcuritatem. 3. *verum*, neque, ut diximus, pugnabit cum Voluntate DEI.

15. Quando vero iſthæc requiſita deſunt, tunc nihil poterit demonſtrari.

16. Lex itaque fundamentalis tanquam medium nobis inculcabat culturam ſocialitatis, inde prius noſſe juvat, quid illa ſit? & quotuplex? Hac enim prius cognita, ordinem noſtrum demonſtrandi ſecundum ejus diſpoſitionem dirigemus, ad quam Intellectus noſter, qui hac parte in Jure Naturæ ſuo modo rectus eſt, multum cooperabitur.

17. Leges vero ipſæ demonſtrandæ, erunt vel *præceptivæ* vel *prohibitivæ*, unde vulgaris diſtinctio Legum in *affirmativas* & *negativas*, ubi quoad has notabis, quod una negativa ſemper ſub ſe comprehendat plures affirmativas, ut ſuo loco obſervabis.



Digitized by Google

# CAP. VI.

## *De Societate & ejus Effectu.*

I.

ANte omnia placet exponere Convenientiam & diſconvenientiam *Socialitatis* cum *Societate.* Nam in eo diſtinctæ ſunt, quod *Socialitas* ſit *cupido & ſtimulus, homini à natura cum aliis tranquillè vivendi infuſus*, non tamen in ſolà contemplatione, ſed & in ipſo exercitio conſiſtens, *Societas* vero, *Unio duorum vel plurium hominum ad certum finem & utilitatem.* Atque ſic Socialitas ſuo modo eſt genus Societatis, & præter *naturales* etiam *arbitrarias* imo *converſationem* ambitu ſuo complectens. Inde & eſt, quod in lege generali culturam *Socialitatis* requiſiverimus.

2. Ergo Societas Latronum, ad noſtram Societatem applicari nequit, quia ejus finis non convenit cum definitione generis, in qua *tranquillitas* inculcatur. Quo pacto eandem Societatem *corruptam*, & quas recenſebimus *rectas* appellabis.

3. Deinde Socialitatem etiam ejusmodi perſonæ colunt, quæ ſe invicem neque viderunt, neque de ulla utilitate participarunt, ſed tantum *Tranquillitatem* pro fine generali habent: ubi quidem duntaxat contemplatio obtinet, ſed obtinebit tamen & actus, ſi dabitur occaſio. In Societatem autem, propter utilitatem & certum eumque peculiarem finem perſonæ



Digitized by Google

ſonæ coivere. Licet quandoque illæ non præſenti ſimul converſatione fruantur.

4. Tertio Socialitas ob generaliſſimum conceptum præter ſpecies §. 1. recenſitas nullam aliam patitur diviſionem, ſed talem Societati relinquit.

5. Convenientia ſeſe in eo exerit, quod utræque ſub lege fundamentali contineantur. Et Socialitas quidem ſine ulla ulteriori demonſtratione, cum è contrario Societas ea adhuc opus habeat. Quod etiam ad diſcrepantiam numerare poteris.

6. Subſiſtamus itaque in Societate, ubi ex definitione nonnullum requiſitum, ne in ſequentibus more andabatarum pugnemus, præmittendum eſſe exiſtimo.

7. *Pro certo enim ſtatuendum eſt, ad omnem Societatem requiri perſonas unius eſſentiæ*, i. e. tantum homines, non animal in genere, aut aliud quoddam. Et homo quidem non unus, quia mecum nulla eſt Societas.

8. Secundo *omnem diviſionem quærendam eſſe non propter perſonas, ſed propter utilitatem vel finem*, quem perſonæ ex Societate percipiunt.

9. Hac quidem via, medio cum aliis conſentiendi me ipſum privabo, ſed recordante, pace aliorum libertatem philoſophandi mihi eſſe relictam, non ex auctoritate Doctorum, quos quidem omnes ſummâ reverentiâ proſequor, ſed ex judicio proprio ad res intellectus judicandas, ſic enim præceperunt mei.

10. Primo ex ipſa ratione fundamentum peto, ad quod tamen per multa tempora circumſpicere non debeo, quia iterum ipſum hominem, & ejus quidem

dem conditionem præſentem fundamenti loco ponere poſſum.

11. Is enim ille non ſit, qui eſt, niſi à parentibus ſuis editus fuiſſet, inde prima Societas eſt *Conjugalis*, quæ pro fine habet *procreationem Sobolis.*

12. Hanc ſtatim ſequitur Societas *Parentum & Liberorum*, quorum priores pro fine habere dicunt alii *alimentationem*, poſteriores *reverentiam & gratitudinem* erga parentes. Nos vero ſolam ponimus *Educationum* per infra dicenda Cap.19.§.12.

13. Poſtea, cum plerique res permultas habuiſſent in dominio, easque raro ſoli adminiſtrare & conſervare potuiſſent, niſi aliorum induſtria acceſſiſſet, ventum eſt, quod nonnulli, qui nihil vel parum habuiſſent in dominio, vel ſe ipſos conſervare nequiviſſent, ad ejusmodi Servitia aliis præſtanda ſeſe obtuliſſent. Inde eſt Societas *Dominorum & Servorum*, cujus finem alii faciunt partim *adminiſtrationem rerum*, cui accedit famulitium, partim exhibitionem *alimentorum* vel ſtipendii. Nos vero ex Cap. 20. §. 2. ſolam ſtatuimus *Curam rei domeſticæ.*

14. Hæ Societates vel ſimul vel harum duæ vel etiam una, quæ tamen ſecundum §. 1. Cap. 20. dominica eſſe nequit, conſtituunt *Domum* ſeu *Familiam*, quam appello *exercitium Societatis*, utpote in qua fines omnis Societatis naturalis exercentur. Inde valet regula: *Nulla eſt Societas ſine familia.*

15. Poſtquam vero urgente neceſſitate, una familia alteri ad ſuſtinendam vitam & meliorem commoditatem quaſi manus porrigere debebat, conventum eſt

Digitized by Google

eſt inter Socios, ut plures unâ familiæ cohabitarent. Unde *Communitas*, germanicè ein Gemeinweſen/ oritur.

16. Ipſa vero Communitas duobus modis conſideranda eſt, vel ut *Vicus* vel ut *Civitas*. Licet enim à Vico diſtingvatur *Pagus* alias, hic tamen inter ſe conveniunt.

17. *Vicus eſt unio quarundam familiarum, quæ præter propriam ſuſtentationem curam agri habent*, reliqua enim fiunt per accidens.

18. *Civitas eſt unio quarundam familiarum, quæ præter propriam ſuſtentationem per commercia defectum terræ vel aliarum rerum commutando pro aliis apud ipſos ſuperfluis, ſupplent* & ſimul cum Vico finem ſupponit unicum, *rerum* nimirum *ſufficientiam*. Adde. *Cap. 21.*

19. Efferunt hæc aliter Peripatetici, finem vici faciunt *uſum non quotidianum*, Civitatis vero εὐδαιμονίαν ſeu veram beatitudinem & αὐτάρκειαν ſeu bonorum externorum ſufficientiam, ut ſcilicet ibi paulo elegantius quam in pago vivamus.

20. Sed ad quorum tradita ab alio erudite fuit reſponſum, quem & ſequor. Illud addo quod εὐδαιμονία tantum Reipublicæ ſit præſuppoſitum, ergo non ſignum civitatis vel Vici. ex dicto *Cap. 21.*

21. Ex vicis & Civitatibus orta eſt *Reſpublica*. Licet quandoque una Civitas eam formet, quapropter non raro termini confunduntur.

22. Reſpublica vero eſt, *quando familiæ, in una vel pluribus Communitatibus unitæ, ſub unius vel plurium Imperio ſubjectæ tegunt, qui illas non tan-*

*tum*

*tum contra alios defendere, ſed & tranquillitatem & ſalutem omnium præ oculis habere, imo urgente neceſſitate & utilitate extraneos offendere debet.*

23. Quemadmodum enim homines natura proni ſunt ad nocendum, ita ſtatim familiæ hæ unitæ viderunt, illis non bene fore, niſi *inæqualitas* aliqua conſtitueretur, qua mediante unus vel alter cæteris imperare & peccantes pœna debitâ afficere poſſit. Quæ latius videbis in dicto. *Cap.*

24. Poſtquam autem omnes familiæ in toto terrarum orbe uni Imperanti ſubeſſe non potuerunt, humana neceſſitate plures ejusmodi Reſpublicæ ortæ ſunt, quæ non inter ſe per longa intervalla ſeorſim diſtant, ſed quarum una terminat alteram.

25. Intereſſe verò & utilitas harum omnium non eſt eadem, potius tot ferme modis variat, quot earum ſunt. Deinde una per ſe ſine altera vix ſubſiſtere poteſt, inde neceſſum eſt, ut commerciis, amicitiis vel aliis modis ſocientur, ne & hîc tranquillitas & ſalus communis turbetur.

26. Inde ortum trahit omnibus non incognita *Societas Gentium*, de qua plena manu agemus infra Cap. 27.

27. Jam multis diſputandum eſſet de vulgari Peripateticorum diviſione inter Societates *Simplices* & *Compoſitas*, quas ita eorum optimi doctores deſcribunt, quod *Simplices* ſint, quarum conſtitutionem aliæ Societates non ingrediuntur, & *compoſitæ*, quarum conſtitutionem aliæ ingrediuntur, duabusque perſonis abſolvi nequeunt.

28. Verum hæc explicatio nobis arridere nequit, quia ſic omittenda ſit Societas Gentium, quæ neque

Societas compoſita eſſet, quoniam & duo principes vel duæ Reſpublicæ duas præbentes perſonas, hanc Societatem etiam conſtituunt: neque eſſet Simplex Societas, quia ad ejus conſtitutionem Societas alia concurrit. Ita ego mallem hanc diviſionem vel prorſus omittere, vel ſaltem dicere, quod Societas *Simplex* ſit, ubi duo vel pauci, *compoſita*, ubi plures in certum finem coëunt.

29. Longè evidentior, ut arbitror, evadet hic procedendi modus, quando dicimus, quod Vicus & Civitas, ſeu uno verbo *Communitas* ſit *effectus* familiarum, quod *Reſpublica* ſeu Societas inter Imperantem & Parentes ſit *effectus* Communitatis & denique, quod *Societas Gentium* ſit *effectus* Rerumpublicarum, quæ omnia latius deducemus infra partim in Cap. 22. partim in Cap. 27.

30. Quod enim ſpeciatim *Communitatem* concernit, conſtituerunt eandem familiæ aliquot vel multæ ad obtinendam *rerum ſufficientiam*. Quod *Rempublicam*, conſtituerunt eandem familiæ in Communitate degentes, ad obtinendam *beatitudinem civilem*.

31. Quod *Societatem Gentium*, conſtituerunt eam Imperantes, & qui Rempublicam repræſentant, ad obtinendos duos fines, tam *rerum ſufficientiam*, quam *beatitudinem communem*. Atque ita conſpicuo modo fines Communitatis & Reipublicæ particulares ſimul concurrunt, ut ſuo loco videbimus latius.

32. Sequitur alia diviſio, quam nos ita ponimus: quod Societas ſit vel *naturalis* vel *civilis* vel *arbitraria*. *Naturalis* eſt, ad quam ineundam *homo aliquis* trahitur *à naturâ*, tales ſunt Societas conjugalis, paterna & dominica. *Civilis* eſt, ad quam ineundam *familiæ aliquot* trahuntur, partim *ex commoditate*, qualis eſt Communitas, partim *ex neceſſitate*, qualis eſt Reſpublica. Item huc ſpectat Societas

cietas Gentium, quæ mixta eſt, quia principes ad eam ineundam partim trahuntur ex commoditate, partim ex neceſſitate. *Arbitraria* eſt, quam *homines quicunq;* ſint, ex utilitate particulari ineunt; quæ utilitas, quia infinitis modis variat, infinitas reddit ſpecies Societatum inde fluentes.

33. Jam objicis, ita omittitur non contemnenda alia diviſio, in Societates *æquales*, *inæquales*, *& mixtas.* Sed quam ego agnoſcam, ſi debito modo explicabis.

34. Dicis, *Inæqualis* eſt, quæ intercedit inter perſonas diverſæ eſſentiæ, puta inter DEum & homines, *æqualis*, quæ eſt inter homines æquales tam ratione eſſentiæ quam dignitatis, *mixta*, quæ eſt inter perſonas ejusdem eſſentiæ, & quarum una imperat alteri.

35. Verum non opus eſt, ut cum iſta diviſione multis gloriemur, nam fundamentum ejus quæritur in perſonis, quod nos improbavimus.

36. Imo confunditur Societas cum *Converſatione.* Socii habent unum finem. Converſantes verò ſinguli peculiares habere poterunt fines, nam Converſatio, ut alii dicunt, eſt ſaltem *actus communicandi cum aliis.*

37. Interim tua *inæqualis* Societas dedit nobis occaſionem, ut proponamus tandem quæſtionem: *An detur Societas hominis cum DEO?*

38. Certe tu affirmabis ex diviſione, quam fabricatus es, fortè, ut haberes connexionem ad demonſtrandum officium hominis erga DEum, ſed quod, miſſo tuo invento, ex alio fonte mox deducemus paulo evidentius.

39. Interim & adhuc alii quæſtionem affirmant & quidem ex teſtimoniis ipſorum Gentilium, ſed illi dictamen rectæ rationis confundunt cum autoritate Gentium, quod accuratiores tamen in jure Naturæ improbare ſolent.

40. Quo pacto nos negamus, rationi noſtræ convenire, dari aliquam Societatem inter DEum & homines, nam alias ipſa noſtra ratio præter alia ita concluderet, quod non duntaxat homo DEO, ſed & DEus homini eſſet obligatus. Et ſi autoritatibus pugnandum, facile pro mea ſententia allegare poſſem teſtes, omni exceptione majores, ſed ad quod teſtimonium ipſa adſertionis noſtræ evidentia nos haud obligabit.

# Cap. VII.
## *De modo deducendi obligationes ſeu officia hominum.*

I.

POſtquam in præcedente capite circa Societatem occupati fuimus, ſequitur nunc, ut jam obligationes hominum inter ſe in veſtibulo quaſi oſtendamus.

2. Scilicet obligatio erga alium *eſt illa actio, quæ legi fundamentali attemperata dicitur officium & partim in dando, partim in faciendo vel omittendo aliquid conſiſtit;* Officia autem hominum inSocietatibus earumque effectibus viventium optimam præbebunt occaſionem ad leges noſtras demonſtrandum.

3. Hæc vero obligatio prout in actum deducenda eſt, duplici modô conſideratur, vel ut *perfecta* vel ut *imperfecta.*Quæ duo hujus obligationis genera non unicam patiuntur Interpretationem, ſed triplici modô explicari debent.

4. Primo enim hæc obligatio *perfecta* eſt, quæ fundamentum ſuum habet in obligatione erga ſuperiorem, qui jam ſolus DEus eſt, & poſt illum princeps meus, & ad quam faciendam vel omittendam ipſe me obligavit: *Imperfecta*, ſi citra peccatum in ſuperiorem aliquid vel facere vel omittere poſſum, & unô verbô dicitur *Permiſſio.*

5. Secundo, obligatio *perfecta* eſt, cujus omiſſio vel commiſſio pugnat cum lege, vel quæ hic per legem

Legem fundamentalem inculcatur; *Imperfecta*, quæ licet omittatur vel committatur, nunquam illam violabit. Quæ ſecunda adeo cum prima unum genus conſtituere poteſt.

6. Tertio, obligatio *perfecta* eſt, ad quam ego per legem alterum juſtè adſtringo, vel alter me juſtè adſtringit; *Imperfecta*, ubi nemo alterum cogere poteſt, & alias dicitur *Humanitas*.

7. Ille autem *coactus* inſtituitur inter illos, qui in *Republica* vivunt per *Actionem* ſeu *Imploratio-nem ſuperioris*, qui extra eam vivunt, v. g. in agro, deſerto, vel alio loco, ubi nullus adeſt ſuperior, quorſum ſpectat *Communio* ante conſtitutam Rempublicam, ubi æquales adhuc erant homines, per *co-actum violentum*.

8. Ut autem iſte coactus evadat *juſtus*, requiritur, ut vix vel nunquam ex poſt facto occaſio mihi ſit relicta, judicem propterea ad reparationem implorandi. Nam ſi ſecus res ſe habet, tunc inter *injuſtos* numerandus.

9. Atque huc refero etiam obligationes *inter Principes*, qui tanquam nullum agnoſcentes ſuperiorem, & ſummè æquales, adhibita vi, ſe invicem ad implendam obligationem perfectam cogere juſtè poſſunt, inde *Bellum* oritur.

10. Spectat huc non exigua Doctorum meditatio inter ſtatus hominum *naturales* & *civiles*. *Status enim eſt qualitas hominum ſecundum quam ipſorum jus variat.* Sic ſtatum *naturalem* conſtituunt ejusmodi perſonæ, quæ vel extra Rempublicam ſunt, vel nullum agnoſcunt ſuperiorem, ſeu quæ ſunt



Digitized by Google

*æquales.* *Civilem* vero, quæ ſubſunt Reipublicæ.

11. Licet autem Societates *naturales* præcedant Rempublicam, nulla tamen *commodè ſubſiſtere* poteſt in ſtatu hoc naturali, quia vis coactiva manet tunc penes me ipſum, quandò alter obligationi ſuæ ſatisfacere non vult, ad quam implendam verò cogitur à Principe in Republica, utpote noſtrûm ſuperiore. Interim tamen manent regulæ veræ: *In omni Communione eſt jus.* Ergo, & *in omni Societate jus eſt.* Imo *in Converſatione jus eſt,* *Et extra Societatem Jus non eſt*, quia quis ſibi ipſi obligatus eſſe nequit.

12. Solet alias *ſtatus naturalis* variè ſupponi, quod optimè cognoſcitur, ſi videamus cui opponatur. Sic ſtatus naturalis, ſi opponitur *contra naturali*, ſignificat pacificum, iſte vero belluinum, qualis Hobbeſii eſt. Si opponitur *Sociali*, indicat aliquem ſibi ſoli relictum, contra hic, quendam cum aliis viventem. Si opponitur *adventitio*, eſt conditio naturalis, ubi quis eſt maſculus, fœmina, iſte vero eſt vel Eccleſiaſticus, vel Politicus vel Oeconomicus.

13. His præmiſſis Sciagraphiam noſtri juris conjicere tempus eſt. Nihil enim adhuc, arbitror, quam hæc reſtabit.

14. Dicis, non longe propterea cogitandum erit, omnia feciſti, ſi tradis officia ſeu obligationes Conjugalem, Paternam & Dominicam? Sed dico, tradere etiam debeo officia viventium in Republica. Nulla enim Societas extra eam commodè & tranquillè exercetur. Respublica vero, ut videbimus,

non

non exiguis legibus opus habebit. Addere cogor, & officia Societatis *gentium*, quia & hæc eſt effectus Societatis & Reipublicæ.

15. Bene dicis: Hoc eſt quod expectaveram. Jam video, te adhuc ſtatuere, *eſſe jus Gentium?* Sed tu ſcias, Jus Gentium meum, non ſignificare jus humanum, vel medium aliquod inter hoc & divinum, neque etiam jus peculiare divinum, ſed ipſum jus naturæ: illud enim Jus Naturæ ex una lege fundamentali non tantum privatos, ſed & Principes inter ſe ad juſta facienda obligabit, ut fuſius videbimus infra.

16. Ne vero cogites, hoc modo vocabulum Juris Gentium eſſe inutile, ſignificat enim idem quod Jus naturæ, quia omnes Gentes obligat, ergo eſt ejus Synonymum.

17. Jam pergis: Hæc ita quidem ſpecialiter demonſtrabis, verum ego cogitaſſem, te & generalia eſſe præmiſſurum? Imo recte quæris, cogitandum prius eſt, an? & quæ dentur regulæ generales, obligantes omnes homines in quacunque *Societate* vel *Converſatione* vivant.

18. Sed & hîc quidem non incipere debeo, ſcio enim, rationi noſtræ conſtare, *dari aliquod officium erga DEum*, quod quidem non fundat ſeſe in Societate, quam antea inter DEum & homines, ſi ſecundum noſtrum concipiendi modum loqui volumus, negavi.

19. Porro dicis: Hoc pacto plane hoc officium eſt omittendum, quia, licet ponamus, de eo nobis nihil conſtare, nos juxta legem fundamentalem,



Digitized by Google

omni in Societate viventi, ſatisfacere poſſumus? nam hæc non eſt Societas.

20. Certe, non vulgaria objicis, audias meam ſententiam, tradendæ ſunt obligationes hominis erga alios. Quid autem? ſi conſideremus antea hominem ipſum, & intuitu ejus, eandem obligationem, *quam ſibi ipſi debet*.

21. Tu ita: *Obligatio extra Societatem non eſt; Homo ſibi ipſi non eſt Socius; Inde homo ſibi ipſi obligatus eſſe nequit.* Verum taceas cum tuis inſtantiis. Tu neſcis quid ſit illa obligatio. Ego per eam intelligo *officium hominis, quod prius in ſeipſo, ad juſtè promovendam obligationem erga alios in actum deducere debet.* Hoc autem Officium inſtituitur vel *intuitu DEI*, vel *intuitu Sociorum.*

22. Quod vero dixiſti, prius eſſe omittendum, non ita accipio; acciperem vero, ſi regula eſſet juſta, *ſocium bonum eſſe poſſe virum malum.* Hoc enim certum eſt, quod è contrario *vir malus poſſit eſſe bonus Socius.* Sed ultra poſſe jus Naturæ obligat ad *eſſe debere.* Inde eſt hæc lex Juris Noſtri Secunda:

*Socius bonus etiam eſto vir bonus.*

Jam autem *Socius bonus* eſt, qui vivit ſecundum leges Societatum, *vir bonus* eſt, qui præter leges erga Socios obligationem erga DEum tanquam ſui & legum naturalium autorem non intermittit.

23. Hujus autem adverſus DEum obligationis exercitium alio verbo dicitur *Religio*, quæ hîc non eſt *revelata* ſed *naturalis*, quæ rationi omnium hominum convenit. Quapropter expectabis tantum

ulti-

Digitized by Google

ultimam, nam rationem ad impoſſibile nunquam obligabis. Neque etiam Religio revelata ſpectat ad JCtos, ſed cujus expoſitio Dominis Theologis relinquitur. Imo ſi dicere debemus quod res eſt, neque religio naturalis pertinet ad nos. Quod vero illam hic doceamus, cauſa eſt, partim ne diſciplinam noſtram mutilemus, partim, ne nobis objiciant alii, nos omiſiſſe DEum.

24. Circa obligationem itaque hominis erga ſeipſum intuitu DEI, occupatum eſt caput ſequens, & intuitu Sociorum Cap. IX. Inde ſequentia nonnulla ejus officia erga Socios in genere continebunt, quæ ſequenter officia Conjugum, Parentum & Dominorum, ſeu uno verbo familiæ. Et poſt hæc obligationes viventium in Republica, denique officia gentium inter ſe, & in Capite ultimo applicatio legum, his obligationum generibus contentarum. Ita enim, ni fallor, noſtra diſciplina eſt componenda.

## CAP. IIX.

## *De Officiis hominis erga ſeipſum intuitu DEI, ſeu de Religione Naturali.*

I.

DEUM *eſſe*, & citra revelationem Scripturæ Sacræ, nemo negabit, ideo nos quaſi præſupponere hoc poſſemus, niſi inſtitutum urgeret oſtendere, notitiam illam non fundatam eſſe in relatione hominum inter ſe, ſed *in ipſa ratione humana.*

2. *Nemo eſt à ſeipſo*, ſed ſuam exiſtentiam naturaliter à Parentibus, horum vero, à majoribus ducit. Dum vero aliquis hæc meditatur, credit ſimul, & ipſorum, quotquot fuerunt majorum, exiſtentiam ab aliquo pendere primo.

3. Poſtea *extra ſe* progreditur, ubi tam varia genera objectorum, puta animantium, herbarum, frugum, metallorum, & quæ ſunt alia, deprehendit, quæ omnia non ex nihilo, ſed ab aliquo artifice, cui ſe parem numerare nequit, orta eſſe exiſtimat.

4. Deinde *univerſam machinam* contemplatur, quam nec ſuæ ipſius auctorem, ſed alterius potentisſimi artificis opus eſſe credit.

5. Tandem & locomoventium, quo ſe numerat, & moventium *vitam* & motum, totius machinæ viciſſitudines, horum in univerſum omnium attributa ſpeculatur, quæ ipſum movent, ut hæc *alicui ſupremo* adſcribere neceſſario ducat. Non vero opinatur, *multos eſſe* ejusmodi artifices, quia videt, quod omnia juxta unius nutum & voluntatem absque ulla contradictione dirigantur, quem uno vocabulo *DEum* appellat.

6. Ut vero hujus *eſſentiam* paulo accuratius ſibi imprimat, ponit exempli loco ſeipſum, & inde ad hunc ſequenti modo ratiocinatur: *Quas ego habeo imperfectiones, illæ non ſunt in hoc artifice, ſed qui potius omnia perfectè habet.* Ita imperfectio mea eſt, quod non ſum à meipſo, ergo ille eſt à ſeipſo. Imperfectio mea eſt, quod moriar, ergo ille nunquam morietur. Imperfectio mea eſt, quod mihi multa deſunt, ergo ille omnia plene poſſidet. Imper-

perfectio mea eſt, quod mihi pleraque ſunt impoſſibilia, ergo illi omnia ſunt poſſibilia.

7. Equidem, quæritur quandoque ulterius circa *poſſibilia DEI.* Sed hîc judicium meum paulò ſimplicius, & in divinam Majeſtatem reverentius ducam, *ut forte aliquis vir illuſtris loquitur*, quam ſubtilia commenta adornare, quibus omnipotentia Divina in ordinem redigatur, & judicii mei anguſtiis circumſcribatur. Spectat huc etiam quæſtio, *quomodo DEus dici poſſit juſtus*? Sed juſtitia DEI & juſtitia hominum tot modis differunt, quot nec excogitare poſſum. DEus non vivit ſecundum legem, & quicquid facit, facit ex libera Voluntate, ulterius enim pergere absque Revelatione prohibemur.

8. His ita cognitis non ſubſiſtit, *ſed in ſe ſtimulos nonnullos deprehendit, qui illum ad obligationem hujus omnipotentis artificis incitant.* Nam quemadmodum ſuam exiſtentiam ab eo deduci pro certo credit, ita propterea illum regimen non tantum in ſe, ſed & in omnia exercere non negabit. Cujus rei teſtis ejus ipſa Conſcientia eſt.

9. Hujus autem obligationis exercitium diximus eſſe *Religionem*, quotuplici itaque modo inſtitui ſolet obligatio, totuplex hac parte evadet Religio.

10. *Obligatio* autem iſta vel in animo exercetur, vel per verba & geſtus, inde Religio *interna* & *externa* oritur.

11. Hæ duæ quidem ſpecies obligationis erga DEum, non pugnant quidem cum Religione *Naturali*, ſed quarum tantum *interna* apud illam eſt neceſ-

ceſſaria, quia DEus tanquam ſummè omnipotens & hoc modo, ut optimus *καρδιογνώστης* meditationes hominis quam optimè intelligit.

12. Sed exinde non ſequitur, *quaſi nos Religionem externam à religione naturali plane proſcriberemus*, hoc abſit, ſed dicimus tantum, *rationem noſtram non concipere poſſe, quod iſthæc æquè tam neceſſaria ſit ac interna.* Itaque tantum, ſi volumus, in hac ſubſiſtimus, præcipuè, quia diſtinctio religionis internæ, & externæ in ipſo exercitio obligationis nullum ponet diſcrimen.

13. Iſtud vero exercitium vel eſt *generale* vel *particulare*, unde venit Religio *generalis* & *particularis.*

14. Religio generalis eſt, *circa quam omnes homines conveniunt*, ſpecialis ſeu particularis, *per quam unus populus diſtingvitur ab altero*, quæ iterum vel *vera* eſt vel *falſa*.

15. Quod *Generalem*, non intelligendum eſt, ac ſi gentes, quotquot ſunt, hac parte inter ſe ſpecialiter conveniſſent, ut DEus hoc vel iſto modo ſit colendus, nam ejusmodi hypotheſis ſaperet *jus* aliquod *voluntarium.* Sed *ipſa ratio modum iſtum illis omnibus præſcripſit*, ergo ſi habemus Religionem *generalem*, habebimus & religionem *naturalem*, quia hæ duæ in reipſa conveniunt.

16. Quod *ſpecialem*, vides inde, quod eadem ſit, quæ eſt Religio *revelata*, quæ ergo cum Naturali non convenit, quia pro fundamento non habet dictamen rectæ rationis, ſed revelationem, *revelatio* autem eſt vel *vera* vel *falſa*, inde non univerſalis, nam & Turcæ religionem revelatam prætendunt.

Imo

Digitized by Google

Imo & vera Revelatio ex falſa interpretatione periclitatur.

17. His ita præmiſſis, eò facilior via, deducendi leges, reſpicientes hanc obligationem, evadet, quo difficilior antea videbatur. Inſpiciamus modo in Religionem Generalem, & poſtea juxta eam leges noſtras condamus, in eo enim nunc totum artificium poſitum eſt.

18. Conveniunt itaque 1. gentes quod DEus tanquam potentiſſimus, ſapientiſſimus & maximus ſit honorandus & venerandus. Inde hæc lex noſtra eſt: *DEum honora & venerare.*

19. Conveniunt 2. quod DEus tanquam illorum & omnium bonorum autor ſit laudandus. Inde *DEum lauda.*

20. Conſentiunt 3. quod DEus, prout omnium datorem eſſe credunt, ſit invocandus; Inde *DEum invoca.*

21. Conveniunt 4. DEO tanquam largiſſimo & benigniſſimo datori gratias eſſe habendas. Inde, *DEO gratias age.*

22. Conſentiunt 5. DEO tanquam ſupremo Principi eſſe obſequendum. Inde *Deo obſequere.* Quam quidem legem ſolam ſufficere dicunt, tanquam omnes reliquas ſub ſe comprehendentem, quod & concedere poſſum, non tamen peccamus, quando diſtinctè & perſpicuè procedimus. Alias



Digitized by Google

& ſola lex fundamentalis ſufficeret, quia & hæc omnes reliquas, in ſe complectitur.

23. Conveniunt 6. DEum tanquam juſtum judicem atque vindicem, qui illos, ſi mala faciunt punire poteſt, eſſe timendum. Unde *DEum time.*

24. Conſentiunt 7. De DEO ſubmiſſe & cum ſumma Reverentia eſſe loquendum. Inde *Nomine DEI non temere utere.* Atque his legibus omnibus tu rationes ex illis addere poteris, in quibus Gentes conveniunt.

25. Jam adparet, *quid de Societate hominis cum DEO ſentiendum ſit*, ſane definitioni Societatis cum noſtris requiſitis applicari nequit, qua ratione hæc de Religione Naturali disquiſitio nullam ponit originem ex lege primaria, ſed tantum quæ diximus *Cap. 7. §. 22.* hujus neceſſitatem urgebant.

26. Adhuc præterea monendum eſſe arbitror, quod lex quinta & ſexta ſint illud præſuppoſitum ſeu *principium primum* Jurisprudentiæ Divinæ, de quo antea, hîc enim in obligatione erga DEum ſuum fundamentum habet.

27. Quando itaque illa, quæ de Religione Naturali dicta ſunt, ab aliquo non ſolum exercentur, ſed & firmiter creduntur, tunc ſecundum Jus Naturæ appellandus eſt *Vir bonus*, qui vero hæc omnia non exercet, & ſaltem quoad Religionem internam, neque credit, ille dicitur *Atheos.*

28. Sed *Atheiſmus* à *Gentiliſmo* differt. *Atheiſmus* eſt, qui ex §. *præced.* deſcribitur; *Gentiliſmus* vero, ubi revelatio DEI negatur, inde non nemo erravit, qui hoc Atheiſmo adſcripſit.



Digitized by Google

29. Athei autem vel ſunt *theoretici* ſeu ſpeculativi, vel *practici*.

30. *Theoretici* ſunt iterum vel *craſſi*, qui DEum non eſſe dicunt, & vivunt etiam quaſi DEus non ſit; vel *ſubtiles*, qui dicunt DEum non eſſe, vivunt tamen ac DEus ſit, quod duos dari Scriptores negant.

31. Practici ſunt, qui quidem non dicunt DEum non eſſe, vivunt tamen quaſi DEus non ſit, hos Hobbes, male nominat *hoſtes DEI*, alii vero *Rebelles ſubditos*, & rectè quidem.

## Cap. IX.

## *De Officiis hominis erga ſeipſum intuitu Sociorum.*

1.

CIrca hocce Officium homo ſtatim videt, quòd per illud nihil aliud intendatur, quam ut ad colendam Socialitatem ſeſe *aptum* reddat & *idoneum*, reliqua enim non in ipſo homine, ſed in officiis erga alios ſunt quærenda, quo pacto illi lex naſcitur: *Ita te geras, ut ad Socialitatem aptus ſis.*

2. Diximus autem ſupra, hominem eſſe animal ſuæ conſervationis ſtudioſiſſimum, quæ quidem ſui conſervatio illum non tantum intuitu aliorum impellit, ſed & ulterius ad *culturam ſui* extenditur.

3. Quomodo vero & hæc efficitur, ſi *notitia ſui* non præceſſerit? Recte enim dictum eſt, neminem

ad colendam Societatem *commodum* dici poſſe, qui ſeipſum cognoſcere prius non didicerit. Inde hæc lex eſt: *Noſce te ipſum.*

4. Cujus quidem legis ſenſus ab initio non ſtatim conſtat, qui tamen ſequenti modo non ita erit difficilis. Homo enim componitur ex *Corpore* & *animâ*, quæ duæ partes ejus eſſentiales ad ſui notitiam utique ſunt ſufficientes. Ne vero in his dirigendis peccet, ſibi ipſi ponit loco legis: *Ut animam & corpus ſuum ita conſervet, ut ad promovendam Socialitatem aptus inveniatur.* Si enim nullus hoc intenderet, tunc vel interitus humani ſexus jam eſſet ſecutus, vel brevi ſequeretur.

5. Ita neceſſarium eſt, ut primo ſeorſim noſcat *animum*, deinde *corpus*, ille enim tanquam pars hominis nobiliſſima præcedere debet.

6. Quod itaque animum concernit, ſtatim per ejus excellentiam profluit lex: *Culturam animi præfer culturæ corporis.*

7. *Animus autem quomodo eſt colendus?* Hoc quidem non difficilè eſt ſcire, modò diſtinctè procedamus. Poſſidet nimirum homo *bona* aliqua, per quæ animus eo magis excolitur, inde conſequens eſt, ut his rectè utatur. Quare eſt lex: *Bonis animi non abutere.*

8. Bo-

8. Bona animi ſunt vel *moralia* vel *naturalia. Moralia* conſiſtunt in exercitio virtutum, ergo, *Virtutes exerce.* Ne vero ab affectibus ſuis in hoc exercitio impediatur, neceſſarium eſt, ut illi ratione regantur. Inde: *Affectus tuos in poteſtate habeas*, præcipue vero compeſcas *Iram*, nam eleganter dicit aliquis, *homo tranquillus eſt homo longævus.* Reliqua vero, quæ hîc deſunt, ex libellis Ethicis ſupplebis.

9. Ad bona *naturalia* referuntur, quæ homini naturaliter inſunt, v. g. Intellectus, Voluntas, potentia videndi, & quæ ſunt ſimilia, circa hæc omnia peccatur ſemel in *exceſſu* ſemel in *defectu.* Quoad *exceſſum* oritur hæc lex, quæ etiam ad culturam corporis eſt applicanda: *Supra vires non nitendum.* ergo, quod non eſt in noſtra poteſtate, illud plane præterire debemus, & ſane ejusmodi homines, qui de impoſſibilibus cogitant, non riſum ſed miſericordiam aliorum cieunt. Quoad *defectum*: *Bona tua naturalia non fruſtra colloca.* Sic qui vitam nihil agendo conſumit, æquè peccat, quam qui malè conſumit. Inde potius maturè honeſtum vitæ genus eſt eligendum.

10. Verum hæc non tantum ſufficiunt, requiritur etiam, ut aliquis *capacitatem* ſuam *naturalem* conſervet, inde tene hanc: *Uſum rationis ti-*



Digitized by Google

*bi non eripe.* Quod vero ipſe homo non raro hujus cauſa ſit, quotidiana docet experientia.

11. Spectant etiam huc propter materiæ affinitatem *Bona corporis*, ut ſanitas, fortitudo, pulchritudo, & *Bona fortunæ*, Libertas, exiſtimatio, dignitas, divitiæ, quarum una ſemper alteri eſt præferenda.

12. Jam ad *corpus*. Ad cujus *durationem* requiritur conjunctio cum *anima*, in qua vita conſiſtit. *Anima* autem ita in corpore reſidet, ut, licet aliqua pars accidentalis abſit, nihilominus adhuc integra maneat. Quapropter ad hanc conſervandam membra illa, quæ propter periculoſam infectionem eandem tollere poſſunt, à reliquis partibus corporis ſecanda ſunt. Neque enim juvat, ſi morbus eſt internus, eo laborare velle perpetuo, ſed & hîc requiritur, ne ſic functiones animæ prorſus jacerent, ut ægroto per medicamenta, cujuscunque etiam ſint naturæ, ſuccurramus, inde naſcuntur hæ: *Vitam ſanitati præfer. Vitam & ſanitatem integritati membrorum præfer.*

13. Ex his oriuntur quatuor, diſtinctæ, ſed neceſſariæ quæſtiones, quarum. 1. *An homo ſit obligatus etiam ad vitam ſuam ſervandam?* quæ quæſtio jam *ex §. præced.* aliquo modo affirmatur, ſed nos ulterius progrediemur.

14. Sci-

Digitized by Google

14. Scilicet homo ſibi non vivit, ſed propter Societatem natus eſt; priori modo ipſius eſſet arbitrium, de ſe ſtatuere, quod vellet, ſed poſteriori utique ſtudere debet, ut vitam ſuam in commodum Societatis conſervet. Ille enim non ipſe ſibi dedit vitam, ſed DEus. Jam ex hoc opere creationis ſuo autori obligatur, ne ſeipſum eo privet, quod non ſuum opus eſt, alias enim committeret peccatum contra leges capitis præcedentis. Qua ratione illi lex eſt;

*Vitam tuam conſervare ſtude.*

15. II. Quæſtio eſt de Ἀυτοχειρία, ſeu, *An ſibi ipſi aliquis poſſit vitam eripere?* Quod nego, hoc enim eſt contra obligationem ex antecedente quæſtione DEO & deinde Societati debitam. Quandoquidem & hæc duas habeat exceptiones, partim quoad *virgines ſtuprandas*, quarum propricidium excuſatur, ſecus tamen ſi ſtupratio jam peracta eſt; partim quoad illos, quibus in *Contumeliam DEI* mortem parant alii, his, ſi ſeipſos necarunt, crimen propricidii non competit, modo tamen de ea contumelia certò conſtet. Neque à propricidio excuſatur ille, qui ope aliorum ſe interficit, fluit inde lex:

*Vitam tibi ipſi non eripe.*

16. III. Quæritur: Utrum ille ſit excuſandus, qui vitam ſuam pro *Patriâ, pro Principe, Patre, benefactore, viro ſummo vel amico ſuo exponit?* Ubi quidem ante omnia ſelectus inter haſce perſonas faciendus eſt. Sic principi magis obligati ſumus quam benefactori, Patri magis quam amico. Secernenda ſunt etiam facta ipſa, an per nos certò ex periculo posſint redimi vel non, his

enim

Digitized by Google

enim cognitis, obligatio noſtra nos eo ducit. *Vitam ſi neceſſitas poſtulat, pro patria, pro principe, pro patre, benefactore, viro ſummo & amico eſſe exponendam.* Et ſane tribus prioribus modis non tantum *rectè*, ſed & *honeſtè* facimus, poſteriori autem modo ſcimus, quod vita noſtra in uſum ſocietatis ſit conſumenda.

17. IV. Quæſtio eſt: *An licitum ſit nos contra alterum defendere?* Sed hic diſtinctè erit procedendum; vel enim ab altero lædimur *verbis* vel *factis*. Si verbis, quæritur an uti liceat *Retorſione*? Si factis, an *Defenſione*.

18. Circa *Retorſionem* ab initio dicis quod non. Sed ſi eſſet peccatum contra jus naturæ, tunc ille, qui magis colit Conſcientiam, ea quidem abſtineret, verum alter malevolus inde haberet occaſionem ulterius maledicendi. Deinde ad oſtendendam naturalem illam *æqualitatem* inter homines eſt licita, nemo enim præſumitur læſus fuiſſe, qui retorquendo ſe alteri æqualem judicat. Poſtea *fama* & *exiſtimatio* alterius læſa per hunc modum reparata intelligitur, quapropter dicitur apud nos, Eine abgetrungene Ehren-Rettung.

19. Ad juſtam autem Retorſionem requiritur 1. *idem tempus*, ut ſcilicet ſtatim, poſtquam aliquis læſus eſt, retorqueatur, non vero ut aliud tempus expectemus. 2. *eadem verba*, ſic quando aliquis

quen

Digitized by Google

quendam appellat cornigerum, tunc iſte per adulterum retorquendo, valdè peccat. 3. *idem modus*, non ergo per inſtrumenta aut alia facta, inde illi, qui aliquem nominat Tartuffum, non alapa infringenda, ſed ſimili modo retorquendum erit.

20. Sequitur *Defenſio*, ubi iterum diſtinguendum eſt, vel enim alter me aggreditur cum *animo interficiendi, vel non.* Præſumtio pro his duobus modis ſunt *inſtrumenta*, quibus utitur. Sic, ſi habet gladium, ſclopetum, fuſtem, tunc præſumo, illum internecionem meam hiſce intendere velle. Quando vero manu, vel alia levi re me laceſſit, præſumo pro aliquo certamine inter nos.

21. Hoc ultimo caſu defenſio eſt juſta, quando fit 1. *eôdem tempore.* 2. *eôdemq́ modo*, vel per aliquod æquivalens, & ſi hoc haberi nequit, per manum. Inde falſum eſt, quod dicitur, *Alapam* reparandam eſſe per mortem illius, qui eandem infregit. Nec concedes, arbitror, virginem cum ſtupratoris internecione *pudicitiam* defendere poſſe, quia inter eam amiſſam, & vitam amiſſam, magna intercedit differentia. Nam prior etiam per matrimonium vel aliud quoddam reparatur, ſed vita ſemul amiſſa reparari nequit. Propterea tamen illis non omnem negamus defenſionem, ad quam, cæteris paribus, ſuſcipiendam, non tantum laudandæ ſunt, ſed etiam omnium adſenſum recipiunt.

22. Aliena ſunt ab his dicenda, ſi aggreſſor *membrorum mutilationem* quærit, cui non raro periculum vitæ eſt conjunctum. Inde & hoc loco cum *Internecione* alterius me defendere poſſum.

23. Altero caſu, ſi mors mea intenditur, quæſtionem non indiſtinctè affirmo. Antea enim *perſona*; *quæ me aggreditur*, conſideranda eſt. Si eſt *Princeps meus*, ex *capite imperii* ne quidem reſiſtere debeo. Si alius princeps quam meus, tunc eſt vel in *ſuo territorio*, vel *extra* illud: Priori caſu pari modo obligatus ſum ad non reſiſtendum, poſteriori vero reſiſtere poſſum, quia in imperium hujus, quid? quod etiam jam ceſſat, nunquam conſenſi; non tamen, ſi fieri poteſt, propter reſpectum aliquem, cum ejus internecione.

24. Si eſt *Miniſter Principis*, vel alius *Societati neceſſarius vir*, tunc & hîc reſiſtere poſſum, licet cum alterius internecione. Modo ejusmodi homini non ſit mandatum à Principe. Nam alias talis miniſter & dignus vir, eſt quidem neceſſarius Societati, & regulariter etiam ejus augmentum promovere debet, ſed præter illum dantur adhuc non pauci, ſed *multi* ejusdem capacitatis homines, qui hujus defectum facile ſupplebunt. Et quod ſuper eſt, eo ipſo, quo me iſte interficere cupit, non ſupplere, ſed corrumpere & mutilare Societatem ſtudet, quo pacto & indignum ſeſe alicujus beneficii reddit.

25. Si aggreſſor eſt *pater*, excuſatur filius, ſi ſe interfici patitur, neque ut *αὐτόχειρ* conſiderandus eſt. Sed hoc ſimul quæro, *ſi ſe defendit, an peccet?* Sane ſi defenſio cum offenſione ſimul eſt conjuncta, tunc adverſatur naturæ, ſtatuere velle, patrem â filio poſſe interfici; Si vero defenſio tantum *ad reſiſtendum* ſuſcepta eſt, filius hoc caſu non erit accuſandus, ut appetens patris vitam.

26. Quan-

Digitized by Google

26. Quando verò invaſor eſt *Dominus*, *benefactor, amicus* vel *alius* quiſpiam, tunc præter licentiam *reſiſtentiæ*, ſimul usque ad internecionem alterius me defendere poſſum, nam priores non quærunt amplius meum *commodum, ſed interitum* potius, & eo ipſo, quo me aggrediuntur, ſe declarant hoſtes, *hoſtes autem hoſtilibus ſunt afficiendi.*

27. Ut vero hæc defenſio juſtè inſtituatur, opus eſt, ut is, quem alter eſt aggreſſus, ſe contineat in circulo *moderaminis inculpatæ tutelæ*, quod adeo eſt *temperamentum, per quod aliquis de licito & juſto modo ſuæ defenſionis certus eſt.*

28. Iſtud autem temperamentum aliter inſtituitur in ſtatu *naturali*, aliter in *Civili.*

29, Utrisque convenit 1. *Transactio*, & ſi hæc acquiri nequit 2. *Aditus incluſio*, ſi & hic obtineri nequit 3. *Fuga*, nam æquius eſt, ſi commodè fieri poterit, fugere, quàm aggreſſorem occidere. Fuga verò fugienti non eſt turpis, nam ſi qua forti & generoſo viro indigna videtur, magis in facto, quàm jure conſiſtit.

30. Sed ſi & fuga commodè fieri nequit, ſubſiſtendum eſt, & quidem in *ſtatu naturali* alterum cum nece repellere licet, hîc enim læſo adverſus hoſtem jus competit in infinitum, imò jam valet regula: *melius eſt prævenire, quam præveniri*, ita, dum quis tantum ſe parat ad nocendum, poſſum nocendo eum prævenire.

31. In *ſtatu Civili* eadem adhuc obtinent, cum hâc tamen diſtinctione, quod tempus defenſionis demum *incipiat*, quando aggreſſor inſtrumenta jam



Digitized by Google

verſus me dirigit, vel in eo eſt, ut noceat, & deinde deſinat ſi ipſe nocere deſinit.

32. Omnia hæc etiam adverſus invaſorem *errantem* locum habebunt, nam licet ille erret in perſonâ, non tamen errat, ut ita dicam, in facto, quia ejus voluntas eſt alterum occidere.

33. Quando verò ille, quem alter aggreditur per *injuriam*, aggreſſori *occaſionem* ad offendendum dedit, tunc ipse prius videat, ut per aliquod æquivalens alteri fiat ſatisf[illegible]. Si illa æquô modô oblata recuſatur, contra vero alter me lædere incipit, ego extra culpam conſtitutus, & cum internecione etiam ejus reſiſtere poſſum.

34. Ab hâc ſui defenſione non aliena eſt *defenſio rerum mearum*. Si autem res mea jam eſt *ablata*, poſſum in ſtatu *naturali* per violentiam alterum ad reſtituendum cogere. Sed in *Civitate* implorandum eſt auxilium magiſtratus. Si verò ibidem alter rem meam nondum abſtulit, permiſſum eſt, adhibitis inſtrumentis illum repellere, & ſi nullus auxiliari poteſt, licitè occidere, atque inter hos refero etiam *prædones* & *fures nocturnos*.

35. Ex eis, quæ circa hanc quartam quæſtionem dicta ſunt, ſequentes formo leges: *Iniq; injurianti retorq;. Contra malum aggreſſorem vitam tuam tuere.* Et in his duabus legibus mera eſt æquitas, quia profectò, ſi ejusmodi perverſis hominibus ex ratione naturali non obſtarent, illi ad turbandam Societatem omni die alios offenderent.

CAP.

# CAP. X.

## *De Officiis Hominis erga alios intuitu cuſtodiendæ æqualitatis.*

I.

IN demonſtrandis legibus *quorumlibet erga quoslibet* præcipuè réſpiciendum eſt *ad fontem* illum, ex quo tanquam communi rivulo omnes fluere debent. Ad hunc autem ea, quæ in præcedenti capite probata ſunt, commodam præbebunt occaſionem.

2. Scilicet dictum eſt, homini *amorem ſui* non tantum neceſſarium, ſed & præceptum ſimul eſſe, & omnes etiam hunc crepant, ac nemo eſt, qui hâc parte jure ſuo cedere vellet.

3. Hic vero amor omnes ſtimulat ad jura naturalia *æqualiter* participandum, quia quilibet æque ſe dignum, quam alterum iis judicat.

4. Non vero hæc ſufficiunt, ſed cuncti inſuper ſe in hiſce juribus *conſervare* ſtudent.

5. Et præterea multum adhuc contribuit *æqualitas* illa *naturalis*, quâ homines ratione poteſtatis & dignitatis à naturâ inter ſe erant æquales. Quam nec usque adhuc obliviſci volunt, poſtquam hic ſtatus naturalis è Republica exulavit. Spectat huc quæſtio, *quod non dentur ſervi naturâ*.

6. Hæ & aliæ non paucæ rationes clarè docent, *naturalem æqualitatem* ineſſe omnibus hominibus



Digitized by Google

etiam, *de juribus inter ſe in univerſum communicandis*, quibus ſinguli ſe dignos eſſe exiſtimant. Quapropter, ut tranquillitas cum aliis, quicunque ſint, conſervetur, hæc lex eſt primaria: *Alium hominem, ut æq; dignum hominem legibus tecum participandis, agnoſce.* Ideo præcipuè æqualitas iſta in eo verſatur, ne ego operis meis alterum è communione juris excluderem. Imò ſi quid ipſi detrahere volo, non propterea conſtituo inter nos *inæqualitatem*, quia ego hanc efficere non poſſum, ſed ſi quid facio, dicitur tantum, *me læſiſſe jus alterius.*

7. Hoc pacto æqualitas *Hobbeſii* hûc non ſpectat, ille enim eandem ad *paritatem virium* reſtringit, tanquam cauſam, cur ſe invicem homines metuere debeant. Neque pertinet huc, conſtitutis Rebuspublicis, æqualitas *poteſtatis* & *dignitatis*, quia oppoſitam habent *inæqualitatem*. Quæ tamen, prout conſideramus hominem in ſtatu naturali, hîc commodum ſibi locum vindicat.

8. Ut vero noſtra hominum inter ſe æqualitas in actum deduci poſſit, ſtatim oritur lex: *Jus nullius læde.* Ubi vocabulum *læſionis* ſignificat *omnem denegationem juris alteri competentis*, & ita cunctas læſionis ſpecies complectitur, cum hac vero lege convenit hæc affirmativa; *Jus ſuum cuiq; tribue.*

9. Exe-

Digitized by Google

9. Exerit autem ſeſe harum Exercitium non tantum in ſtatu *naturali* ſed & in *Civili* ſeu Reipublicæ.

10. Modus tamen adhuc eſt incognitus, ſed quem alii invenerunt, diſpeſcentes leges in eas, *quæ ex communi obligatione legis fundamentalis citra omne pactum proveniunt, vel poſt aliquam conventionem demum oriuntur.* Alii appellant priores *abſolutas*, poſteriores vero *hypotheticas*, alii rurſus abſolutas nominare maluerunt *connatas*, hypotheticas vero *acquiſitas.*

11. Utrique ſanè eleganter, qui tamen poſtea in has duas claſſes genera officiorum non ita *artificiosè*, prout natura diſciplinæ poſtulat, collocarunt, & quantùm mihi conſtat, in ipsô ordine capitum inter ſe non convenerunt.

12. Alius *ſecundum Decalogum* præcepta concinnavit, quod bellè factum eſſet, niſi methodus ejus juri noſtro, in quo à generalibus ad ſpecialia progrediendum eſt, planè adverſaretur. Decalogus enim eſt voluntas DEI revelata, jus naturæ vero tacita, tacitam autem quomodo perfectè intelligeremus, niſi præmittenda præmitteremus. Alia, quæ circa hanc methodum monenda ſunt, tacebo.

13. Nos vero, ſalva aliorum Authoritate, ex libertate nobis relicta, illum ſequemur ordinem, qui rationi noſtræ magis arridebit, præcipuè, quia credimus, eundem ad captum omnium eſſe accommodatum. Sic itaque habeto.

14. Officia quorumlibet erga quoslibet ex legibus æqualitatis deducenda ſunt vel intuitu *mei* tantum, vel intuitu *alterius* tantum, vel intuitu *noſtrûm* ſimul.



Digitized by Google

15. Intuitu *mei*, quando leges æqualitatis me obligant ad ea, alteri homini facienda, ad quæ ille nihil confert vel reddit, quod fit, 1. *ut ego me in Sermone adverſus alterum juſtè agam.* 2. *ne eundem damno afficiam.*

16. Intuitu *alterius*, quando leges æqualitatis me obligant ad ea alteri homini facienda, ad quæ ego è meis nihil confero, quod fit 1. *ut ego utilitatem alterius promoveam, per officia humanitatis.* 2. *ne illum in uſu rerum ſuarum impediam*, quod officium complectemur in capite de appetitu dominii.

17. Intuitu *noſtrûm* ſimul, quando leges æqualitatis me obligant ad ea alteri homini facienda, ad quæ ego & alter è noſtris aliquid conferimus, quod fit, 1. *ut juſtè in paciſcendo me cum altero geram.* 2. *ne illum in permutatione circumveniam ratione pretii, juſtè conſtituendi.*

18. Hæc itaque noſtra officiorum partitio cum §. 10. in eô convenit, quod *unilateralia*, quæ ſunt duo genera priora, nullum quidem pactum ſupponant, ſed *bilateralia* aliquod ſequantur.

## Cap. XI.
# *De Officiis Hominis erga alios intuitu Sermonis.*

I.

*SErmo differt à Signis.* *Sermo* eſt vox articulata, quâ homines inter ſe ratiocinantur. *Signa* ſunt teſtimonia, quibus voluntas noſtra declaratur.

Reli-

Digitized by Google

Reliqua præſupponimus. Jam ſumus ſoliciti de *uſu* Sermonis in jure naturæ, ubi, ſi ad legem fundamentalem recurrimus, talem habemus legem:

***Sermone & Signis utere in commodum & tranquillitatem aliorum.***

2. Signa vero ſunt vel *naturalia*, quibus aliquid naturâ ſic ducente ſignificatur, ut aurora eſt ſignum diei, vel *adventitia*, quæ ex conventione aliquâ inter homines valent, eaque vel *generalia*, circa quæ omnes omnio conſentiunt, vel *ſpecialia*, quibus unus vel alter populus propriis utitur. Ad priora referre poteris nutus, quibus aliquid affirmatur; ad poſteriora pileum, quo caput aperimus, in ſignum reverentiæ.

3. Ab his *ſignis voluntatis* noſtræ diverſa ſunt *ſigna ſermonis*, quæ *voces* vel *vocabula* appellamus, eaque ſunt vel *vulgaria*, quæ omnes populi, qui unam loqvuntur linguam, intelligunt, vel *artificialia*, quibus utuntur artifices.

4. *Vis vocabulorum* ortum trahit ab *impoſitione*, ita ſicuti ſemel ſunt recepta, & tu retineas. Nam alio modo hac parte converſatio inter Socios profectò turbaretur, & exercitium ratiocinationis impediretur, ſi libera vocabulorum impoſitio cuilibet eſſet relicta.

5. Certè enim, ſi ego aliter verbis útor ac uſus docet, tunc alios magis circumvenio, quàm quod illis meam voluntatem declarem, inde lex eſt:

*Vocabulis in eâ ſignificatione utere, circa quam inter Socios conventum eſt.* Quæ non tantum ad voces vulgares ſed & artificiales extenditur. Eundem enim fructum expectabimus, ſi notiones ſecundas in alium ſenſum retorquemus, vel novas, easque inauditas, invenimus.

6. Sic noſtra lex arguit vocabula *noviter conficta*, & his contraria *obſoleta*, *peregrina*, *ambigua*, *dubia* &c.

7. Ex *multis autem* vocabulis fit *Sermo integer*, qui juxta legem primam ita dirigendus eſt, ut alter fructum indè percipiat. Quâ ratione, præter vocabula interdicta, excludimus etiam *Sermonem ambiguum* vel aliud genus Sermonis, quod obſcuritatem parere poteſt.

8. Sed hæc quidem ſunt theoretica, ubi ad verba tantum reſpicitur. Seqvuntur Realia ſeu *res verbis declaranda*, propter quas præcipuè verba inventa ſunt.

9. Hæc vero *Realia* in Intellectu quaſi generantur, utpote cujus, quemadmodum ab initio diximus, hoc officium eſt. Indè alter, cum quo ſic ratiocinari ſoleo, eo ipſo, quo illum alloquor, pro certo credit, verba cum animo meo convenire, quo pacto hæc lex eſt: *Ita loquere, ut verba cum animo tuo conveniant.* Nam alio modo iterum eum potius circumvenirem.



Digitized by Google

10. Sed verba etiam conveniunt cum animo, *pravè diſpoſitio*, ſi intentionem habeo alterum decipiendi. Ita adhuc ſpecialiter requiritur, ut animus etiam *juſtè ſit diſpoſitus*, hæc autem juſta diſpoſitio animi cum vocabulis uno verbo appellatur *Veritas*. Inde lex eſt: *Veritatem loquere.* Hæc dicitur *veritas moralis* & eſt hujus loci, prior vero eſt *veritas logica*, quam per illam excludimus.

11. Huic opponitur *Mendacium* & *Falſiloquium*. *Mendacium* eſt, quando verba aliam præferunt ſententiam animi noſtri, quam quæ revera eſt & alter ſimul eorum qualitati & quantitati confidit, quod propterea eſt injuſtum: *Falſiloquium* eſt, quando verba quidem præferunt ſententiam animi noſtri, alter vero diverſum à cogitatis ſenſum concipit, v.g. quando fabulam vel rem fictam credit pro re vera. Circa hujus Juſtitiam lex eſt: *Falſiloquio non utere, quando per id jus alterius læditur*, inde judicandum eſt, *an infantibus & amantibus falſa loqui licitum ſit*? imo, *an pro ſalute aliorum falſum dicere fas ſit*? & quæ ſunt aliæ.

12. Cum hoc affinitatem habent *Simulatio*, quæ quæſtiones eſt, quando aliquid per taciturnitatem prætereo, quod, ſi voluiſſem, præterire non debuiſſem, & *diſſimulatio*, ubi non tantum per Sermonem, ſed & per ſigna externa ita me gero, ac animus meus iisdem conveniat, licet longè ab his alienus ſim. De harum juſtitia quidem prolixè quærere nolo, modo adhibeamus diſtinctionem inter ſimulationem & diſſi-

diſſimulationem, quâ *alterius jus læditur* & non læditur. Priori caſu eſt injuſta, poſteriori vero non juſta tantum, ſed & laudabilis. Exemplum cape de maritis, qui ſtrenuas habent uxores, illi hoc modo pacem domeſticam adhuc conſervare poſſunt quæ aliter vix & ne vix quidem ſubſiſteret.

13. Et ſane ſi aliquis hiſce cum judicio uti poteſt, absque dubio nomen meretur *Prudentis*, prudenter enim is facit, qui illa, quæ, ut urgeantur, non ſunt de tempore, ſimulat vel diſſimulat.

14. Ex illis quæ dicta ſunt alii varias formarunt quæſtiones, cujusmodi & hæc eſt: *Quod illis, qui Civitati præſunt, pro juſto relictum ſit, arcana Reipublicæ falsò ſermone in aliud deſtinatum mutare*, quia, ſi propalentur, damnum ſentiret Reſpublica. Sed reliquas infrà ſuo loco, & quæ ad materiam juramentorum ſpectant, in peculiari Capite commodius recenſebimus.

15. Sed duæ tantum adhuc disquirendæ ſunt, quarum prima eſt de *moralitate Sermonis*, ſeu quando tacere vel loqui debeamus, ne impingamus in obligationem Societatis, ubi has leges jam alii propoſuerunt, quarum prior ita ſeſe habet. *Tace, ſi per loquelam tuam offendantur alii, aut damnum præter meritum incurrant, aut humanitas vel pactum vel in genere pax communis taciturnitatem exigant.* Altera vero:

*Loque-*

*Loquere, quoties ex humanitate, vel pacto ad loquendum obſtrictus es, vel taciturnitas damnum vel contemptum alteri infert, aut tranquillitatem lædit.*

16. Poſterior eſt, *quomodo ego ſermonem alterius rectè intelligere poſſim,* qui modus æque ad Societatem conſervandam eſt neceſſarius ac prior erat, & fit per *Interpretationem,* nam hæc eſt *expoſitio* vèrborum. Exponimus autem *1. Sermonem alterius. 2. Verba ſcripta alterius. 3. Pacta hominum. 4. Deniq; leges Principis.*

17. De Interpretatione *legum* tam divinarum quam humanarum, agemus ſuo loco, non vero hîc in Jure naturæ, licet regulæ ipſæ in præſenti jure ſint fundatæ. Nullus enim jam harum uſus eſt, quas propterea in aliis partibus expectabis.

18. De Interpretatione *pactorum* atqve *ſcriptorum* dicemus infrà. Reſtat itaque Interpretatio Sermonis.

19. Ubi ſtatim eſt notandum, quod Sermo *perſpicuus* eâ non opus habeat, reliquus ergo eſt ſermo *obſcurus.* Obſcuritas accidit in verbis §. 6. citatis, inde ad horum expoſitionem in genere obtinet regula vulgatiſſima. *Verba ſunt intelligenda ſecundum ſubſtratam materiam,* ſic, de quâ re quis loquitur, ad illam verba ſunt vel extendenda vel reſtringenda vel ſaltem referenda. Plures verò regu-

las

Digitized by Google

las dare prohibeor, quia ſermo eſt fluidus, & verba præterita citiùs obliviſcimur, quam quod juxta multas leges metiremur. Et poſito, ex hâc ſolâ aliquem non poſſe proficere, interroget alterum, quid per hæc vel illa verba intellexerit, nam *quilibet verborum ſuorum optimus eſt interpres.* Quomodo vero Germanus Gallum ſine lingua Gallica posſit intelligere, hoc, niſi ex ſignis percipies, in æternum per regulas docere nequeo.

## Cap. XII.

# *De Officiis hominis erga alios intuitu damni intermittendi.*

I.

D*Amnum* ſumitur vel *generalisſimè* & tunc cum læſione ex §. 7. *Cap. 10.* convenit, vel *generaliter* pro læſione ſaltem alterius *perſonæ* vel *rei.*

2. Jam autem coërcet lex fundamentalis id ipſum, quod damnum dicitur, coërcent etiam leges æqualitatis, quâ ratione hæcce absque longis ambagibus naſcitur: *Neminem damno afficias.*

3. Variis autem modis aliquem damno afficimus, quos omnes includimus damnis, quæ juxta §. 1. fiunt *perſonæ* vel *rei* ſine antecedente pacto vel aliâ conventione. Inde ſequentia quinque capita hanc

hanc legem tanquam fontem ſemper præſupponunt. Ipſum autem damnum damus partim *ipſi* vel *ſoli* vel *cum aliis*, partim per *alios* tantum.

4. *Perſonæ* fit 1. quando mihi plus tribuo, quam alteri, quod fit per *ſuperbiam* vel *contumeliam*. 2. quando alium *injuriâ* afficio.

5. Sed inter ſuperbiam & contumeliam hæc differentia oritur. *Superbia* eſt, quando me præfero aliis; Contumelia eſt, quando adhuc alterum ſimul contemno.

6. Superbia vero vel *absque* contumeliâ inſtituitur, vel *cum* contumelia eſt conjuncta.

7. Illa iterum in *ſtatu civili* vel *juſta* eſt, quando certas easqve juſtas habeo rationes, ut me alteri præferam. v. g. Princeps ſe præfert ſubdito, doctus ruſtico. Sed hæc prærogativa nomen ſuperbiæ plane amittit.

8. Dicis, hoc eſt contra æqualitatem, quam inculcaſti antea. Verum tu meminiſſe debes, æqualitatem illam reſpicere ad æqualitatem jurium non poteſtatis vel dignitatis, nam hæc duo genera, non repugnante jure naturæ, in republicâ inæqualitatem conſtituunt.

9. Vel *injuſta*, ſi hæc contra ſe habent, & ego nullum juſtum prætextum poteſtatis vel dignitatis præ altero prætendere poſſum, quorſum ſpectat ſtatus *æqualitatis*: ad hanc exuendam lex eſt:

*Superbiam vita.*

10. Illa, quæ cum contumeliâ conjuncta eſt, non *injuſta* tantum, ſed & intolerabilis dicitur, atq; non ſolum æqualitati naturali ſed & juris etiam, imò

Socie-

Societati eſt adverſa, inde lex eſt: *ſuperbiam cum contumeliâ conjunctam, vita.* Quæ lex & ſolam etiam contumeliam coercet. Ea autem fit, *verbis*, *factis*, *ſignis*, *vultu*, *riſu*, *dono*, *picturâ* vel alio denique modo.

11. Sequitur *Injuria*, quam ſi ex hxpotheſi juris Romani in *verbalem*, de *qua in Cap. præced.* §. *15.* & *realem*, quæ hujus loci, imò & hanc in eam, quæ fit perſonæ vel rei, dividis, non refragabimur.

12 Injuria præſens eſt *damnum*, quo *læditur perſona alterius.* Sed jam non de læſione defenſioni & offenſioni conjuncta, *de qua in Cap. 9.* Sed de læſione, quæ fit per ſolam offenſionem tantum, ſumus ſoliciti.

18. Offendimus autem alterum vel *phyſicè* vel *moraliter.*

14. *Phyſicè* 1. ſi illum *interficimus.* Jam cædes, quia eſt contra legem fundamentalem & Societatem imminuit, talem gignit legem: *Neminem occide.* 2. Si *membra* ejus *mutilamus*, ubi propter periculum vitæ conjunctum, eadem eſt ratio, *inde*: *Neminem vulnera.*

15. *Moraliter* etiam offendit aliquem *raptor*, *adulter*, *ſtuprator*, *fraudator*, qui omnes damnum dant, & propterea ex lege de damno non dando coërcentur.

16. Jam ad *Rem*, quæ hoc loco eſt omne id, quod non eſt perſona, quodque alter in poteſtate habet.

habet. Perſonæ autem intuitu *Rei* damnum fit, 1. Quando illi eandem vel adhibitâ vi, vel fraude eripimus, & in noſtros uſus conferimus, qui modus damni dicitur *Furtum*. Quod ſi à jure naturæ eſſet permiſſum, homines ad aliena avidi, quotidiè furarentur, quapropter prohibentur hâc lege. *Furtum ne facias.* 2. quando rem alteri non quidem auferimus, corrumpimus tamen & deterimus, ut poſtea ad nihil prodeſſe posſit, quod ex eadem ratione interdicit lex: *Rem alterius ne corrumpas.*

17. Ad damna tam perſonæ quam rei, pertinent quævis *Crimina*, quibus aliquem lædere poſſumus, quæ omnia legi de damno non dando ſunt incluſa.

18 Quando vero damnum datum eſt, obligatio Societati debita, & leges æqualitatis requirunt, ut lædens læſo ſatisfactionem offerat, nam crudeliter ſanè geſtum eſſet, ſi aliquis actione injuſtâ commiſsâ, non ſimul in eo eſſe velit, ut injuſtitia ſuæ actionis per aliquod medium deleretur. Nam *injuſtitia tollitur per juſtitiam*, quod axioma infra etiam circa pœnas locum ſuum habebit.

19. Itaque ſtatim eo ipſo, quo alter læſus eſt, damnum datum reparetur.

20. Sed modus reparationis, quomodo eſt inſtituendus? ſanè leges humanæ ipſum determinant. Annon & leges naturales? quod videbimus.

21. Ipſum præceptum de damno reſarciendo hanc legem inculcat: *Cui damnum eſt da-*

*tum, illi ſatisfacias*, cum hâc itaque lege ad ſpecialia erit recurrendum.

22. Quando aliquis à nobis *Contumelia* eſt affectus, tunc ad illum deprecatum ire debemus, cum adjectâ clauſulâ, hanc impoſterum eſſe intermiſſuros.

23. Verùm *Occiſo* vita reparari nequit, ergo ſatisfactio ad vitam recuperandam ceſſat, tenetur tamen homicida ad impenſas illis reſtituendas, qui vitam læſi conſervare adhibiti erant, imò & tenetur illos alere, qui ex hâc morte detrimentum ſentiunt. Tenetur inſuper in Civitate, ſicut reliqui in ſequentibus, ad pœnam perferendam, de quâ infra.

24. *Vulnerato* ſatisfactio fit primò, per vulneris curam ex propriis impenſis & mediocrem æſtimationem lucri, per tempus morbi non intercepti. Deindè ſi fortè corpus *mutilatum* eſt, ſecundum circumſtantias vel per generalem mutilationis æſtimationem, vel etiam per ſtipendium ad tempus vitæ.

25. Qui *moraliter* damno affecti ſunt, habent juſtam rationem ſatisfactionem petendi, quam & lædens juxta æquam pariter, ac juſtam æſtimationem læſo offerre debet.

26. *Rem* autem qui alteri *abſtulit*, tenetur ipſam reddere, & ſi amplius illam non poſſidet, tradere aliquod æquivalens. Qui corrupit, eam reſtituere vel aliam ejusdem bonitatis offerre debet. Atque ſic in omni damno lædens ſeſe gerat, niſi contra legem de damno non faciendo peccare velit.

27. His

Digitized by Google

27. His ità breviter expoſitis, ad *contraria* damni progredimur. Damno autem communiter opponitur id, quod eſt *utile* & *commodum*, quorum tractatio, ſi talia per ea intelligimus, quæ ſinè noſtris impenſis fiunt, ſpectat ad caput ſequens, cujus & cum præſenti hoc modo eſt connexio.

28. Sed nos ſumus ſoliciti de *Utilitate*, quæ tantum intuitu mei, absque operâ alterius ſimul conferenda proficiſcitur, & dicitur *Donatio;* quemadmodum enim per damnum aliquid aufero, ita per donationem contra aliquid alteri addo.

29. *Donatio* autem differt à *beneficio*. Nam *Beneficium* eſt, quando vel affirmativè vel negativè absque detrimento meo alterius utilitatem promoveo, quod adeo ſpectat ad caput ſequens. *Donatio* eſt, quando aliquid gratis in alterum confero; Quandoque tamen, ſed minus ſtylo philoſophico, promiſcuè uſurpantur.

30. Cui vero Donatio ſit conferenda, præcipitur hâc lege, *Egentibus dona danda ſunt*, nam qui omnia ſuperfluè poſſident, iisdem non opus habent.

31. Et hæc quidem Donatio, jure Naturæ ſic diſponente, jus parit 1. *imperfectum*, quia alter me ad hanc regulariter cogere nequit, ſed illam potius pudori meo relinquit implendam.

32. Sed nonnunquam & alter certis caſibus ad eandem poſtulandam jure utitur 2. *perfecto*, ad quod tria requiruntur 1. ut ego poſſim eo, quod petitur, ſine damno meo *commodè* carere 2. ut alter

ſine eo ſit interiturus 3. ut à nullo, quam à me, poſſit conſequi. Exemplum cape de paupere, qui tempore annonæ, ſummâ laborans fame, ab eo, qui magnam frumenti copiam poſſidet, panem poſtulat.

33. Huc ſpectant etiam res *innoxiæ utilitatis*, ſeu mihi ſuperfluæ & inutiles, quas jus naturæ corrumpere interdicit, ſi aliis prodeſſe poſſunt, inde conſequens eſt, ut eædem illis, ſi qui poſtulant à nobis, indulgeantur.

34. Beneficii & Donationis conſequens eſt *Gratitudo*, de qua mox. Hàc itaque parte hæ duæ inter ſe conveniunt.

# CAP. XIII.

## *De Officiis hominis erga alios, intuitu promiſcuorum Officiorum humanitatis.*

I.

PEr hæc intelligo *Officia, per quæ quilibet erga quoslibet obligatus eſt, ad horum utilitatem & commoditatem gratis promovendam.* Non tantum enim ea, quæ dicta ſunt, ſufficiunt, ut nos erga alium juſtè geramus, ſed & inſuper requiritur, ut etiam alterius commodis & neceſſitatibus ſuccurramus, quâ ratione lex noſtra erit: *Alterius utilitatem promove.* Addo ſtatim, quantum ſine tuo detrimento potes.

2. Quem-

Digitized by Google

2. Quemadmodum verò priores duæ obligationum ſpecies utique regulariter ſunt perfectæ; ita è contrario hæc poſtrema *regulariter* eſt *imperfecta*: Et leges naturales propterea non ita exactè hujus imperfectæ exercitium urgent, quâ ratione & illi vocabulum *Humanitatis* eſt impoſitum. Quod ſi latè accipies & Donationem ſub ſe complectetur, quod fit in capite Gratitudinis. Dixi porro *regulariter*, quia, ut jam videbimus, officia humanitatis non raro pariunt jus *perfectum*.

3. Per omnem humanitatem nihil aliud ſignificatur quam *Beneficium*, quatenus in præced. Cap. §. 24. eſt definitum; ita quoties alicui id exhibemus, toties exhibebimus humanitatem. Inde fluit lex: *Beneficia illis præſtanda ſunt, qui iisdem opus habent.* Inde non ſemper expectandum eſt, priusquam ad ea vocemur, ſed humanitas à nobis exigit, ut ſponte aliis ſuccurramus.

4. Alteri itaque fit humanitas 1. ut illum *corrigam & informem*, tam quoad animum, quam quoad corpus. Inde lex eſt: *Alterum, ſi neceſſitas poſtulat, corrige & inſtrue.* Sed correctio cum contumeliâ nunquam debet eſſe conjuncta, quia ſic eſſet exprobratio vitii, non amica admonitio erroris. Per juſtam autem correctionem utique alterius utilitatem promotum imus, quia alteri *malum* iſtud, quo indignum ſe plane reddebat



Digitized by Google

Societati, cognitum ſit, ut tanquam Socio diſplicens, emendet.

5. II. Ut *defendam*, non tantum contra injurias aliorum, ſed & contra omnia reliqua pericula, in quæ aliquis incidere poteſt, quâ ratione lex erit: *Alterum defende.* Ad hanc autem efficiendam exindè obligati ſumus, quia natura nobis ejusmodi organa conceſſit, quibus aliis auxiliari poſſumus; & præcipuè obligatio erga alios tam eſt prægnans, ut, cæteris paribus, obligationi nobis debitæ, ſit præferenda, non enim nobis ipſis vivimus, ſed aliis.

6. Quo pacto hæc obligatio ad defendendum alterum, partim eſt *perfecta* ſeu quam lege ſic poſtulante facere debemus, vel *imperfecta* ad quam lex nos non obligat.

7. *Imperfecta* eſt. 1. quando alter non opus habet mea defenſione. 2. quando quidem eá opus habet, ſed ego pro certo prævideo, me vel illum non poſſe redimere vel prorſus cum eo eſſe interiturum; tunc enim melius eſt, me ſalvum manere, quam cum altero perire debere.

8. *Perfecta* eſt 1. quando alter defenſione meâ indiget, & ſine eâdem vitam plane amittit. 2. atq; ego illum ſine meo periculo ſalvare poſſum.

9. III. *Ut omni aliorum utilitati, quantum ſine noſtro detrimento fieri poteſt, ſuccurramus.* Quæ ſpecies beneficii tam ad perſonam, quam ad res perſonæ, reſpicit, & ſuo ambitu tot genera complectitur, quot fermè excogitari poſſunt.

10. Se-

Digitized by Google

10. Sequitur *gratitudo*, quam diſtinguo in eam, quæ fit *animo* vel *re* aliquâ, puta dono, beneficio, defenſione, correctione &c.

11. Quæ *re aliqua* fit, non ſtatim, ac beneficium vel donum eſt datum, perficienda eſt, nam alias hæc duo genera non eſſent *humanitas*. Inde gratitudo realis demum præſtanda, quando ille, qui nos re aliquâ donavit, vel beneficio affecit, in pari eſt conditione, ac nos eramus, quô tempore accipiebamus. Imò & tunc non præſtanda eſt, ſi nos exinde grave detrimentum ſentire poſſumus.

12. Verum gratitudo *animi* non certo, ſed omni tempore, quod eo ipſo, quo alter noſter fit benefactor, incipit, in actum deducenda eſt, & partim in *verbis* partim in *reverentia* conſiſtit.

13. Qui hæc in univerſum omittit, *ingratus* dicitur, & omni dono atqve beneficio aliquo prorſus ſe indignum reddit. Imò non malè dictum eſt, nomen ingrati fœdius eſſe, quam nomen injuſti.

14. Equidem diſtinguitur communiter inter ingratitudinem *prægnantem* & *ſimplicem* eamqve *vulgarem* & *eminentem*, ſed quæ diſtinctiones ad excuſanda facinora ingratorum nihil operantur; ita in uno genere horum ſubſiſtamus.

15. Hoc quæritur, an ille ſit ingratus dicendus, qui correctori ſuo ex ſuperſtitioſo & deliro ſtudio contradicendi non credere vult, præcipuè ſi talia argumenta proferuntur, quæ & ignorantem, cum gratiarum actione de horum veritate perſvaderent? Reſpondeo, non ingratus tantum ſed & pertinax dicendus eſt, & correctori non aliter conſu-

lendum, quam ut deſinat corrigere. Sed quid, ſi & hic non deſinit? tunc egreditur officia humanitatis, quæ hoc loco illi tantum concedunt jus imperfectum, ſcilicet ut alterum de errore ſaltem admoneat, non vero ut ad eundem exuendum cogat.

16. Sequitur Vitium, quod tam Donatori quam Benefactori commune eſt, ſcilicet *Exprobratio*, quod æqve grave eſt, quam prius, & quandoqve illi, qui beneficium accepit, planè intolerabile. Hîc potius dixiſſem, pudori ingrati omnia eſſe relinquenda, quam ad exprobrationem properare velle, quod & generoſius eſt.

## Cap. XIV.

## *De Officio hominis erga alios, intuitu appetitus Dominii.*

I.

PRiusquam obligationem, quæ ex dominio rerum venit, perluſtramus, antea, quid nobis de eodem videatur? ſupponendum eſt, hoc enim prius cognito, illa erit facilior. Sed video, hanc materiam ab aliis ità accuratè eſſe demonſtratam, ut ego legentem ad iſta loca prorſus ablegare poſſem, niſi inſtitutum, & eandem non omittere, urgeret. Quapropter expectabis tantum ea in indice, quæ paulo fuſius alibi tractata ſunt. Cum prioribus capitibus autem hoc in eo convenit, quod per appetitum dominii etiam alter damno afficiatur,

Digitized by Google

tur, ſed in ſpecie hîc agitur de damno, quod adhuc ſupponit diſtinctam notitiam *hiſtoriæ dominii.* Quam duntaxat, in quantum ductu ſolius rationis conſideranda eſt, videbis, nam in jure Romano ejus effectus aliam adhuc faciem induit, quod ſatis eruditè apud nos *vir* quidam *Illuſtris* demonſtravit.

2. Scilicet ex Religione naturali adhuc conſtat, *Res creatas*, ſub quibus omnia præter hominem intelligo, non opus eſſe hominis, ſed DEI, DEUS vero eas creavit non propter ſeipſas, ſed propter homines, ut neceſſitati ſuæ ſubvenirent.

3. Iſta autem *neceſſitas* in homine variè ſe extendit, vel enim res *animo* neceſſariæ ſunt, vel *corpori* vel *utrisq;*.

4. Ex hâc Creaturarum neceſſitate oritur homini argumentum, quod ad legem aliquam condendam optimam præbet occaſionem. Sic enim ratiocinatur. *Si Deus creavit res, quæ neceſſitati meæ ſubvenire poſſunt, pro certo ſequitur, quod mihi eædem in uſus meos ab illo ſint conceſſæ*, ego enim paulò *dignioris* ſum *conditionis* quam iſtæ, quà ratione melius eſt, ut illæ conſumantur, quam ut ego peream. Sed & hoc ſcio, iſtâ *Conceſſione* me non debere abuti, quia hoc grave eſſet peccatum 1. *in Deum*, qui propterea iraſcetur. 2. *in me ipſum*, nam me potius per talem abuſum corrumperem quam perficerem. 3. *in alterum*, qui ex abuſu meo damnum ſentire poſſet, quo pacto hæc lex eſt: *Rebus creatis non abutere.* Iſte autem abuſus contingere poteſt in defectu partim,



Digitized by Google

partim in exceſſu conſumtionis, partim deniqve, ſi conferuntur res in uſum, in quem non ſunt deſtinatæ.

5. Iſta vero poteſtas utendi rebus creatis ex conceſſione Dei, in *Communione primæva* omnium fuit in omnia, ita tamen, ut diſponeretur circa easdem prout tranquillitas & conditio tunc temporis exegerit. A qua poſtmodum, ſucceſſu temporis non uno ictu, ſed ſucceſſivè receſſum eſt, ita, ut id, quod inoccupatum erat, fuerit adhuc in iſta communione: Poſtea illa communio rerum plane deſiit, cum homines magis magisqve augerentur, & creaturarum abundantia non amplius, propter tantam multitudinem hominum ſic erat conſpicua. Ita omnia diviſa ſunt & res fermè cunctæ ſuos ſortitæ ſunt dominos.

6. Sed ne putes, Deum per hanc concesſionem ſimul diviſionem rerum creatarum ſpecialiter hominibus præcepiſſe, hæc enim tantum præſupponit propriam inter homines *Conventionem* tam tacitam quam expreſſam. Verum concesſio DEI eſt *generalis* & *indefinita*, citra reſpectum ad quendam in ſpecie, ex qua in æternum evinci nequit, DEum populis terras & portiones diſtribuiſſe. Quæ vero à nonnullis contra ſunt projecta, ad ea alii ſatis eruditè reſponderunt. Circa quæ omnia ego ita breviter ſentio: *Diviſio rerum per pacta inter homines, non adverſatur concesſioni Dei, potius cum illa convenit; ſed concesſionem Dei absque ſpeciali conventione hominum non comitatur immediatè rerum diviſio.*

7. Inde quicquid eſt diviſum, ex ejusmodi conventione factum eſt, cujus vera cauſa fuit *utilitas huma-*

*humani generis*, ad rixas illas evitandas, quæ inter tantam multitudinem quotidiè circa easdem exortæ eſſent. Nam ita res pedetentim in anguſtias redactæ erant, ut communio iſta primæva neceſſario ceſſaret.

8. Ex hâc itaqve neceſſariâ & utili diviſione rerum, ortum trahit *Dominium*, quod ideo dicitur *proprietas, quâ res, quoad facultatem utendi pertinet ad nos, non ad alium*, ubi quidem non addere poſſum, dominium ſaltem conſiſtere in re corporali, ſed ſufficiat, dominium jam nihil aliud eſſe quam *proprietas*, absqve diſtinctione rei corporalis vel incorporalis, inde etiam interpretamur germanicè ein Eigenthumb. Hoc autem dominium vel *ſimplex* eſt, ſeu dominium excellenter dictum (alii etiam appellant privatum) cujus proprietas ſpectat ad unum individuum tantum, vel *commune*, ubi & uſus & proprietas pertinet ad certa individua, excluſis reliquis.

9. Sed à dominio communi diſtinguitur *Communio*, quæ iterum vel *negativa* eſt, ubi per ſe proprietas ſpectat ad nullos, uſus vero omnibus patet, quorſum refero communionem primævam, vel *poſitiva*, ubi proprietas eſt aliquorum, uſus vero conceditur omnibus, quæ propius ad dominium accedit.

10. Ex hiſce diſtinctionibus dominii & Communionis oriuntur res quæ ſunt 1. in *Dominio*. 2. in *Communione*, 3. & quæ *nullius*.

11. Ut autem res aliqua *juſtè* poſſit eſſe in Dominio, quatuor præcipue requiruntur. 1. *Ut uſum ali-*

Digitized by Google

*aliquem poſſeſſori* vel mediatè vel immediatè *præbeat.* 2. *ut apprehendi* 3. *& cuſtodiâ coerceri poſſit.* Nam quoad primum ineptè factum eſſet, re aliquâ ſupervacuâ ſe gravare velle, ineptius planè, ſi quid inapprehenſibile concupiſceremus, imò ineptiſſimum, quando id, quod omnem cuſtodiam reſpuit, eâ coërceremus. 4. idque non mediocre, *ne iſta res naturâ ſuâ præbeat uſum, omnibus hominibus ſufficientem.* Sic enim dominium requirit, quo omnibus diſſidiis præoccupatur. Quando itaque omnibus ſufficit, tunc injuſtè facit is, qui talem rem dominio ſuo coercet.

12. Ex his ad duas ſpeciales quæſtiones reſpondere poſſumus, quarum prima eſt, *an res inexhauſtæ utilitatis rectè ſint in Dominio?* quod negamus per requiſitum quartum, ſi enim res omnibus ſufficit, cur in proprios uſus eſt conferenda. Altera eſt de *Dominio Maris*, & ita à priori dependens. Quis autem negat, mare per ſe non referendum eſſe inter ejusmodi res inexhauſtæ utilitatis, quia tam longè patet, ut ab uſu ejus propter anguſtiam aliquam nemo ſit excludendus. Nos autem ad melius reſpondendum uſus maris diſpeſcimus in *proprios*, ſeu qui mari propriè conveniunt, v. g. navigare trans mare, piſcatio in mari, & *acceſſorios*, quales ſunt, qui tanquam acceſſoria uni vel alteri accedunt, v. g. margaritarum & corollarum collectio & regulariter exhauriuntur.

13. Quoad *proprios* uſus iterum diſtingvendum erit, vel enim hi *inexhauſti* ſunt, ut navigatio, vel ex parte *exhauriri* poſſunt, nimirum per piſcatum.

Jam

Jam itaque quæritur 1. *an mare ſit in dominio*? & 2. *quomodo ſit in dominio?*

14. Circa ambas, ut puto, Grotius & Seldenus acriter, ſtipati ex amore patriæ, pugnarunt, quas tamen nos breviter ſolvemus.

15. Per ſe mare refertur, ut diximus, ad res inexhauſtæ utilitatis, & conſequenter, naturâ ſic poſtulante, debet eſſe in communione, imo commodè cuſtodiâ coërceri nequit. Cum vero crebriùs commercia atque itinera per mare inſtituerentur, neceſſarium erat, ut omnium Securitati proſpiceretur. Ubi demum orta eſt diſtinctio inter *mare*, quod terris non ita longè inter ſe diſſitis includitur, & *Oceanum*, qui per totum terrarum orbem longè lateque patet. Utilitatem hujus in eo quæro, quod mare *per ſe* cum uſibus exhauſtis ſit in Communione poſitiva, ubi proprietas ſpectat ad illos, qui terras circa id ſecundum geometricam proportionem poſſident, uſus vero inexhauſti ad omnes. Sed Oceanus cum uſibus ſuis tam exhauſtis quam inexhauſtis ſit in communione negativa, ubi proprietas eſt nullius, uſus vero omnium.

16. Cum vero crebra in mari orirentur bella, & piratæ inſuper hoſtiliter ad navigantes accurrerent, mare ab illis defenſum eſt, in quorum erat communione poſitivâ. Imò quælibet inter has poteſtates tantam partem ſibi defendendam eligere poterat, quantam proportioni terræ ſuæ ſufficientem eſſe exiſtimabat. Poſtmodum vero, cum nonnullæ poteſtates vel ex defectu militiæ, vel ex negligentiâ, vel ex aliis rationibus, inter quas & pacta refero, hoc

Digitized by Google

hoc jure non uterentur, una tantum, vel paucæ poteſtates neceſſitate, ut damno ſuorum prævenirent, adducti, hanc defenſionem ſibi ſolis arrogarunt, pro quo incommodo & hocce commodum vel tacitè ſaltem conſentientibus reliquis habebant, ut earum vigiliæ in obvenientes inquirerent, an illi hoſtes ſint vel piratæ, imò hanc non contra æqualitatem ſibi arrogarunt prærogativam, ut reliqui omnes in mari ſuis navigiis reverentiam & gratiarum actionem pro curâ defenſionis haberent, imò addo, quod de jure reliqui ad vectigalia defenſori ſolvenda, fuiſſent obſtricti.

17. Oceanus verò cum neqve ab uno, neque ab omnibus propter tantam ſuperficiem defendi potuiſſet, quilibet de defenſione ſuâ ſibi ipſi conſulere debebat. Quâ ratione & nullus ab altero ibidem ea poſtulare poterat, quibus ſe dignum reddere prohibebatur. Ubi autem iſtas partes Oceani iterum excipimus quæ terras alicujus poteſtateis alluerunt, quæ mari, quatenus ab iis defendi poſſe præſumuntur, æquiparantur.

18. Ea, quæ dicta ſunt, reſpiciunt ſaltem ad uſum maris inexhauſtum, reſpectu cujus dominium ſimplex in mare *nihil aliud eſt, quam poteſtas legitimè arrogata, ad mare defendendum*, quod eo ipſo ceſſat, quo ceſſat defenſio. Indè & ille, qui deſinit defendere, amittit commoda illa, quæ antea ad illum ſpectabant, vel ſpectare potuiſſent, quæqve alter acquirit, qui defenſionem ſuſcipit. Conſultò autem dixi: *poteſtas legitimè adrogata* quia ille, qui aliis viis ſeſe ingeſſit, pro illegitimò defenſore habe-

habetur, quem tamen præſcriptio inter gentes uſitata iterum defendere poteſt.

19. Quæ vero de fructibus ſeu uſibus *acceſſoriis* & *propriis, qui exhauriri* poſſunt, pasſim proferuntur, per ſe in communione poſitivâ ſunt, & ille fit dominus, ad quem juxta geometricam maris proportionem ſpectant. Quandò vero ex præſcriptione vel pacto alio, populus extraneus jus quoddam circa tales uſus & fructus ſibi quæſivit, tunc iſtud quidem Communioni poſitivæ repugnat, non tamen conſtituit ſtatim Dominium in mare, ſed ſi quid datur, eſt jus ad piſcandum & capiendas margaritas, quod vel ex pacto, vel præſcriptione ortum eſt, & ex hoc ſaltem fundamento contra alios, non ex quæſtione: *an ſit dominium in mare?* defendi debet.

20. Jam ad *ſubjectum* Dominii, cujus omnes ſunt capaces, præter illos, qui prohibentur, quales ſunt *infantes*, imò omnes, *quibus uſus rationis* deeſt. Cauſa hujus prohibitionis profertur, quod ad dominium acquirendum requiratur intentio & *προαίρεσις* acquirentis, rem in poſterum habere pro ſuâ, jureqve ſuper eâ uti velle, quæ his denegatur, & rectè.

21. Ut vero res aliqua in meo Dominio fit, requiritur *poſſesſio*, quæ adeò eſt *detentio cum affectu & animo rem ſibi habendi.* Ita excludimus cuſtodes, uſufructuarios, vel alios, qui rem tantum adminiſtrant. Propterea dixi, *ſibi* non *alii* habendi, quia ſic præter hos excludere volui etiam mandatarios & procuratores, qui quidem omnes detentores ſunt, ſed non ſibi, verum alii habendi. Inde ad noſtram

ſtram poſſesſionem non ſtrictè requiritur, ut corpore rei inſideamus, ſed & animô duntaxat retineri poteſt.

22. De *modis* vero, poſſesſionem adquirendi, prolixior inſtituendus eſt diſcurſus, ubi alios, qui eruditè de his ſcripſere, ſequar. Iſti autem modi ſunt vel *principales*, ubi rem aliquam, tanquam principalem aliundè adquirimus, vel *acceſſorii*, ubi res aliqua accedit rei noſtræ principali, tanquam acceſſorium.

23. Modos *principales* iterum duplices recenſent, vel enim ſunt *originarii*, quando in re aliquâ, quæ antea fuit nullius, primò conſtituimus Dominium, cujus ſpecies, quia nullam aliam amplius habemus, ſola eſt *Occupatio*, inde & regula naſcitur: *Quicquid nullius eſt, occupanti cedit.* Vel *derivativi*, quando res ex dominio unius transfertur in dominium alterius.

24. *Occupatio* itaqve *eſt apprehenſio rei antea nullius, cum animo eam ſibi habendi.* Quemadmodum verò res vel eſt *mobilis* vel *immobilis*, ita & adprehenſio erit vel rerum *mobilium* vel *immobilium.*

25. Circa res *immobiles* iterum diſtingvendum erit, vel enim *ſolus*, vel *cum Sociis* illam primò ingredior; Si *ſolus*, absque controverſia, eo ipsô, quô ingreſſus ſum, tantum meum eſt 1. vel quantum mihi ſufficit, & ego defendere poſſum. Ubi in dominii ſignum limites ponere poſſum, reliqvum vero adhuc eſt nullius, & in Communione negativa; vel 2. quantum ex diſpoſitione hominum ad integritatem rei ſpectat, ſic ſi ingreſſus ſum unam partem ædium, etiam reliquæ ad me pertinent.

26. Si

26. Si *cum Sociis*, tunc iterum obtinet, illud eſſe in dominio communi, quod à nobis defendi poteſt, quodque uſibus noſtris ſufficit. Ubi verò rixæ oriuntur, æquius eſt, ut in partes æquales vel ſecundum *capita* vel *familias* res dividatur, ſic enim oritur dominium ſimplex. Ejusmodi autem occupatio accidit præcipuè in *migrationibus gentium* & terris detectis.

27. Quoad res *mobiles* non inutiliter præſupponitur, dependere ejusmodi occupationem ab arbitrio principis, quod, quia variat, & ideo univerſaliter determinari nequit, præterimus, contenti tantùm, illud eſſe modum, per quem diſpoſitio æquitatis naturalis limitatur.

28. Cæterùm ſecundum eandem *æquitatem rem mobilem* tunc regulariter occupamus, quando corpore noſtro cum hâc intentione adprehendimus, vel demum auferimus. Non tamen præcisè requiriritur, ut jam domum translata ſit.

29. Si verò duo in apprehendendo concurrunt, tunc ille, qui prius corpore adprehendit præfertur illi, qui prius vidit.

30. Res autem *mobiles* vel ſunt *ſeipſa moventes*, vel moventur *ab aliis*. Ad illas refero *Venationem*, *Aucupium* & *Piſcatum*, ad has vero *theſaurum* & *res pro derelictis habitas*.

31. Si beſtiam, quæcunque modò ſit, capio, mea fit, & in uſus illos conſumere poſſum, propter quos eam venatus ſum. Ita ſi eam prius vulneravi, alter verò me adprehendendo prævenit, tunc nihilominus mea eſt; partim, quia eandem jam uſibus meis

F deſti-

deſtinavi, partim quia hôc modô regulariter beſtiæ capiuntur, partim denique, quia alter non tam facilè adprehendere potuiſſet niſi ego illam prius vulneraverim. Idem dicendum eſt de volatilibus & aquatilibus animantibus, quæ aliis inſtrumentis capiuntur. Eô ipsô enim, quô incluſa vel hamô ducta, mea ſunt.

32. Si vero aliqua beſtia, jam capta; manus meas egreditur, priſtinam recuperat conditionem, & novâ occupatione indiget.

33. *Theſaurum* ſi quem invenio in fundo meo, tunc totus meus eſt, ſi in alterius, juſtè dividendus eſt, utrique enim tam inventor quam dominus hîc concurrunt. Si invenitur à me & Sociis in loco nullius, ex juſto, ſecundum operas & conſilia dividendus eſt. Sed quid, *ſi fabricatores mei in fundo meo*? Imò & mihi adquirunt, quia ſunt inſtrumenta mea, per quæ in loco meo fabricor.

34. Res *pro derelicta habita*, ſi in præſentiâ aliorum abjicitur, ſtatim occupantibus cedit, & revocari nequit. Si nullus adeſt, ipſe, qui abjecit, pœnitere poteſt, & rem abjectam quaſi de novo occupare debet.

35. Seqvuntur modi *derivativi*, ubi res à priori poſſeſſore devolvitur in alterum, quod fit unâ voce per *Alienationem*. Nam duplex eſt virtus dominii, una in *uſu* rei, altera in ejus alienatione conſiſtit. Cujus ductu nonnulla præmittenda eſſent, ſed quorum tractatio commodiùs differtur ad pacta, utpotè per quæ dominia rerum in alios transferuntur. Saltem exindè præſupponimus *conſenſum*, tam transferentis quàm illius, in quem quid transfertur.

36. Trans-

Digitized by Google

36. Transfertur autem aliquid in alterum I. *Expreſsè*, per expreſſam voluntatem poſſeſſoris, quod accidit per *Traditionem*, tanquam unicum modum alienationis, quæ fieri poteſt 1. vel per ſola verba cum traditione ſequente. 2. vel per ſola ſigna cum traditione ſequente, 3. vel per verba & traditionem ſimultaneam, tanquam ſpeciem traditionis nobiliſſimam. 4. vel per traditionem tantum. 5. vel denique per verba & ſigna præcedente traditione. Inde & in jure privato traditio vera, ficta & Symbolica ortum trahunt.

37. II. *Tacitè*, per *præſumtam voluntatem*, vel defectu voluntatis, *per uſucapionem.*

38. Ad *expreſſam* refero *Donationem*, de quâ antea, *Teſtamenta* & *Contractus*, de quibus mox, referuntur & hûc *ſervitutes*, quarum disquiſitionem reſervabimus ad contractus. *Tacitæ* præter uſucapionem annumero etiam *ſucceſſionem ab inteſtato.*

39. Quoad *teſtamenta* ſemper cuilibet licuit de bonis ſuis per aliquam ultimam diſpoſitionem conſtituere, quid poſt mortem ſuam cum illis fieri velit, inde teſtamentum eſt *declaratio voluntatis noſtræ circa ſucceſſionem in bona noſtra, poſt mortem noſtram.* Et quia voluntas hominum eſt libera, ita unum ejusmodi inſtrumentum non obligat aliquem ad ejus immutabilitatem, ſed ex libertate circa bona, cæteris paribus, diſponendi, toties eſt revocabile, quoties commodum videtur.

40. Ejusmodi autem diſpoſitio in tantum valet, in quantum non officit officiis ſpecialibus, ſic v. g. liberi teſtatoris, qui ſe ipſos adhuc alere nequeunt,



Digitized by Google

poſſunt, vel locô eorum, alii, teſtamentum ſubvertere, ſi in illô planè ſunt prætermiſſi adde Cap. 19. §. 16. 17. Sed tòt poſſunt exinde prius capere, quot ad ſuorum ſuſtentationem neceſſarium videtur, quod ex dignitate vel honore patris mortui judicandum eſt. Hâc verò parte jura humana liberis æquisſimè conſuluerunt per portionem *Legitimam*.

41. Deficiente verò teſtamentô, ſequitur *ſucceſſio ab inteſtato*. Nam ponamus aliquem eſſe mortuum absque teſtamento aliquo prius confecto, res relictæ non debent manere derelictæ, ſed aliis adjudicandæ ſunt. *Qui verò ſunt illi?* Hoc præſumendum eſt ex voluntate ipſius mortui. Nam ſi teſtatus decedere potuiſſet, absque dubio illis bona ſua adſcripſiſſet, qui ipſi *firmiſſimâ amicitiâ* erant juncti. Quô pactô ex æquitate jus naturæ illis, qui amiciſſimi præſumuntur, bona confert.

42. Aliquis autem amicus meus eſt vel *naturâ*, ſeu qui mecum in naturale vinculum amicitiæ collocatus eſt, ejusmodi ſunt conſangvinei, vel ex *congreſſu*, quorſum ſpectant affines, vel ex *pacto*, qui ſunt Socii mei, vel ex *Adfectu*, quos ſingulari affectu proſequor. His omnibus per ipſam rationem præferuntur conſangvinei, quia major amor & amicitia inter amicos naturales præſumitur, deficientibus his, præferuntur affines aliis, & illis deficientibus ſuccedunt Socii, hos verò ſeqvuntur amici ex affectu.

43. Inter Conſanguineos verò duplex ordo adhuc reperitur, vel enim proficiſcuntur à patre meo & appellantur *agnati*, vel à Matre, quos alias *cognatos* nominamus. Ex his alteri præferendus eſt ille, qui

qui mihi præ reliquis eſt proximior, ne tamen peccetur contra ordinem ſequentem §. 45. Sed quid, ſi duo ſunt in uno gradu? tunc agnatus cum cognato, ſuccedunt æqualiter, quia patri & matri æqualiter obligati ſumus, quod videbimus infrà.

44. Porro inter conſanguineos adhuc triplex ordo inſtituitur, *adſcendentium* i. e. illorum, à quibus ego ſum progeneratus, ſeu meorum parentum; *deſcendentium*, i. e. illorum quos ego procreavi ſeu meorum liberorum, vel denique *collateralium* quos neque ego procreavi, neque à quibus ego ſum progenitus.

45. Omnibus his præferuntur deſcendentes, propter στοργὴν, ut appellant Moraliſtæ, parentum, adſcendentes præferuntur collateralibus, quia illis magis quam his obligati ſumus.

46. *Uſucapionem* ſeu præſcriptionem quod attinet, non opus eſt ut ad perfectam poſſeſſionem eam requiramus, quia alias poſſeſſio exiguum circa proprietatem alicujus rei conſtitueret fructum, ſed ſufficiat nobis uſucapionem jam eſſe *modum adquirendi dominium alicujus rei, cujus poſſeſſor latitat, vel contra uſucaptorem ſe non movet.*

47. Dixi *latitat*, quia non tantùm ſocialitati, ſed & poſtmodum Reipublicæ intereſt, ut dominia rerum ſint certa, certosque habeant dominos. Dixi etiam *ſe non movet*, nam ſic coërcetur negligentia hominum, ut potius ſibi de rebus ſuis proſpiciant, & ſiquid intermittant, ut alii res ſibi vindicare, iisque uti poſſint.

48. Modus ſe movendi inſtituitur per *admonitionem*, rem deſerendam eſſe, per *contradictionem*, imò etiam quandoque per *violentam ejectionem*.

49. Ipſa verò præſcriptio non tantùm inter *privatos*, ſed & *gentes* locum habet.

50. Ut verò juſta ſit, requiritur 1. *juſtus titulus*, ſeu ut poſſeſſor *idoneam*, non doloſam vel iniquam rationem poſſit allegare, quomodo ad rem pervenerit. 2. *Poſſeſſio continuata*, inde qui eandem vel pro derelicta ad tempus habuit, vel cui per contradictionem prioris interrupta eſt, à præſcriptione excluditur. 3. *Certum tempus*, ſed quamdiu id currit? Sanè inter *privatos* breviſſimum requiritur, & vel pro æſtimatione rerum, vel ſecundum circumſtantias, an ſcilicet prior Dominus abſens an præſens tempore uſucapionis fuerit, annus, triennium, decennium &c. ſufficit. Sed inter *gentes* vel *derelictio* ſive tacita ſive expreſſa prioris poſſeſſionis, germanicè, wenn etwas iſt verlaſſen worden/vel tempus longiſſimum, intra quod præſumitur alterum contradicere potuiſſe, quale eſt *centum annorum*.

51. Modi do~~minium ad~~quirendi acceſſorii, qui ſint? Diximus antea, quot ſint? ita determinare nequeo, ſed reſpicitur ſemper ad modos principales tam originarios quàm derivativos. Quâcunque enim ratione dominium alicujus rei adipiſcor, adeptum eſt ſimul rei acceſſorium.

52. Acceſſoria autem principali ſuo accedunt vel *intrinſecè*, quando res per ſe, licet quandoque antegreſſô aliquô factô humanô, acceſſoria gignit, quod fit in *fructu*, *fœtu*, *alluvione* &c. vel *extrinſecè*, ſi rei

Digitized by Google

rei accedit, quoddam, mediante facto & induſtriâ humanâ, ita ut res ipſa nihil cooperetur, & accidit, in *ædificio, charta, tabula, ſpecificatione* &c. Sed quæ diſtinctio non ita magnum momentum adfert.

53. Verùm hæc longe majorem ad decidendas controverſias præbebit uſum : *vel enim rei alienæ fit acceſſio per noſtram induſtriam, vel rei noſtræ.* De quâ ultimâ quin noſtra ſit, nullum eſt dubium, major tamen reſtat difficultas quoad modum priorem.

54. Sed quam ita commode tollimus. Vel enim *malâ fide* hoc fecimus, tunc omne acceſſorium accedit Domino rei, coërcemur enim hôc modô ex lege de damno intermittendo, vel *bonâ fide*, tunc 1. *acceſſorium iterum ſeparari nequit.* Si itaque illud magis æſtimandum, eſt quam principale, tunc res mihi cedit cum acceſſorio ab induſtriâ meâ formato, ita tamen, ut alteri pro principali juſtum pretium conſtituatur. Si verò principale majorem meretur taxationem præ acceſſorio, tunc Dominus rei acquirit ſimul id quod ei acceſſit, ſolutâ prius mercede laboris. Sic charta cum ſcripturâ, tabula cum picturâ, ſpecificatio cum ſpecie cedunt quandoque Domino rei, quandoque Domino acceſſorii, prout unum dignius eſt alterô.

55. 2. *Quando verò acceſſoria à re ſeparari* poſſunt, tunc quilibet, ſi aliter partes convenire nequeunt, ſuum capiat, præſtitô ſimul damnô & intereſſe.

56. Jam quid ſentiendum eſt de *conſito & ædificiis*? hîc ſanè æquius eſſe videtur, ne ædificium in fundo alterius ex ſtructum, cum detrimento meo iterum

rum deſtruatur, ut ſolo fixum maneat, Domino verò fundi juſtum offeratur pretium vel alia ſatisfactio. Accedit & negligentia Domini, qui ab initio opus impedire debuiſſet. Sed ſemel *conſita* graviter recolligi poſſunt, inde Dominus agri vel expectet mercedem pro ejus uſu, vel ſi tempore annonæ magis æſtimat frumentum, dimidiam accipiat partem ex fructibus percipiendis.

57. Sed quid ſi acceſſio ſit *intrinſecè?* tunc regula eſt: *Acceſſorium ſequitur Dominium rei principalis.* Sic fructus & fœtus ſpectant ad Dominum rei vel fœmellæ, id per alluvionem adjectum ad Dominum agri.

58. Nunc quæritur de *Inſula in mari*, (non oceano) *nata*, cui competat? breviter illi ex cujus terris orta inſula, nam per ſe nulla in mari creſcit.

59. Hactenus de rebus quæ ſunt in Dominio, jam ſequerentur res, quæ ſunt in *Communione* & quidem *poſitiva* ubi proprietas eſt aliquorum, uſus verò conceditur omnibus, vel *negativa* ſeu unô verbô res *nullius*. Quæ illæ in univerſum ſint, ex his, quæ de dominio diximus, facilè cognoſci poſſunt.

60. Jam diſcurſum noſtrum abrumpimus, & accedimus tandem ad obligationem illam, quæ hanc diſtinctam notitiam de dominio ſupponebat, & ad formandas leges, quæ exindè proveniunt. Sed ab ultimis incipiamus, ubi æqualitas, & officium Sociis debitum, intuitu rerum, quæ ſunt in Communione negativa, hanc legem gignunt. *Quamdiu res aliqua adhuc eſt nullius, non*

*coer-*

*coërce alterum ab ejus apprehenſione, ſi eâ opus habet.* Ita, ſi alter rem prius adprehendit, licet ego eandem prius vidiſſem, non tamen aliquid extorquere debeo. Quid autem, *ſi prius vidi & alteri ad capiendam monſtravi?* vel etiam, *quid ſi aliö modô æquale jus habeo ad rem cum altero ſimul capiendam?* Tunc ex æquo res inter nos dividenda, vel ſi alter nequit, ſatisfactio offerenda eſt, & ſi hæc dari nequit, neceſſitas tamen exigit, ut periculo imminenti vel diſſidiis præcurramus, tunc lis ſorte dirimenda eſt.

61. Intuitu rei, quæ eſt in Communione poſitiva, lex eſt: *Neminem ab uſu rei communis coërce*, nam regulariter ejusmodi res uſum præbet omnibus ſufficientem, inde peccat ille, qui contrà facit.

62. Intuitu dominii communis lex eſt: *Alterum, qui tecum rem poſſidet in proprietate, ab ejus uſu non coërce.* Intuitu dominii ſimplicis: *A re alterius abſtine*, nam quod non meum eſt, in id mihi nullum jus conceditur, ut dominio meo de facto ſubjiciam. Indè & hôc etiam modô lex efferri poterit. *Patere, ut alter rebus ſuis fruatur.*

63. Sed accidit quandoque, quod res alterius apud me ſit, ubi conſideror vel tanquam *malæ fidei poſſeſſor*, ſeu qui rem ſciens injuſto titulo poſſidet, vel tanquam *bonæ fidei poſſeſſor*, ſeu qui rem ex æquo poſſidet, licet dominium ab aliquo, qui m. f. poſſeſſor erat, adquiſiverit, modò illud non ſciverit.

64. Si ſum *m. f. poſſeſſor*, tunc ex lege ſuprà dictâ, non tantùm rem reddere, ſed etiam omne emolumentum, intereſſe, & ſi deterior res facta eſt, cum omni damno reſarciendo, reſtituere debeo. Non verò alter obſtrictus eſt, ut pretium mihi reſtituat, quia mihi imputatur, quando rem ſciens ab ejusmodi homine emi. Inde, ut communiter hîc etiam officium meum obſervem, lex vult, me ejusmodi in caſu in eo eſſe debere, ut res iterum ad legitimum dominum perveniat.

65. Si ſum *b. f. poſſeſſor*, tunc vel ab altero *qui verus dominus* eſt, rem accepi, quæ ſecundum placita inter nos non tantùm ſuô tempore reſtituenda eſt, ſed & quam diu apud me manet, omnem curam impendere debeo, ne res pereat, auferatur, conſumatur, vel aliis modis lædatur. Spectat huc juſtitia *commodati*, *locati*, *depoſiti*, de quibus ſuo loco in jure privato.

66. Vel ab aliquo, *qui non fuit verus* dominus, *bona* tamen *fide*, quiddam adquiſivi, tunc rem, ſi id mihi offertur, quod ad eam poſſidendam impendi, reſtituere vel m. f. poſſeſſorem cogère debeo, ut mihi pretium ſolutum, legitimo verò domino rem ipſam reddat.

CAP.

# Cap. XV.

## *De Officiis hominis erga alios intuitu Pactorum.*

I.

USque adhuc breviter perluſtravimus officia, ad quæ ego vel intuitu mei vel intuitu alterius tantum obligatus eram, jam ſequitur illa obligatio, quæ à me proficiſci debet intuitu noſtrûm ſimul. Nam ego & alter ad condendam eam rebus noſtris concurrimus.

2. Quemadmodum verò in tali obligatione ad minimum duo convenire debent, ideo & aliô vocabulô non male appellatur *Conventio*, quam ita commodè definio. *Conventio eſt conſenſus duorum vel plurium ad dandum aliquid vel faciendum.* Vel, ſi mavis, ad *alienandum aliquid vel faciendum*, in pactis enim res & jura alienantur. Inde in toto capite de juſtâ alienatione quæritur.

3. Dixi *conſenſus*, nam ille eſt *teſtimonium, quô voluntatem noſtram cum voluntate alterius convenire ſignificamus*, qui in *expreſſum* vel *tacitum* diſpeſcitur. *Expreſſus* eſt, ubi voluntatem meam verbis præcipuè, & in majoribus negotiis vel in præſentiâ teſtium vel per Scripturam, vel per teſtes & Scripturam ſimul, declaro; *Tacitus* verò, quandò non per verba, ſed facta conſentio, ſed quem non malè alii ſepararunt à conſenſu *præſumto*.

4. Utrique quidem, tam tacitus quàm præſumptus, in eo conveniunt, quòd declarentur factis, ſed diſcre-

diſcrepantia magis eſt conſpicua. *Tacitus* iſte eſt, ex quô omnes omninò abſque aliquo dubio colligunt, alterum conſentire velle, & non tantum declaratur ſignis generalibus, ſed etiam factis reliquis, ex quibus conſenſus pro certo obſervatur, imò duntaxat *ſilentio*, unde regula, *qui tacet conſentire videtur*. *Præſumtus* verò dicitur, ubi neque ſigna, nec facta aliqua negotium præcedunt, præſumitur tamen per naturam negotii aliquem conſenſiſſe. Sic ille, qui negotia mea gerit, præſumitur conſentire, damna in iſto negotio mihi danda, reparaturus.

5. Sed quandoque concurrunt conſenſus expreſſus cum tacito, vel præſumtus cum expreſſo. Ubi ita alii eleganter rem declarant. *Si expreſſus cum tacito*, tunc huic in contradictione præfertur prior, nam regula eſt, *quoties conſtat de conſenſu expreſſo, toties fruſtra quærimus de tacito. Si expreſſus cum præſumto*, tunc æquius eſt, ut diſpoſitio legis tollat diſpoſitionem alicujus hominis, nam ſi v. g. alicui durum videtur, damna ex alterius negotio eſſe reparanda, tunc eô abſtineat, ſpectat huc regula: *Proteſtatio, facto contraria, nihil operatur.*

6. Quemadmodum verò conſenſui, tanquam voluntatis teſtimonio in genere officit *defectus rationis*, ita & conventioni idem obſtat. Nam qui non habet voluntatem, illi vel intellectus deficit, ut *furioſis & mente captis*, vel ad tempus tantùm ceſſat, ut *ſummè ebriis*. Referuntur hûc & *infantes*, qui quidem habent intellectum, ſed qui eſt inſtar *tabulæ raſæ*, quia in ejus exercitio minimè ſunt exerciti. Quouſque autem hic defectus duret, Jus naturæ non præci-

Digitized by Google

præcisè determinat, ſed potius hoc legibus humanis relinquit.

7. Seorſim Intellectui opponitur *Error* & *dolus*, ambo præſupponunt *ignorantiam*, quæ in errore ita ſe habet, quando ab altero nullam ſuſpicor fallaciam, rem tamen & præcipuè ejus qualitatem ignoro. Sed in *dolo* ſimul fallacia alterius errori meo accedit.

8. Si itaque circa efficaciam *erroris*, quoad conventiones ſoliciti ſumus, ante omnia diſtinguendum erit; vel enim *utriq; contrahentes* errant, tunc regula eſt. *Error mutuus omnibus nocere poteſt.* Inde omnes ſi volunt pœnitere poſſunt; vel denique *unus tantùm* ex illis erravit, ubi iterum regulam vulgarem pono fundamenti locô: *Error nocet erranti.* Accidit autem iſte aut 1. circa *rem* v, g. ſi tanti non æſtimatur quanti emi; 2. circa *perſonam*, v. g. ſi à Titio emo, emere tamen volui à Mœvio; 3. circa *occaſionem* pacti, v. g. ſi falſus nuncius affertur, equum meum eſſe mortuum, cujus locô alium emo. Hîc, quomodò reciſſio conventionis locum habeat, alii graviter occupati fuerunt, ſed nos controverſias breviter ſolvemus. Subſiſtamus modô in regulâ traditâ, illi tamen addamus exceptionem *conditionis*, hôc modô enim omnia clara evadunt. Sic quâcunque ratione erraverim, contractus ſubſiſtit, non tamen, ſi conditio aliqua fuit adjecta. Alias enim facilis daretur occaſio, pacta revocandi, quod tamen adverſatur commodis venditorum.

9. Juxta *Dolum* rectè diſtinguitur inter eum, quem adhibet *alter*, cum quo contraho, vel *tertius*.

Si

Si *tertius*, non poſſum iſtam conventionem dicere nullam ratione venditoris, utpote qui manet extra culpam, recurrendum tamen eſt ad tertium, ut iſte ſatisfaciat. Si verò venditor dolum adhibuit, reſilire poſſum.

10. Voluntati opponitur *metus* & *violentia*, utrique ſupponunt *Coactum* ſed cum hâc diſtinctione, *Violentia* eſt coactus *præſens*, *metus* vero ſaltem ejus *præſumtio*. Indè non malè *metum* Moraliſtæ juxta præſumtionem rectam & pravam, diſtinguunt in *juſtum* & *injuſtum*. *Injuſtus* eſt, ubi tantùm ſuſpicamur alterum nos eſſe coacturum, qui nunquam negotium aliquod reddit nullum.

11. Metus verò *juſtus* eſt, quando alter minatur, nos ad rem emendam cogere velle, ubi obligatio non valet, lex enim prohibet metum incutere. Sed tres exceptiones probè ſunt notandæ, quarum prima eſt intuitu *mei*, ſi ceſſante metu negotium ratihabeo, per quam omnes conventiones invalidæ convaleſcunt; & intuitu *inferentis*, quando in me exercet Dominium, tandem intuitu *periculi*, quod ad nullitatem pacti debet eſſe præſens.

12. Ex his, quæ ratione metus diximus, judicandum eſt, quomodò obligatio, ejusmodi in caſu *Perduelli* & *Latroni* facta, valida ſit, item, quomodo *captivus* promiſſa metu extorta ſervare poſſit, & quæ ſunt ſimiles quæſtiones.

13. Circa *Violentiam* idem dicendum eſt, non tantùm enim obſtat voluntatem non poſſe cogi, ſed & leges obſtant, quas antea inculcavimus.

14. Por-

14. Porro diximus in definitione conventionis *duorum vel plurium*, quæ verba ad duas diſtinctas quæſtiones prebent occaſionem, quarum prima eſt de *numero* contrahentium. Ubi quidem nunquam affirmarunt Doctores, aliquem cum ſeipſo paciſci poſſe, ſed quæſiverunt, *an duo vel plures ad pactum aliquod requirantur?* Ego miſſis aliorum opinionibus, & duos & plures requiri poſſe exiſtimo, non tamen numerô perſonas ſed *partes*, nam pars aliqua poteſt ſub ſe complecti plures porſonas. Jam non impoſſibile eſt, ut tres vel quatuor partes inter ſe paciſcantur.

15. Altera quæſtio eſt: *An etiam per alios contrahere poſſimus?* Quam nemo uſque adhuc, quantum ſcio, negavit, ſed quærimus inde *per quos?* Nimirum per illos, qui inſtrumenta voluntatis noſtræ dicuntur, quales ſunt *mandatarii*, *procuratores*, mandatô noſtrô inſtructi, quod tamen *ad hæredes* eorum per ſe, niſi adjectum fuerit, nunquam extenditur, ſed procuratorum Officiis & *miniſtri noſtri* fungi poſſunt. Omnes verò ſimul tenentur ad ſummam diligentiam adhibendam, rem, quæ eſt in mandato, exequendi, ſub Pœnâ intereſſe & damni reſtituendi.

16. Jam porro quæritur: *An id, quod in mandato eſt, poſſimus revocare?* Quod hôc modô negamus, quandò cum illo, cujus cauſa datum eſt, negotium eſt peractum. Sed præter communem licentiam, & tunc adhuc revocabitur, quandò tantùm alter de voluntate meâ certior factus eſt, & ipſi ante initium negotii de mutatione meâ conſtat.

17. Jam

Digitized by Google

17. Jam ad *materiam* Conventionis, de quâ, & in definitione ſuprà ſoliciti fuimus in verbis, *ad dandum aliquid vel faciendum.* Quæ quidem ab initio Cap. I. §. 23. explicationem receperunt, ſed hîc paulò ſpecialius ire debemus, occupati nimirum in loco aliquo, ubi non de obligatione adverſus alterum in genere, hanc enim ſub ſe complectitur ferme totum jus naturæ, verùm de iſta ſaltem obligationum ſpecie, ubi non tantùm mea ſed & alterius res in juſtam æſtimationem capacitatis vocanda eſt, quærimus.

18. Regula itaque eſt generalis: *Circa rem omnem, præter nobis impoſſibilem, convenire poſſumus.* Iſta autem impoſſibilitas vel phyſicè contingit vel moraliter. Et *Phyſicè* quidem, cum res non eſt in noſtro arbitrio, circa quam tamen iterum diſpiciendum inter *impoſſibilia omnium*, ubi ejusmodi conventio delirorum eſt, & *impoſſibilia quorundam* hominum, ubi, ſi tempore conventionis poſſibilia erant, poſtmodum verò fiunt impoſſibilia; probè cognoſcenda ſunt *fata*, ſic ſi *culpa* factum eſt, tunc obligatio non exſpirat, ſi *caſu*, exſpirabit non tantùm, verùm & alter ad beneficium aliquod faciendum ex ſuprà dictis obligabitur. Quandò autem in ipſo negotio conventionis, ea, de quibus quærebatur, impoſſibilia erant, tunc iterum diſtinguimus, vel enim *alter ea à me ex juſtis indiciis non præſumſit*, ubi ad ſatisfaciendum obligatus ero, vel jam ſcivit, *me promiſſa non poſſe ſervare*, ubi quidem apud me obligatio non ceſſat, ſed ſtolidè fecit ille, quod mecum contraxerit.

19. Quæ

Digitized by Google

19. Quæ verò Hobbes hâc parte profert, nos in Conventionibus obligatos eſſe tantùm *uſq; ad ſummum duntaxat conatum*, ultra quem nobis omnia eſſent impoſſibilia, illud quidem non ſtatim, ut aliquid vulgare, accuſandum eſſet, modò non ſit nimis generaliter traditum, quod & obſervarunt alii.

20. *Moraliter* impoſſibilitas accidit, quandò de eo, quod legibus interdictum eſt, convenimus, ita regula eſt: *Ad rem legibus interdictam nunquam es obligatus.* Imò negotium jam peractum, pro illegitimo habetur, & obligatio inde veniens nihil operatur. Inde & id, quod pretii locô in turpi operâ promiſſum eſt, non debet dari. Si verò jam datum eſt, tunc repetitur, quandò ille, qui accepit, *ſolus* arguitur turpitudinis, nunquam tamen *ſi ego ſimul ad illam concurro.*

21. Porrò, *quæ mea non ſunt*, promitti nequeunt, quia mihi nunquam diſpoſitio in res alienas conceſſa eſt, & alter ineptè facit, ſi mecum hôc modô paciſcitur. Aliud tamen eſt, ſi ejusmodi conventioni *conditio* adjecta fuerit. Sic ſi promitto, *me velle curare*, ut res tertii perveniat ad alterum, obligatus ſum ad omnem diligentiam adhibendam, ut pactum adimpleatur, ſi vero nihil efficere poſſum, tunc & obligatio mea evaneſcit. Quandò verò promitto *me effecturum eſſe*, ut Titius acquirat rem Sempronii, ubi, quod ſi id non efficio, obligatus ſum ad intereſſe & damnum præſtandum, quod Titius inde ſentire potuit.

22. Idem dicendum eſt in promiſſis de re, *circa quam alteri jus jam eſt quæſitum.*

23. Seqvuntur *Conditiones* Conventionum, quarum materia æque neceſſaria eſt, quam reliquæ erant, non enim ſemper, quandò negotium habetur, ſimul res expedienda eſt, ſed præcipuè etiam ad tempus aliquod futurum reſpicitur, ubi ſi hoc exiſtit, conditio eſt implenda. Inde venit inter modos promittendi duplex diſtinctio. Vel enim *ſimultaneè* convenimus, nimirum quandò rem in ipſa conventione vel poſt finem ejus expedimus, & ſtatim ad implendam obligationem alteri jus perfectum tribuit; vel *Succeſſive*, ſeu in diem, quandò poſt certum aliquod tempus obligatio inter contrahentes orta, exequenda eſt, ubi demum ſi dies exiſtit, *jus perfectum* currere incipit.

24. Utraque vel fit *purè* vel ſub *conditione*, licet conventioni ſimultaneæ rarò conditionata accedat. Conventio *pura* eſt, ubi absque conditione actus peragitur, *conditionata* eſt, ubi conditio aliqua adjicitur. Hujus in conventionibus uſus iſte deprehenditur, partim quod per eam adimplementum usque ad exiſtentiam conditionis differatur, partim quod vis obligationis ſuſpendatur in eventum rei, an nimirum res *bona* vel *mala* ſit, quod etiam in ſimultaneis accidit.

25. Ut verò differentia conventionis ſucceſſivæ & conditionatæ eò clarius pateſcat, operæ pretium eſt, ut & hôc modô nihil prætereamus. Breviter, ſucceſſiva habet diem certum, conditionata diem incertum, quem *naturaliter* nemo ſcire poteſt. Inde hæc non eſt conventio conditionata, poſt octo dies dabo tibi decem, ſi mundus ſtabit, quia dies eſt cer-

tus, & naturaliter certum, mundum poſt octo dies adhuc ſtare poſſe.

26. Sed dicis, *qualis dies incertus conditionata requiritur?* Reſpondeo, tempus futurum reſpicitur. Annon & ad præſens & præteritum? Imò & tunc, ſi v. g. incertum eſt an Mævius fuerit Conſul, an Titius adhuc vivat. *Qualis autem eſt conventio, ſi tempus adjicitur certum?* Brevibus, ſi tempus eſt futurum, erit conventio in diem, ſi vero præſens vel præteritum, conventio pura. Sic enim regula valet: *Conditio pro non adjecta habetur.* Hæc regula tollit conditiones, ſi harum materiam ſpectas, *impoſſibiles*, de quibus anteà.

27. Conditionibus adnumeratur *adjectio loci*, inde unus alterum perfectè ad implendum debitum cogere nequit, priusquam ad iſtum locum pervenerit. Si verò alter juſtè impeditur, tunc, ſi excuſationes ſunt prægnantes, tenetur adhuc ad implementum non tamen de damno & intereſſe, modò ipſe non fuerit in culpâ. Deinde pactum ſi adjectio loci ceſſat, non fit nullum, ſed alius locus eligendus eſt. Quando verò in conventione non facta eſt loci mentio, tenetur alter quôcunque modô ſit, prout natura conventionis poſtulat, ad implendum debitum ex jure alterius in ſe perfecto.

28. Ab eis, quæ dicta ſunt, ad leges Conventionum adſcendimus, ubi quidem de neceſſitate pactorum multa adhuc reſtare deprehendimus. Nam ea, quæ usque adhuc in capitibus antecedentibus dicta ſunt, ad implendas obligationes verſus alterum non ſufficere poſſunt, neque enim expetit, ut gratis

 ſem-

ſemper aliquid à nobis poſtulantibus exhibeamus, hôc enim modô bona noſtra quàm facile exhaurirentur, imò non datur etiam Jus Hobbeſianum omnium in omnia, inde convenit, ut pro re noſtra ab altero paria iterum juſtè accipiamus.

29. Non tantùm autem officia humanitatis, ſed & obligatio generalis erga Socios exigit, ut alteri, qui ejusmodi permutationem à nobis deſiderat, gratificemur, quod latiùs probabimus in Capite ſequente. Hîc tantùm ſupponimus legem: *Cum altero, qui tecum aliquid permutare vult, convenias.* Sed ubi ſtatim addimus exceptionem, tunc demum enim hoc negare poſſumus, quandò eâ re ipſi opus habemus. Quâ ratione lex in tantum eſt intelligenda, in quantum res, quam alter deſiderat, præſumitur nobis eſſe ſuperflua.

30. Hanc legem excipit alia. Non enim ſufficit, ut cum altero permutemus, verùm requiritur inſuper, ut permutationem iſtam vel jam peractam, vel peragendam, vel promiſſam non revocemus vel planè negemus, quia hoc officeret legi non tantùm generali, ſed & legibus æqualitatis. Quâ ratione hæc lex porrò naſcitur; *Fidem in conventione, datam ſerva.*

31. Jam ad diviſionem Conventionum, quam volentes usque reſervavimus, quia hæc ad ſequentia dat occaſionem, & fortè ea, quæ diximus, omni ſpe-

ſpeciei conventionis conveniunt. Conventio verò variis modis diſpeſcitur. Primò enim eſt vel *ſimultanea*, ubi id, circa quod agitur, ſtatim èxequitur, vel *conditionata*, quandò negotium adjectâ conditione, & ſine certo tempore contrahitur, vel *ſucceſſiva*, ubi adimplementum ad tempus certum trahitur, quæ duæ ultimæ Species dicuntur *Promiſſio*.

32. Deinde Conventio iterum duplex eſt, vel *gratuita*, quæ absque re alterius conferenda inſtituitur, & nihil aliud eſt quàm *donatio*, de qua anteà, quæque, ſi accuratè loqui volumus planè vocabulum conventionis amittit, & ejusmodi quidem promiſſio obligat promittentem, non verò concedit alteri jus ad perfectè poſtulandum, & ita regulariter jus imperfectum parit, vel *mutua* ſeu oneroſa, ubi alter ſimul, qui mecum contrahit, aliquid reddit, quam adeo obligatio & jus perfectum ſequitur. Spectat huc diſtinctio juris privati inter contractus μονοπλεύρȣς & διπλεύρȣς.

33. Conventio ſecundò vel *tacita* eſt vel *expreſſa*. *Tacitam* facit conſenſus tacitus, *expreſſam* verò conſenſus expreſſus. Utræque obligant perfectè, utrasque ſequitur etiam *jus perfectum*. Nam ſi tacitè conſentire non voluiſſem, tunc per verba disſenſum meum declarare debuiſſem. Ex ejusmodi autem pacto tacito defenduntur *jura Servitutum*, quæ per præſcriptionem mihi adrogavi, imò non paucæ quæſtiones, quæ intuitu Reipublicæ & Societatis gentium proponuntur.



Digitized by Google

34. Alias etiam in jure Romano Conventio dividitur in *pactum* & *contractum*, ſed quam diſcrepantiam jus Naturæ ignorat, qua ratione jam termini inter ſe promiſcuè & Synonymicè uſurpantur.

35. Tertiò Conventio eſt vel *publica* vel *privata*. *Privata* eſt, quæ fit propter utilitatem privatam, ſaltem ubi non concurrit ſimul intereſſe publicum vel reipublicæ, ſic quandoque pacta inter Principes ſunt privata, imò nonnunquam contractus Principis cum ſubditis. *Conventio publica* eſt, quæ pangitur in commodum publicum vel Reipublicæ, ſine concurſu intereſſe privati. Sic inter privatos etiam pacta publica inita ſunt. Falſum ita eſt, quod dicitur, perſonam publicam facere pactum publicum, ad pactum verò privatum requiri perſonam privatam. Hanc regulam tamen adjicio, præcipuè nè verba mea cavilleris, *omnes perſonæ publicæ*, i. e. Principes, *poſſunt condere pacta publica*, *non verò ſemper omnes perſonæ privatæ*, i. e. reliquæ quæ non ſunt Principes. Cæterum conventiones publicæ aliô nomine appellantur Fœdera.

36. Quartò Conventiones non malè dividuntur in pacta quæ *pretia* rerum præſupponunt, & *quæ non*. Priora ſpectant ad caput ſequens, ubi de pretia agemus, & pro capite præſenti reſtant ultimæ. Quarum quidem peculiarem numerum Jus Naturæ ignorat, conveniens tamen eſt, ut his annumerentur, *Mandatum*, *Commodatum*, *Depoſitum*, de quibus vid. *in Cap. præced.* §. 65. & *in præſenti* §. 15.

37. Ejusmodi Conventiones etiam ſunt, quæ ſuper *Servitutibus* conſtituuntur, quæ licet ex pacto

taci-

tacito §. 33. vel expreſſo conſtitutæ ſint, mihi in iisdem quietam concedunt poſſeſſionem, ita ut alter injuſtè faciat, qui aliquid contrà ſuſcipere vellet.

# Cap. XVI.

## *De Officiis hominis erga alios intuitu pretii, & de Interpretatione Pactorum.*

I.

C*Auſa pretii eſt rerum dominium.* Poſtquam enim in res invexit proprietas, & communio rerum deſiit, neceſſitati hominum aliô modô ſuccurrendum erat. Quemadmodum enim diſparis naturæ res ſunt, ita uſus ſufficiens ab unâ, vel illis ſolis, quæ alicujus dominio poſteà includebantur, expectari nequibat, propterea neceſſarium erat, ut alter alteri proſpiceret, quod quàm optimè, ut jam Cap. præced. §. 28. dictum eſt, per conventiones factum fuit. Quale autem genus pacti hîc intelligamus, tam ex titulo, quam ſuprà dictis conſtat, ſoliciti enim ſumus *de pactis, quæ pretia rerum* præſupponunt. Inde de juſtitiâ ipſius pretii paulò prolixiùs erit agendum.

2. Scilicet natura rei diverſa occaſionem dedit hominibus, ut unanimi conſenſu diſtinctas rebus imponerent affectiones, prout dignitas & æſtimatio comparationem vel diſparitatem quandam poſtularet. Qualis adfectio rectè *Pretium* dicitur, quod

 vel

vel *vulgare* eſt, ſi res pro re, operâ pro operâ permutatur, vel *eminens*, ſi pro re vel operâ aliud datur, quod *virtualiter* omnibus generibus rerum & operarum æquiparatur, quodque nihil aliud eſt quàm *pecunia*.

3. Si verò de *neceſſitate* unius ſpeciei quærimus præ alterâ, tunc pretio eminenti primum concedimus locum, quia nummi omnibus ſunt chari, atque iisdem omnia etiam nobis comparamus, quod cum pretio vulgari non ità commodè facere poſſumus. Item, circa pecuniæ valorem & æſtimationem omnes convenimus, diſconvenimus tamen intuitu rerum, imò ratione ſolius pretii vulgaris quotidianæ orirentur controverſiæ. Neque etiam ſemper talem rem pro re damus, quâ alter opus habet, ſed quam ipſe nonnunquam abundanter poſſidet, & quæ ſunt reliquæ rationes. Sed hoc tamen non diffitemur, pretium vulgare *antiquius* eſſe pretio eminenti, nam tum demum eminens exortum eſt, cum res fermè omnes hominum dominiis ſubjectæ fuiſſent.

4. Ab hâc pretii diviſione dependet alia in *Commune* & *pretium affectionis*, addo *pretium determinatum* ſeu legitimum.

5. Pretium *Commune* eſt, quandò quis rem ſuam æſtimat ita, qualis æſtimatur ab aliis, ſic præcipuè in eo reſpicitur ad exempla aliorum, vel uſum fori. Quomodo verò hocce pretium rectè inſtitueretur, quæſivere nonnulli, qui tamen in ipſo fundamento non convenerunt, alii *nobilitatem* & *utilitatem*, alii *raritatem* rei poſuêre. Utrique, arbitror, non erra-

erravêre, omnes enim in pretio communi ſupponuntur. Nam quod *operas* concernit, quilibet utitur pretiô communi, & pro operâ ſuâ tantùm poſtulat, quantum cum mercede aliorum convenit. Si verò naturam operæ ſpeculamur, tunc ei tale pretium impoſitum eſt, quod non tantùm intuitu nobilitatis & utilitatis, ſed & raritatis variat. Si ad *Res* accedimus, idem de iis dicendum eſt, quia nobilitas & præſtantia cum raritate, ſi pretium ſit juſtum, concurrere debent.

6. *Nobilitas* rei vel operæ eſt, quâ præſtat aliis, & aliô vocabulô dicitur *dignitas*. *Utilitas* eſt, quæ neceſſitatibus hominum ſubvenit, aliô modô appellatur *neceſſitas*. *Raritas* eſt, ubi rei vel operæ tanta non eſt copia, quanta omnibus, qui poſtulant, ſufficit.

7. Quando itaque in pretio rei conſtituendo hæc *tria* fundamenta concurrunt, æquius eſt, ut res vel operæ magis æſtimentur, quam illæ, quibus unum deficit. Sic nonnulla medicamenta, quæ hæc tria requiſita recipiunt, maximi æſtimantur. Si *deficit dignitas* rei, manet *tamen neceſſitas & raritas*, tunc iterum aliquid in æſtimatione præfertur reliquis æſtimationibus, quod accidere poteſt ratione frumenti tempore famis. Quando verò rem afficit *dignitas & raritas* absque neceſſitate, tunc porrò & hæc præponitur reliquis, quales ſunt gemmæ & uniones. Has ſequitur pretium, quod imponitur rei, cujus tantùm *abeſt raritas*, remanente *dignitate & neceſſitate*.

8. Pretium *affectionis* eſt, quando quis rem vel operas ſuas magis æſtimat quàm alii, neque in eo ad exempla aliorum reſpicit. Fundamentum hujus eſt *affectus*, non *alterius*, nam talis æſtimatio magis tendit ad fraudem, quàm ad juſtam conventionem, ſed *mei*, vel enim rem meam valdè amo, vel ea mihi neceſſaria eſt, vel eâ me delecto. Sic enim magis eam æſtimare poſſum, quàm aliam, & ita non animum habere ſoleo iſtam rem alienandi.

9. Pretio communi & affectionis opponitur in Republica pretium *determinatum*. Nam malitia hominum quandoque ibi tanta eſt, ut princeps vel magiſtratus, malo, quod Civitati hôc modô minatur, per pretium determinatum præeundum eſſe neceſſe ducat. Quod ſi impoſitum eſt, fruſtrà quæritur de pretio communi & affectionis.

10. Ex his, quæ dicta ſunt, oritur lex ratione pretii, quodcunque ſit, juſtè imponendi. *Ita rem tuam vel operas tuas æſtima, ne alterum circumvenias, vel aliô modô lædas.* Sic v. g. in pretio affectionis ita me gerere debeo, ut etiam cum re mihi charâ, vel ſuperfluâ alterius neceſſitati, pro levi pretio ſuccurram. Idem dicendum in pretio communi.

11. Jam ductu hujus legis diſtinctæ formandæ ſunt quæſtiones, quarum prima eſt *de læſione ultra dimidium*. Ad ſolvendam verò hanc quæſtionem Doctores tres pretii excogitaverunt gradus. Nimirum *infimum* ſeu pium, *mediocrem* ſeu moderatum.

tum, & *ſummum* ſeu rigoroſum, ultra quem ultimum, ſi quis progreditur, injuſtum pronunciant pretium. Sed quibus nos in hâc quæſtione, ſi volumus, planè carere poſſumus, nihil enim ad eam decidendam contribuunt. Inde nos ita reſpondebimus.

12. Ponam, me emiſſe rem 100. Solidis, quam alteri 200. & 300. Solidis iterum juſtè vendere poſſum, 1. *modò ille tantum iterum pro eâ recipere poſſit*, vel 2. *modò omnes etiam rem pretiô dignam eſſe credant*, *imò*, 3. *modò juxta tale pretium rem in uſus ſuos conferre queat.* Si res hiſce requiſitis caret, conſequens eſt, illum eſſe circumventum, quâ ratione ejusmodi contractus declaratur injuſtus, & ego rem iterum accipere, pretium verò reſtituere teneor. Atque ſic fortè mercatores negotiantur.

13. Alia quæſtio eſt, quæ uſum habet in promiſſionibus, quæritur nimirum, quia valor pecuniæ mutationi obnoxius eſt, *an in termino Solutionis pecunia in eo valore ſit ſolvenda, quô nunc eſt, an quô tempore promiſſionis erat?* Ubi quidem clauſulæ pactis adjici ſolitæ, & mandata principum ſpecialia tales controverſias tollunt, ſed jam quid his deficientibus juſtum ſit? quærimus. Neque tamen diſtingvendum eſt, an valor pecuniæ in termino ſolutionis creverit, an lapſus fuerit, ſed ſimpliciter dicendum, quod is, qui poſt tempus aliquod ſolvere promittit, ſimul tacitè in valorem, qui tunc erit, conſentiat, præcipuè quia rem comparatam, niſi jam ſit conſumta, pro eodem valore vendere commodè poteſt, neque enim alter, qui pecuniam accepit, con-

que-

queretur, nam eôdem modô ad alios uſus adhibebit.

14. *Sed quid, ſi tempore famis frumentum emitur, & ſolutio differtur ad tempus, ubi demum frumenti magna copia eſt?* hîc ſanè ad tempus ſolutionis non reſpicitur, ſed contractus, *omne enim rarum carum*, & in promiſſionibus tantum beneficium, ſolvendi poſt tempus, eſt emptorum non verò venditorum, cur autem adhuc in horum damnum, illis aliquid concedendum eſſet, ad quod tempore contractus ſtatim fuiſſent obligati.

15. Quartò quæritur de aliâ læſione, quæ intuitu pretii tam vulgaris, quàm eminentis contingere poteſt, nimirum quando *rei vendendæ vitia non indicamus*; hôc enim modô pretium rem ſuperat. Ubi nihil aliud dicendum, quàm ut venditor id, quod deeſt, vel defectum futurum indicet, ſuaque poſtulata ſecundum ea temperet, ità enim utrique ſalvi ſunt.

16. Jam ſequerentur ſpecies conventionum, quæ ex pretiis rerum fluunt, ubi ratione pretii vulgaris oritur *Permutatio*, ratione eminentis verò *Pactum* vel *Contractus* ſtrictè ſic dictus. De horum naturâ in univerſum prolixior quidem inſtituendus eſſet diſcurſus, ſed quem reſervabimus usque ad jus privatum, ubi & commodius pertinent, quia ſpecies illas jus naturæ plane ignorat. Nitemur autem ſuô locô, ut omnem diſpoſitionem juris humani cum hâc æquitate naturali comparemus.

17. Reſtat Interpretatio Pactorum, circa quam ea repetenda ſunt, quæ anteà intuitu Sermonis protulimus, quæque pacta ſupponunt. Ut verò jam rectè

rectè procedamus, diſtingvimus ſtatim pacta in ea quæ *oretenus* fiunt vel *in ſcriptis*. Ubi priora in Interpretatione Sermonis ſubſiſtunt, reliqua verò ulteriori inſpectione indigent. Sed hîc iterum *non confundenda eſt Interpretatio pactorum, cum Interpretatione legis.* Legis enim unus autor eſt; Pacti verò ad minimum duo, qui omnem ſcrupuloſitatem circa verba facilè tollere poſſunt. Lex lata eſt multis, pactum verò componitur inter paucos. Lex fertur præcipuè ſine explicatione, circa quam tamen paciſcentes, quantum poſſunt, ſibi proſpiciunt.

18. Si verò aliqua adeſt obſcuritas, tunc illud genus Interpretationis pacta recipiunt, quod convenit ſcriptis in genere, circa quam Interpretationem itâ breviter ſentio.

19. Quodcunque ſcriptum vel denique pactum per ſe *clarum* eſt, id nullâ interpretatione indiget, quando verò *dubium* eſt, vel obſcuritatem parit, tunc diſtingvo inter pacta *publica* & *privata*, & inter ſcriptum quod legem præſupponit, puta, teſtamentum, quodque ideò dicitur *legale*, vel quod non præſupponit, quodque appellatur *vulgare*. Si itaque obſcuritas accidit in pacto *privato* vel ſcripto *legali*, tunc tollitur per ſolam Interpretationem *declarativam*, quæ in expoſitione verborum tantum acquieſcit. Nam reliquas duas ſpecies, nimirum Interpretationem *extenſivam* & *reſtrictivam* ejusmodi pactum & ſcriptum relinqvunt legibus tam naturalibus quam humanis. *Si enim quoddam accidit in tali pacto vel Scripto, quod illud vel extendit*

*vel*

*vel reſtringit, tunc pactum & ſcriptum per ſe hoc non efficiunt ſed ſola lex.* Quando itaque cum lege convenit, quod tu fortè nunquam negabis, ut caſus, quicunque modo ſit, ad pactum vel ſcriptum ſit referendus, vel ab illo excludendus, tunc fruſtrà jam quærimus de Interpretatione extenſivâ vel reſtrictivâ pactorum privatorum & ſcriptorum legalium. Inde formamus regulam: *Illa Interpretatio pacti privati vel ſcripti legalis eſt ſequenda, quæ legi convenit, contra rejicienda, quæ à lege diſcrepat.*

20. Sed hoc peculiare eſt *pactis publicis*, (utpotè quæ non conſiderant leges Principis) & *Scriptis vulgaribus*, quod illis, præter Interpretationem declarativam ſimul Interpretatio extenſiva & reſtrictiva ſtatim ſine lege aliquâ humanâ conveniat, quia accidit aliquando, ut verba Scripta ex parte ſaltem referant mentem noſtram, & ita minùs loquamur quam ſentiamus, vel ut aliquando verba latiora ſint mente noſtrâ, ita, ut plus loquamur quam ſentiamus. Quibus duabus ſpeciebus unica jam ſaltem regula ſufficit, *prout ſubſtrata materia & præcipuè æquitas naturalis poſtulant, verba vel ſunt extendenda vel reſtringenda*, quam prolixius declararunt atque exemplis illuſtrarunt alii, interim de hâc Interpretatione in ſpecie vide infrà in Capite de fœderibus.

21. Jam iterum ad interpretationem declarativam, ubi quidem nihil novi expectabis, ſed regula, quæ in Capite de Sermone propoſita erat, jàm porrò obtinet. *Verba enim ſunt intelligenda ſecundum ſub-*

*ſubſtratam materiam*, cum hâc tamen diſtinctione, quod in Sermone obſcuro alterum quærere poſſimus, quid intellexerit? Quod in Sermone ſcripto non ità accidere ſolet. Inde non commodius nos geremus, quàm ſi regulæ traditæ addamus alias, quæ huic defectui aliquô modô ſuccurrere poſſunt, I. eſt *In quocunq; ſcripto vel pacto obſcuritas verborum obvenit intollerabilis, illud explicari nequit;* accidit hoc præcipuè 1. quando verba prorſus ſunt illegibilia, vel 2. quando omnis conjectura deficit, ex quà tamen alterius voluntas eſt ſcrutanda, vel 3. quando ſcriptura verè eſt perplexa & ex confuſo ordine nihil ſani percipi poteſt. 4. quando denique ſenſus ſibi ipſi contradicit, & quod ſemel affirmatur, iterum negatur.

22. II. *In ſubſtratâ materiâ accuratè ad antecedentia vel conſequentia eſt attendendum,* Sic enim materia ſubſtrata luculentior efficitur, & facilem ſimul reddunt ea explicationem, quæ locum, de quo quæritur, præcedunt vel ſeqvuntur.

23. III. *Verba obſcura nonnunquam explicantur ex loco aliquo alio perſpicuo.* Quæ regula aliquô modô cum antecedente convenit. Sed inter haſce talem differentiam fecerunt alii, quod prior intelligenda ſit de conjunctis *locô*, hæc verò de conjunctis *origine*, non enim hîc, ut loca inter ſe cohæreant, ſicut in præcedente, requiritur.

24. IV. *Obſcura verba quandoq; explicantur prout conditio vel dignitas illius, qui loquitur, vel de quo ſermo ſit, poſtulat,* V. *Verba cum effectu aliquo exponenda ſunt*, nam ſi aliquis in expoſitione

ter-

Digitized by Google

terminorum ſine reſpectu ad rem aliquam ſubſiſtere vellet, tunc ea nihil minus eſſet, quàm explicatio, explicatio autem verborum non propter verba ſola, ſed præcipuè propter res inſtituitur.

## Cap. XVII.

## *De Officiis hominis erga alios intuitu Juramentorum.*

I.

MAteriam juramentorum non ſinè cauſa usque ad hunc locum reſervavimus, quia illa ſunt acceſſoria eorum, quæ usque adhuc de officiis quorumlibet erga quoslibet diſtinctè diſſeruimus. Juramenta enim non tantùm Sermoni, ſed & præcipuè capiti pactorum accedunt, & ita nullam novam obligationem conſtituunt, ſed potius jam conſtitutam arctius firmant, & ex hâc ratione non malè *vincula acceſſoria* appellantur. Quapropter inter ordinem præcedentem locum aliquem ſpecialem habere non potuerunt.

2. Eo ipſo verò, quô acceſſoria ſunt, non mutare vel corrumpere debent obligationem, eidemque contrariari, ità enim fruſtrà is jurat, alteri debitum non velle ſolvere, vel quando aliquid ſupponit, quod non ità eſt, vel eſſe nequit. Et ſi ejusmodi juramento ſimul *dolus* accedit, tunc non fruſtraneum ſolum, verùm & injuſtum eſt. Sed dicis, Juramenta Civium nullum pactum præſupponunt. Imò

Digitized by Google

Imò verò ego, præſupponunt iſtud, de quô tamen vide infrà Cap. 26. §. 4. ad 7.

3. Eſt autem *Juramentum confirmatio noſtri ſermonis vel pacti ſub aſſertione religioſâ, quâ divinæ miſericordiæ renunciamus, vel pœnam divinam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus.* Quæ explicatio latet in formulis: *Ita me Deus adjuvet. Deus ſit vindex.* &c.

4. Poſtquam enim fallacia & perfidia inter ſocios creviſſet, & dubitatio atque vana fiducia inter eos orta eſſet, de aliquo cogitandum erat, per quod, tanquam communi remediô, iſti malo in Societate ſuccurreretur, illud autem nihil aliud eſſe poterat, quam ejusmodi confirmatio religioſa, ubi *aliquis* in ſubſidium atque teſtimonium factorum, ſub clauſulâ pœnæ perferendæ, ſi res ſeſe aliter haberet, invocaretur. Hinc *finis* juramenti eſt *confirmatio veritatis.*

5. Neque quis ille ſit? per quem hoc fieri poſſit, longè cogitandum erat: Omnes ſciverunt, illum eſſe, qui non tantùm cogitationes hominum optimè noſcit, ſed qui pravas punire pollet, imò qui turbatores iſtos Societatis tanquam indignos & malos ſocios per leges naturales declaravit. *Ille autem ſolus DEus eſt.* Sic unô ore Gentes circa hanc neceſſariam Societatis conſervandæ materiam ex ipsâ æquitate naturali adducti, conſenſerunt, jurandum eſſe per eum, inde lex oritur: *Non jura, niſi per ſolum DEum.*

6. Hinc quæſtio oritur, *an etiam licitum ſit, jurare per Creaturam?* Quam quidem, quia ejus-

H modi

modi juramentum *illuſorium* eſt, & ad alterum de veritate juſtè perſvadendum parum operatur, negamus. Sed ſi quis jurat per creaturas, de quibus ſibi pro certo perſvaſit *eſſe numen?* tunc ſanè ejusmodi juramentum ſubſiſtit, quia nihil aliud, quàm hanc creaturam DEum eſſe credit. Idem dicendum eſt, ſi jurat per creaturas, quæ DEO conſecratæ ſunt, puta templa, altaria, additâ tamen vel tacitâ vel expreſſâ clauſulâ, divinam pœnam in ſe derivare velle, ſi falsè juraverit. Qualia juramenta in hiſtoriis, præcipuè Romanorum, occurrere ſcimus, imò, quibus illud annumero, apud nos conſvetum, *ita me DEus adjuvet per ſanctum Evangelium ſuum.* Quô pactô juramenta ea, quæ per *Creaturas viliſſimas* fiunt, quale Zenonis eſt, qui per capparim juravit, excludimus, magis enim inter res jocoſas, quàm juramenta referuntur.

7. Ex his dependet porrò, an per *Principem*, per *Patrem*, per *Benefactorem* jurare poſſimus, ubi in ſolenni actu tale juramentum, quantum ſcio, raro vel nunquam inter gentes poſtulatum fuit, ſed ſi à me exigeretur, vel ego ſponte in causâ ſeriâ eô uterer, tunc nihilominus me obligaret, quia illi vel clauſula tacita iræ divinæ ineſt, vel ſaltem alter conſtanter credit, me nomine Principis, Patris vel benefactoris, quibus tam obligatus ſum, non abuti, meque hâc ratione eorum patrociniô non indignum reddere velle.

8. Hûc refero & juramenta illorum, qui per *dextram ſuam* jurarunt, nam turpe erat, falſiloquium cadere in virum fortem, neque etiam tacita clauſula aberat vindictæ divinæ.

9. Adhuc reſtat, ut diſpiciamus, per quem DEum jurandum ſit, ubi legi ſuprà poſitæ talis lex in eſſe debet: *Non jura, niſi per DEum verum.* Non tantùm enim ſufficit, ut per DEum juremus, ſed requirebat lex, ut ille DEus ſit, quem DEum eſſe credimus, nam ab alio, quàm vero DEO, nihil mali metuendum eſſe, quilibet exiſtimat. Sic ſemper jurandum eſt ſecundum religionem illius, qui jurat, non cui juratur. Indè Turca vel Gentilis juxta ſuam religionem rectè jurat Chriſtiano vel vice versâ.

10. Diximus autem ſuprà *Cap. 8. §. 24. nomine DEI non temerè utendum eſſe*, quæ lex erat religionis naturalis, & ideò omni religioni revelatæ competens, ex quâ jam in materiâ juramentorum docemur, non ſemper & ubique juramenta adhibenda eſſe, ſed tum demum, quando ſumma *neceſſitas* poſtulat, ut alteri fidem faciamus, nam ſemper jurare velle, malè jurare eſt, ſed expectandum potius, priusquam, ſi fieri poteſt, ab altero ad iſtud vocemur, quâ ratione lex oritur: *Non jura temere.*

11. Jam ad *modum* jurandi, quem duplicem faciunt, vel *eſſentialem*, in quo eſſentialia juramenti adhibentur, puta 1. aſſertio veritatis. 2. & DEI invocatio, vel *accidentalem*, ubi ſaltem ſolennia nonnulla ex impoſitione hominum, quæ pro moribus variant, requiruntur. Quando itaque de horum modorum pertinentiâ atque impertinentiâ quærimus, ab ipsâ ratione ducimur, ut ſtatuamus, ad juramentum priorem ſaltem eſſe neceſſarium, poſte-

riorem verò ſuccumbere legibus humanis, & licet hìc etiam aliquid contrà ſit commiſſum, juramenti religionem per ſe ſubſiſtere, nec novô opus eſſe, modò principalibus requiſitis ſatisfactum fuerit.

12. Hinc dependet facilis reſponſio ad duas diſtinctas quæſtiones, quarum prima eſt: *An permittendum illi ſit juramentum, de quo pejeraturum eſſe conſtat.* Quæ quidem fundata eſt in requiſito primo modi eſſentialis, de veritatis aſſertione, ſed quam hôc modô cum debita diſtinctione tollere poſſum. Si juramentum, ut vocant, eſt *purgatorium*, quod imponitur ei, contra quem præſumptiones militant, tunc, ſi iſtæ præſumptiones magis certa indicia perpetrati facinoris ſunt, ejusmodi juramentum malè imponitur, nam iſte, qui facinus peractum negat, ſimul in juramento veritatem negare poterit, præcipuè, quando ſic ab omni culpâ ſe liberandum videt. Alia longè dicenda ſunt in reliquis juramentis, quæ, licet alter expreſsè profeſſus ſit, ſe eſſe pejeraturum, ubique rectè exiguntur, quia tantùm minæ eſſe poſſunt, adde tamen §. 21.

13. Altera quæſtio eſt intuitu requiſiti ſecundi: *An Athei ad juramenta ſint adſtringendi*, ubi de practicis quidem quæſtio non eſt, quia illi, licet vivant, quaſi non DEus ſit, tamen credunt, DEum eſſe, & adeo ſpectarent potius ad quæſtionem antecedentem, ſed ſermo nobis eſt de Atheis *theoreticis.* Si tales non ſunt, quorſum etiam inclinant plerique Theologi, diſputatio noſtra eſt fruſtranea, ſi verò horum quidam dantur, tunc utique parvum fructum ex ejusmodi juramento ſperare poſſumus, quia nihil minus, quam vindictam divinam metuerent.

14. Ab

14. Ab eo verò, qui jurat, *animus deliberatus* requiritur, ſeu ut ſciat etiam, qualis ſit ſanctimonia juramentorum, nam hôc deficiente, juramentum nullum eſt, quia nulla ejus obligatio adeſt, ſed ſi quid ab ejusmodi homine fit, *nuda* dicitur *recitatio*. Ubi ſtatim nota, quod ille, qui juramentum aliquod recitat ſine animo jurandi, non juret. Animum autem deliberatum non poſſident illi omnes, quos ad pacta ineunda excluſimus.

15. Sed neque is, *cui juratur*, prætereundus eſt, cui juxta §. 9. ea, quæ ex religione naturali repetiimus, adhuc pro regulâ inſervire debent: ut neminem ſine juſtâ causâ ad juramentum adigat, ſed tùm demum, quando neceſſitas negotii iſtud efflagitat, inde lex eſto: *Non temerè ab altero juramentum poſtula.*

16. Sic quod juramentum *dolô* elicitum eſt, non obligat, quia hoc contrariatur legi præcedenti, idem dicendum, ſi *metu*, (à quo tamen metum injuſtum ſtatim excludo) & *violentiâ* extortum. Sed, dicis, hôc modô peccas contra conſcientiam, non enim nomine DEI temerè utendum eſt. Imò reſpondeo, hoc pro me eſt, non mihi juro, ſed alteri, qui, ſi injuſtè à me extorquet tale juramentum, tunc juro in ejus animam, ego verò in conſcientiâ, ſi promiſſa illa ſervare nolo, quietus maneo. Verùm porrò regeris, *Æquius tamen eſt, ut nè jures?* Imò melius eſt, ſi iſtud evadere poſſum, *ſed metus ſuperat voluntatem*, quod autem quis coactè facit, non imputatur. Spectant huc juramenta, quæ fiunt *latronibus.*

 17. Præ-

17. Prætereà non valent juramenta, quæ circa rem aliquam *impoſſibilem* tam moralem quàm phyſicam ſeu legibus interdictam fiunt; & quia ſic nomine DEI temerè uſus fui, reum me facio vindictæ divinæ.

18. Reſtant juramenta, quæ fiunt *in alterius animam*, ſeu ubi aliquis pro nobis jurat, quæ tum valida ſunt, quando in caſu juratur, qui procuratorem aliquem admittit, qui verò neque validè jurat, ſi ad hoc cum ſpeciali vel expreſsô mandatô non inſtructus eſt.

19. Quemadmodum itaque juramenta quandoque nulla ſunt, ita è contrario ab initio valida tolli poſſunt per *diſpenſationem*, de qua prolixius in jure divino & privato, ſaltim hîc præſuppono, quod is, qui diſpenſat, *princeps meus* eſſe debeat, non alius, quia alteri in me nullum competit imperium. Ut verò tibi de juſtitiâ ejusmodi diſpenſationis conſtet, addo poteſtati illi, quæ hâc parte principibus competit, talem limitationem, *ut ne pugnet relaxatio juramenti partim cum legibus Societatis, partim, & quidem inter Chriſtianos, cum legibus divinis.* Indè judicandum, quid ſentiendum ſit de diſpenſatione Pontificis circa juramenta, de quibus hiſtoriæ exempla produnt.

20. *Vero juramento* opponitur *Perjurium*, quod adeò eſt *falſa confirmatio noſtri ſermonis vel pacti ad alterum decipiendum.* Sicuti verò turpe malum eſt, aliquem in ſermone & pactô lædere velle, ità turpius adhuc atque pejus ſonat, quando aliquis perjurium committit, quâ ratione & leges humanæ iſtis homi-

hominibus acerbiſſimas pœnas dictitarunt. Sic lex eſt, *non committe perjurium.* Perjurium tamen à juramento *nullo* diſtingvendum eſt, prius erat falſa conteſtatio, poſterius autem veram quidem confirmationem ſupponit, non tamen per legem obligat, qualia in præcedentibus recenſuimus.

21. Nunc quæritur: *An ille ſit perjurus habendus, qui contra iſtud, quod in juramento promiſit, efficit aliquid?* Quod citra dubium affirmamus de quâcunque modò re juramentum præſtitum ſit. Spectant huc etiam ea, quæ exiguntur ab illis, qui functionibus præſunt, imò juramenta Civium. Hinc dependet non tam curioſa, quam neceſſaria quæſtio, *An rectè faciant Magiſtratus, qui tam rigoroſas formulas præſcribunt iſtis, de quibus quotidiè experiuntur, quod contrà aliquid committant?* Ubi antè omnia finis Magiſtratus *internus* diſtingvendus eſt ab *externo.* *Externus* vult, ut illud, quod ità ſeverè interdictum eſt, hôc modô intermittatur, *internus* continet tacitam diſpenſationem *tantùm* circa caſum iſtum intuitu cujus peccatum eſt, reſervatâ tamen pœnâ, non propter juramentum falsò præſtitum, ſed propter caſum in juramento interdictum, confer tamen §. 15. ex quô tu ipſe judices.

22. Porrò non inutiliter quæritur, an *vis & obligatio juramentorum tranſeat ad hæredes*, quod partim affirmamus, partim negamus. *Affirmamus*, quando hæredes ex ſermone vel pacto defuncti ad aliquid obligati ſunt, tunc, ſi juramentum acceſſit, magis obligantur. *Negamus*, quando defunctus

absque præcedente obligatione, quæ hæredes obligare poteſt, juravit, ubi ſi nondum vis juramenti ceſſaverit, cum ipſo moritur.

23. His præmiſſis accedimus ad *Interpretationem* Juramentorum, ubi quidem non novum genus expectabis, ſed ea potius repetenda ſunt, quæ diximus occaſione ipſius interpretationis, quæ ſermoni & pactis vel ſcriptis convenit, horum enim in univerſum juramenta acceſſoria ſunt. Quando verò iſta omnia in unam regulam includere volumus, tunc hæc ipſa erit: *Juramentum eſt intelligendum, prout ille intellexit, qui iſtud detulit.* Sic pro ratione circumſtantiarum omnes interpretationis ſpecies patiuntur juramenta, *præcipuè, quia non tantum in pactis privatis ſed & publicis adhibentur.*

24. Regulæ duæ obſtant. 1. *Cavillationes*, & 2. *reſervationes mentales.* *Cavillationes* accidunt, quando contra intentionem alterius ex interpretatione reſtrictivâ vel declarativâ facimus extenſivam vel vice versâ. In *reſervatione mentali*, apertus verborum ſenſus torquetur in contrarium, ex quibus efficitur, ut aliquis credat, jurantem aliquid affirmare, quod revera tamen intrinſecus negat. Illud autem contingit præcipuè, quando in juramento circumſtantia aliqua facti præter opinionem omiſſa vel mutata eſt, tunc enim perſvadentur à ſuis ejusmodi homines, ſalvâ conſcientiâ jurandum eſſe. Sed iſti ſciant, juramenta eſſe inventa propter merita cauſæ, non propter facti circumſtantias. Sic apud nos aliquis ex inſtinctu aliorum juravit, non infregiſſe alapam alteri extra fores Titii, ſibi tamen reſervavit,

vavit, ſe feciſſe hoc in ejus ædibus, ſic per hanc formulæ circumſtantiam perſvaſus, juravit.

25. Duo adhuc reſtant, quæ cum juramentis aliquam affinitatem habent, nimirum. 1. *Obteſtatio*, quando aliquem v. g. per DEum rogamus, ut dicat veritatem, quæ adeò competit ei, qui juramenta defert, ubi, ſi neceſſitas poſtulat, gratificari debemus. 2. *Conteſtatio*, quâ quis per aliquod ſibi chariſſimum confirmat, veritatem tanti æſtimare, quanti hoc charum æſtimet, & ejusmodi conteſtationi ex naturali diſpoſitione æque fides habenda eſt ac juramentô ipſi. Huc refer promiſſiones Principum, quæ fiunt ſub conteſtatione, bey ihren Fürſtlichen Worten / nam illa magis æſtimare ſolent, quàm aliud quoddam; Item huc ſpectat, quando promittunt nonnulli inter privatos ſub clauſulâ, ſo wahr ich ein ehrlicher Mann bin / ubi ejusmodi verba quaſi pro juramento habentur.

26. Sequeretur tandem diviſio juramentorum, ſed quam jus naturæ prorſus ignorat, quia nullum ibi ponit diſcrimen ad quæſtiones decidendas, planè enim circa definitionem ejus dicta ſufficiunt. Alii quidem unicè in *Promiſſoriis* & *Aſſertoriis* acquieſcunt, & priora quidem ad pacta, poſteriora verò ad ſermonem referunt, ſed non ſine contradictione, quia & promiſſorium ſermonem comitatur, & in pactis etiam juratò aliquid aſſerere quandoque debemus.

# CAP. XIIX.

## *De Officiis inter Conjuges.*

I.

ATque ita ad officia ſpecialia commodè delapſi ſumus, ubi quidem quoad *Societates arbitrarias* & quoad obligationem in *Converſatione* hominum, nullum peculiare caput expectabis, illæ enim leges, quæ has duas Socialitatis ſpecies dirigunt, in officiis quorumlibet erga quoslibet ſunt expoſitæ. Quemadmodum enim jus naturæ, ut ſuprà diximus, ſpecialiter aliquid de Societate arbitrariâ atque converſatione inculcare nequit, ita & omnia legibus humanis determinanda relinquit. Sed ſi quid circa eas diſpoſuit, nihil erit aliud, quam, ut dictum, leges illæ, quas in officiis quorumlibet erga quoslibet demonſtravimus.

2. Accedamus itaque *ad familiam*, cui jus naturæ, propter ejus naturalitatem, paulò melius proſpexit, illi enim non paucas leges ſpeciales præſcripſit, quas ut diſtinctè tradamus, jam occupati erimus. Ubi ante omnia ex Capite Societatis repetendæ ſunt tres illæ Societates, quæ familiam conſtituebant, *conjugalis* nimirum, *Paterna & dominica*, ubique ſimul probavimus, familiam etiam ſubſiſtere poſſe, licet una harum, imò duæ deficerent. Diximus etiam unam ex hiſce Societatibus præ alterâ ſemper peculiari fine contentam eſſe.

3. Quô pactô tandem clarè patet, quòd circa familiam non unica ſpecies condenda ſit obligatio-

num,

num, ſed diſtinctæ potius. Non longè tamen cogitandum eſt, quæ ex his alteram præcedat, nam ſi naturali utimur methodô, citra dubium primum locum ſibi vindicat Societas *conjugalis*, alterum *paterna*, tertium verò *dominica*. In his verò tribus Societatibus præter præſentes has peculiares obligationes, dicta in officiis generalibus commodum ſibi vindicant locum.

4. Sed antequam circa obligationem conjugalem ſoliciti ſumus, præmittenda priùs eſt reſolutio terminorum, puta quid ſibi velit *matrimonium*, *conjugium*, *nuptiæ*, &c. quæ tamen cuncta vocabula jam tanquam Synonyma accipiuntur, non enim peculiarem producere videntur obligationem. Sunt enim in univerſum nihil aliud, quam *Societas inter maſculos & fœminas ad liberos procreandos.*

5. Non verò eſt, ut de Societatis hujus *neceſſitate* æque ac *utilitate* plura diſſeramus, partim quia ipſa natura pro eâ loquitur, partim quia tam neceſſitatem quàm utilitatem duobus quaſi verbis ſuprà indicavimus, quapropter jam eò breviores eſſe poſſumus.

6. *Voluit Summum Numen, ut genus hominum propagetur.* Cujus aſſertionis teſtimonium ſunt membra iſta, quæ DEus hominibus ad procreandam Sobolem adgeneravit. Sed præterea adhuc duo ſunt, quæ neceſſitatem Conjugii urgere ſolent, quæ ſimul fluunt ex lege fundamentali, propagationem & augmentum Societatis ſimul inculcante, idque primum, quod obligavit *Protoplaſtos*, atque *Majores* noſtros & certo reſpectu nos cum illis, nimirum *inanis copia hominum.* Ad illam enim augendam

Socie-

Societas matrimonialis valdè erat neceſſaria. Alterum obligat nos cum poſteris noſtris, videlicet *mors*. Poſtquam enim illa intravit in homines, proſpectum eſt generi humano, ut malo illi, per quod exitium Socialitatis expectandum erat, per conjugium præcurratur. Per implementum horum duorum obligationis generum, numerus hominum in medio quaſi ſuſtinetur, quot enim per mortem Socialitati eripiuntur, totè contrario à ſuperſtitibus iterum generari poſſunt. Ex quo ſimul conſtat, quòd ſi morti non obnoxii fuiſſent homines, tunc poſtquam conſpicuum numerum attigiſſet Socialitas, conjugia non inutilia tantum, ſed & illicita eſſent, quia copia hominum brevi ita creſcere poſſet, ut per famem ſupervenientem & alia mala ſuccedentia, oriretur bellum omnium contra omnes & planè interitus ſocialitatis. Morte tamen ſemel obtentâ, non aliud erat medium, quam Societas nuptialis quæ numerum hominum, ut nunc eſt, in ſuo ſtatu conſervare ſatagit.

7. Hæc argumenta ſequitur novum aliquod, nam hæc neceſſitas conjugii naturæ etiam humanæ à DEO connata eſt, *cupido* enim & *ſtimulus* hominem ad hanc Societatem præ reliquis omnibus vehementius ducunt, præcipuè, poſtquam inſuper *libido* aliqua illam ingreſſa eſt, quam iterum penè omnes à naturâ ducti, adfectant.

8. Hæ itaque & aliæ rationes gignunt legem aliquam, quæ ita ſe habet: *Ineundum eſt matrimonium.* Ductu hujus quæritur; *An illi*

*peccent*

*peccent contra hanc legem, qui intermittunt contrahere matrimonium.* Quam quidem nego, non tamen univerſaliter. Illi enim, qui à naturâ feruntur ad *cœlibatum*, adhuc, cum nullus defectus eſt inter homines, non peccant contra voluntatem DEI, ſi hanc ſocietatem intermittunt. Multa etiam accidere poſſunt, quæ matrimonium non ità commodè admittunt, præcipuè, ſi in cœlibatu magis utilia generi humano ſervitia præſtare poſſunt illi, quàm uxorati. Qui ipſi tamen peccarent, ſi ſexus hominum imminueretur. Indè legem alii ità intelligunt, *quod quidem obliget totam communitatem hominum, non autem perindè ſingulos.* Quæ explicatio, ſi cum noſtrâ congruit, rectè ſeſe habet.

9. Abutuntur hôc argumento illi, qui cœlibatum Monachorum defendere voluerunt, quia hîc par ratio ſubſit, quam ſi admittimus, cæteris paribus, res ſalva eſt, quod ſi verò cœlibatum monachatus ex vero ſuo principio derivare volumus, non poſſumus non exiſtimare, quod illis Dominis matrimonia propterea ſint interdicta, ut miſſis curis domeſticis, tantum Intereſſe ſedis Papalis & communem utilitatem Clericorum obſervent.

10. Deinde lex tacitam habet limitationem intuitu *occaſionis*; Quemadmodum enim miſerabile evaderet matrimonium, quando aliquis, qui fœminam cum familiâ adhuc alere nequit, uxorem habere vellet, ità expectandum eſt, priusquam copia adſit *decentis conditionis*, vel tantùm, ut videmus, quia quandoque juvenes illam expectare nolunt, *facultas*



Digitized by Google

*alendi* uxorem ad minimum ab aliis ſuppeditanda. Sed Reſpublica omnes ejusmodi mendicos alere nequit.

11. *S*ufficiant iſta de neceſſitate conjugii, jam ad alia accedamus, ubi quidem hæremus primò, quid præ altero ex juſto ordine præmittendum ſit, nam ita diſputare volumus, ut altera quæſtio dependeat ſemper à priori. Sed commodiſſimè incipiemus à *fine*, finis enim conſtituebat diſtinctam naturam hujus Societatis, inde fortè & omne in eo fundamentum ponent quæſtiones reliquæ. Maximum verò inter doctores circa finem conjugii reperio disſenſum, maximè etiam inter ſe propterea diſceptarunt, nobis verò, miſſis autoritatibus, tantùm rem ipſam intueri propoſitum eſt.

12. Scilicet quis dubitavit, *procreationem liberorum* non eſſe finem matrimonii, patet etiam ex differentiâ definitionis in §. 4. traditæ: non tamen iſte finis unicus eſt, referunt huc etiam 2. *libidinis expletionem* 3. *Mutuum adjutorium*, quibus addo 4. *Lucrum*, *quod intuitu alterius conjugis accreſcere quandoq́ʒ ſolet*. Neſcio enim ob quam aliam rationem juvenes nonnulli ſe ſociaverint cum vetulis. Ut verò juſtè diſpiciamus, quis inter hos alteri ſit præferendus, placuit communem diſtinctionem inter fines matrimonii *principales* & *ſecundarios* adponere. *Principales* enim ſunt, propter quos lex de matrimonio ineundo eſt præcepta,

Digitized by Google

pta, *ſecundarii* verò, qui ex neceſſitate iſta deduci nequeunt.

13. Itaque *procreationem liberorum* iterum reasſumamus, an nimirum *illa* & quidem vel *ſola* vel *cum aliis* concurrentibus finem conſtituat principalem. Ante omnia verò repeto, quæ de neceſſitate nuptialis ſocietatis in §. 6. & 7. diſſerui. Ex quibus ità concludo: *Quando procreatio liberorum ea omnia perficit, quæ ad neceſſitatem conjunctionis requiruntur, pro certo etiam ſequitur, quod ea ſit finis ejus principalis.* Jam, ſi examinabis eandem ductu dictorum §§. videbis abque omni dubio, quòd iisdem ſatisfaciat, ergò verum eſt, *quòd procreatio liberorum ſit finis matrimonii principalis.*

14. Sed pugnemus etiam pro *expletione libidinis*, ductu cujus multa quidem prolixius in medium proferenda eſſent, quæ verò brevibus abſolvam. Hoc dico, *libido concurrit ad appetitum conjugii tanquam Socia*, non verò conſtituit finem ejus principalem. Sic, quando in homine concurrunt appetitus liberorum procreandorum & explendæ libidinis, tunc finis prior eſt principalis, poſterior verò ſaltem concomitans. Libido acriores tantùm ad procreandos liberos in homine excitat ſtimulos, & ità fini principali quaſi miniſtra à naturâ adjuncta eſt. Indè pro *mutuo adjutorio* & *lucro captando* neceſſariò ſolus reſtabit finis ſecundarius.

15. Subſiſtamus igitur in procreatione, ut fine principali, & quidem *unicô*, atque talem formemus legem, quæ jam dicta in ſe complectitur. *Illa*

*Socie-*

*Societas eſto conjugalis, quæ generandæ ſobolis cauſa, non propter alium finem contrahitur.* Ubi tamen ſimul moneo, quòd & ille legi conjugali ſatisfeciſſe dicatur, qui quidem libidinem pro fine ſuo principali habuit, liberos tamen ſimul progenerare voluit. Atque indè fortè eſt, quod nonnulli ab iſtis cogitationibus ſeducti, ſtatuerint, expletionem libidinis eſſe matrimonii finem primarium, neque enim iſti perpenderunt, qualis differentia ſit *inter id quod fit & quod fieri debet.*

16. Sed quemadmodum pleræque leges ſuas habent limitationes, ita huic & legi §. 8. citatæ, nonnullæ, & conſpicuæ quidem, addendæ ſunt, quas omnes includemus disquiſitioni de *ſubjecto* ſeu *perſonis* matrimonii. Secundùm quas nos ità geremus, ut contemplemur quid juſtum ſit? 1. ratione *ſexus.* 2. ratione *capacitatis.* 3. ratione *conſenſus.* 4. ratione *numeri* & tandem 5. ratione *conjunctionis.* Hæc enim quinque diſtincta membra omnem de perſonis faciunt paginam.

17. Primum quod attinet, inculcat iſtud, ut perſonæ ſint diverſi ſexus ab unâ parte mas, ab alterâ fœmina. Nam finis conjugii principalis aliter obtineri nequit, niſi perſonæ membris inter ſe ad procreandum aptis concumbant. Sic excludimus illos congreſſus maris cum mare, qui infrà pertinent ad congreſſus Sodomiticos.

18. II. Requiſitum eſt de *capacitate*, ubi ex lege §. 15. ſtatim hæc oritur. *Illæ perſonæ ad matrimonium contrahendum admittantur, quæ generare poſſunt, excluſis reliquis.* Ductu hujus jam properemus ad exempla, ubi primum eſt ratione *ætatis*; ſic lex excludit *infantes*, quia carent communione corporum. Quousque verò hâc parte prohibitio duret, jus naturæ non in annis determinat, ſed habilitatem requirit phyſicam. Deinde excludit *ſenes*, de quibus nulla ſpes eſt, ut amplius generare poſſint, quales ſunt, qui ad maximam ætatem pervenerunt, aliter enim ex fundamentis etiam phyſicis iterum præſumitur, quòd apud illos aliquid reſiduum ſit, quod ſtimulos libidinis reſuſcitare queat, inde venit, quòd iterum jus naturæ terminum certum non præſcripſerit, ſed acquieſceret ſaltem in præſumtione. Ità rectè *ſenex* ducit juvenculam, neque enim hâc parte induſtria objicienda eſt dominorum cooperatorum, quia, ut alii dicunt, quilibet præſumitur bonus, niſi probetur contrarium, & denique *vetula* juvenem, nam licet de fine principali non ità certiſſimè in ejusmodi conjugiis conſtet, conſtat tamen de finibus ſecundariis. Juvenis enim & juvencula reſpiciunt ſimul ad lucrum captandum, ſenex verò & vetula ad mutuum adjutorium, cui quandoque delira veneris cupido accedit.

19. Spectant hûc etiam conjugia, quæ contrahuntur *in ultimo vitæ articulo*, quia enim ſpes ſupereſt

vitæ, ità & ſperatur adhuc implementum futurum finis principalis.

20. Lex 2. ſe exerit ratione *impotentiæ*, quam duplicem communiter faciunt, unam, de quâ nulla ſpes ſupereſt, ut tolli poſſit, alteram, quæ mediis nonnullis tollitur, vel cujus ſaltem exitus ſperatur. Ad priorem ſeu incurabilem ideò referunt è maſculis *Eunuchos*, è fœminis verò *Arctas*. *Eunuchis* enim vel membra ad generandum à naturâ deſtinata, prorſus adempta ſunt, vel quibus vaſa tantùm ſeminaria deficiunt, & aliô nomine *caſtrati* appellantur, qui plerumque peſſimi Scortatores ſunt, de quorum duorum impotentia ad liberos procreandos, quin incurabilis ſit, nulla eſt controverſia. Priores reperiuntur apud populos Orientales, poſteriores verò apud Europæos. *Arctæ* ſunt, quæ per nimiam anguſtiam ingreſſus, maſculos admittere nequeunt, quarum impotentia quandoque curabilis eſt, nimirum per inciſionem medicam. Impotentiæ curabili verò, præter arctam curabilem, adnumerant maſculos *ſpadones*, qui propter morbum aliquem à generatione prohibentur, & *fœminas ſteriles*. Sterilitas quidem raró à medicis tollitur, nonnunquam tamen ipſa per ſe ceſſat, & ità inter curabiles impotentias adhuc refertur.

21. Ex hiſce perſonis illæ ad Societatem nuptialem ineundam admittuntur, quæ *curabilem* patiuntur *impotentiam*, nam præſumitur, illam poſtmodum deſinere poſſe. Non verò illæ, quæ impotentiâ incurabili laborant; hîc enim finis primarius prorſus exulat, neque ſpes eſt, ut obtineri poſſit.

22. III.

Digitized by Google

22. III. Requiſitum *conſenſus* eſt, nimirum quia brutale eſſet, fœminam ad congreſſum cogere velle,ità & ejus etiam conſenſus hâc parte præcedere debet; Indè de eo, qui violenter aliquam ſtupravit, dici nequit, quaſi leges conjugii implevisſet. Spectat huc quæſtio ubivis obvia: *An conſenſus, an verò concubitus faciat nuptias?* Controverſia hæc inter JCtos, ut ego arbitror, occaſione legum Romanarum orta eſt. Non malè enim fecerunt iſti, qui *conſenſum* requirebant, quia nuptiæ tunc nihil aliud ſignificabant, quàm inchoamentum futuræ vitæ matrimonialis. Sicuti nec malè illi poſuerunt *concubitum*, qui de matrimonio ipſo cogitarunt. Atque eôdem modô ego ad quæſtionem reſpondeo, ſcilicet, antequam matrimonium inchoandum eſt, prius conſtare debet de conſenſu contrahentium, ſi iſte adeſt, nihil reſtat, quam ut per concubitum perſonæ matr moniales fini principali, propter quem conſenſerunt, ſatisfaciant.

23. Quia verò iſti, quibus intellectus & voluntas deficit, conſentire nequeunt, ita & ad nuptias contrahendas excluduntur *furioſi*, *mente capti & ſummè ebrii*. Sed cui aſſertioni iterum limitatio adjicienda eſt, nam tum demum perſonæ ſupradictæ prohibentur, ſi edere debent conſenſum, non verò ſi jam editus eſt tempore integritatis, tunc enim expectandum eſt, usque dum mens delira deſierit; de *infantibus* vid. §. 18. Seorſim autem Intellectui opponitur *Error & Dolus*, Voluntati verò *Metus & Violentia*.



Digitized by Google

24. Si de *Errore* ſpecialiter quid dicendum eſt, diſtingvendum erit inter Errorem, qui accidit vel intuitu finis principalis matrimonii, vel intuitu alicujus finis ſecundarii. Breviter, nullus error ob finem aliquem ſecundarium impedit nuptias. Si quis enim erravit circa *pulchritudinem*, *divitias* vel *dignitatem*, ille conſenſum ſuum detrahere nequit, quia propter hos fines conſenſus conjugalis non poſtulandus eſt. Imò nec conſenſui officit error *circa virginitatem*, quia aliqua, licet deflorata, finem principalem implere poteſt. Omnia tamen alia dicenda ſunt, quando quis ſibi proſpexit *per modum conditionis*, ità, ſi conſenſui acceſſit limitatio, *repudiabo te, ſi* &c. tunc ex pacto ſuperveniente clauſula prius implenda eſt, vel nuptiæ ſunt nullæ, quia aliàs amor ſic ceſſaret conjugalis, ut incitamentum ad congreſſus.

25. Si verò erravit quis in *fine principali*, tunc deficiente eo, deſinit ſimul efficacia conſenſus, quod accidit, ſi quis erravit circa *ſexum* vel *impotentiam incurabilem*. Sed quid, *ſi erraſti circa perſonam?* nimirum quæſiviſti Mæviam, promiſiſti tamen nuptias Titiæ. Hîc ſanè, ſi *dolus Titiæ accedit*, promiſſio eſt invalida, ſi verò *dolus abeſt*, matrimonium ſubſiſtit, nam *error nocet erranti*.

26. Ratione *doli* eadem obtinet diſtinctio, ſic ſi dolô perſvaſus ſum ad nuptias, defectum tamen reperio circa finem primarium, conſenſus meus me non obligat, ſed reſilire poſſum. Quandò verò defectus eſt repertus intuitu finis alicujus ſecundarii, mihi imputare debeo, quòd mihi non cautiùs proſpe-

ſpexerim; Sed iterum aliud dicendum, ſi conditio adjecta eſt.

27. *Metum* quòd attinet & *Violentiam*, ſi adhibentur ad conſenſum extorquendum, non efficiunt, ut iſte ſubſiſtat, quia Voluntas mea eſt coacta. Quandò verò nuptias, ſicut & anteà in reliquis exemplis, congreſſus ſimul jam ſecutus eſt, ſubſiſtunt illæ, quia conſenſus præſumitur poſteà acceſſiſſe.

28. Sequitur IV. Requiſitum de *numero* contrahentium, *an* videlicet *unus mas plures poſſit habere uxores? An verò una fœmina plures maritos?* Priorem conjunctionem appellant *Polygamiam virilem*, poſteriorem *Polygamiam muliebrem.* Equidem quàm plurimi Doctores juris naturæ *muliebrem* polygamiam, ut illicitam, pronunciarunt, contrà tamen aliqui eandem multis rationibus defendere laborarunt. Sed nobis actus *phyſici* ab actibus *moralibus* diſcernendi ſunt. Nam *phyſicè* quidem res ſalva eſt, unam fœminam plures admittere poſſe, ſed impoſſibile eſt, teſtantibus Medicis, partum ex tot variis congreſſibus edi poſſe, quia, ut dicunt, talis confuſio naturarum in utero materiam conceptam interficit. Si verò rem *moraliter* metimur, planè ejuſmodi congreſſus non conjugia ſunt appellandi, & non niſi de immoderatis populis duntaxat ad libidinem venereæ uxoris explendam proferuntur. Deinde à ratione moratiorum hominū iſta communio magis abhorret, quæ omnem amorem conjugalem exſtirpat, & non niſi illicitos amplexus ſatiat. Eandem patitur deciſionem quæſtio: *de matrimonio cum jam nuptâ.*

 29. Lon-

29. Longè aliter tamen ſe res habet circa polygamiam *Virilem*, quæ, ſi ex ſolâ ratione loqui amamus, ipſi rationi congruit, quid enim quæſo impedit, ſi aliquis plures ſimul habet uxores? nihil ſanè, verùm locupletior potius hôc modô redditur copia hominum, nam iſta mulierum pluralitas ex unico ſaltem virô tanta incrementa edit, quanta à ſola unâ, computatis annis, intra longiſſimum ſpatium nequeunt. Imò provoco ad experientiam, viro enim id roboris eſt, ut pluribus fœminis ſufficere poſſit. Et prout mihi conſtat, nulla eſt ratio, per quam hæcce licentia in dubium ſit vocanda. Niſi quòd verum ſit, patrimonia hôc modô maritorum dilabi facilè; ſed cui malo proſpicitur, ſi talis eligitur numerus, qualis pro opibus atque proventibus annuis ſufficere poteſt. Sed à quibus conjugiis nos abſtinere debemus, quia in jure divino, ut ſuô tempore audiemus, nobis ſunt interdicta.

30. Non deſunt tamen, qui iſtam licentiam ex ſolâ ratione impugnatum ivére, hôc præcipuè ſtipati argumentô, quod ita *non reciprocetur fides mutua inter conjuges*. Sed undè demonſtrandum erit, præſtationem fidei conjugalis ſemper eſſe debere æqualem intuitu *numeri*? nam ut infra §. 56. audiemus, tantùm iſta æqualitas extendit ſe, ut ne mulier alteri ad ſobolem generandam copiam ſui faciat. Porrò rationes, quas proferunt diſſentientes de *Zelotypia* fœminarum, exiguum habent robur, illa enim, ut dicunt, prolem non impedit, ſed levia duntaxat incommoda & bella domeſtica illam quandoque comitantur, quæ verò viri, tanquam capita familiæ, certis remediis iterum componere ſolent.

31. Sed

31. Sed quia prohibitio polygamiæ virilis ex jure Naturæ non demonſtratur, non ſequitur tamen, quod polygamia iſta ibidem *monogamiæ* præferenda ſit, hoc enim ego ipſe dico, perfectiſſimam eſſe ſpeciem conjugii, *ubi una uni jungitur* quia & hôc pactô quotannis, ſi ità placet, domus conſpicua augmenta recipit. Spectat huc etiam Polygamia *ſucceſſiva*, ſeu, quando poſt mortem unius conjugis ad ſecunda vota tranſcendit perſona relicta, quæ, quin licita ſit, nunquam in jure naturæ in dubium vocatum eſt.

32. Reſtat V. Requiſitum, quod erat de *conjunctione*, nam quæritur occaſione hujus, *an omnibus omninò licitum ſit, contrahere matrimonium?* Ubi ſanè ex jure naturæ nulla obtinet prohibitio circa perſonas, quæ diverſæ ſunt *religionis*, quia & hîc fini principali pleniſſima fieri poterit ſatisfactio, verùm eò major reſtat prohibitio ratione *conſangvinitatis*, quam, ſi ſecundùm tres lineas ſuprà dictas dividimus, commodiorem ſortiemur inſpectionem, quarum *linea recta, ſeu aſcendentium & deſcendentium in infinitum eſt prohibita*, cauſa tamen prohibitionis doctoribus maximum movit ſcrupulum.

33. Ex illis verò nullam fermè merentur reſponſionem illi, qui rationem quæſiverunt in *confuſione nominum & jurium*, quando v. g. reſpectus maternus in maritalem confunditur, ſed quæ ratio neque univerſalis eſt, quia & leges Civiles, quæ nihil contra naturam diſponunt, permittunt nuptias inter filiam uxoris meæ & meum patrem, licet ille tum ſit filii locô: Neque etiam conceptui naturali convenit, quaſi ex confuſione iſta oriretur inceſtus.

 34. Alii

34. Alii fundamentum invenire voluerunt in *Communione Sangvinis*, ſed quod aliqui rectè, ut obſcurum, accuſarunt. Quomodò nimirum communio ſangvinis phyſica effectum poteſt producere moralem? Socrates ſaltem reſpexit ad *diſparitatem ætatis*, cui tamen reſpondendum erit ex §. 18. Iterum alii *reverentiam* produxére, ſed quæ ratio tam frigida eſt, ut neceſſariò ſequatur, Patrem filiam ſuam majorennem ducere poſſe, quia ſic ex reverentiâ paternâ fieret maritalis, & licet objicias, *reverentiam erga parentes eſſe debere irremiſſibilem*, reſpondeo tamen, hoc eſſe pro me, quia ſic patres nonnulli fortius allicerentur ad ejusmodi matrimonia, propter reverentiam jam duplicatam, quæ expectanda eſſet.

35. Contrà paulò propiùs ad rem acceſſerunt illi, qui cauſam hujus prohibitionis dixerunt eſſe *pudorem eum circa partes genitales; quem parentes & liberi inter ſe habeant*, cujus inter alia hanc rationem proferunt: hominem eſſe animal digniſſimum æquè & ſplendididiſſimum, cui conveniat, ut membra iſta non detegeret, ne quovis tempore libidinem excitarent. Ex quo argumentô concludunt demum, majorem longè pudorem eſſe obſervandum inter illas perſonas, quibus ſimul reverentia aliqua accedit, quales ſunt parentes & liberi.

36. Sed hîc ante omnia in ipſum argumentum inquirendum eſt, ubi ſanè fateor, in genere, *pudoris* fundamentum rationi noſtræ haud perfectè cognitum eſſe, nam multi pudicitiam crepant, habent tamen animum impudiciſſimum. Si verò aliquid dicen-

Digitized by Google

cendum eſt, obtinet quidem ratio, quòd in pudore præſumatur, ſemper per eum coërcendam eſſe *pravam aliorum libidinem*; An verò exindè *prohibitio inceſtus* demonſtrari poſſit, non arbitror. Quanquam enim præcipuè pudor inter Parentes & liberos ſit adhibendus, verùm ex quo non ſequitur, ergò matrimonium inter illos eſt interdictum. Omnes enim homines, inter ſe propter ſplendorem & dignitatem, pudorem prætendere debent, indè nunquam poſſent conjugia celebrare.

37. Sic ego potius cauſam prohibitionis quæro in *abhorreſcentiâ naturali, accedente ſimul voluntate DEI.* Naturæ enim meæ rationali à DEO ingenitum eſt, ut averſer carnem mei generis. Et ita *vir aliquis ſummus*, qui etiam hanc ſententiam fovet, non quidem de cauſa hujus abhorreſcentiæ, & an quæ detur, dubitare debuiſſet, quia ſufficiat eſſe voluntatem DEI. Qui porrò eruditè dicit, *quod illa averſio ab aliis magis, ab aliis minus colatur*, prout nimirum natura alicujus bona vel prava eſt, undè nonnunquam inceſtus.

38. In lineâ *obliquâ* non tanta eſt averſio, qualis erat in lineâ rectâ, quapropter & matrimonium tum licitum eſt, quando inter perſonas contrahentes nulla, niſi natura ſit prava, reperitur perhorreſcentia. Sed ſi illa adeſt, convenit, ut iſtæ perſonæ à nuptiis abſtineant, nam quis aliquem ad illas coget? Ab hâc tamen immunitate moratiores homines eximunt connubia inter *Fratres & Sorores*, quia fermè indiſtinctè apud illos circa ejusmodi conjugia deprehenditur magna averſio.

39. Idem dicendum eſt de *affinitate*, ubi perſonæ, quæ moraliter ſibi parentum & liberorum locô ſunt, eandem faciunt paginam cum conſangvineis in lineâ rectâ, licet iſta abhorreſcentia ſe non extendat ad gradus infinitos, ſed aliquandò deſinat. Quæ verò perſonæ ex reliquis nullam naturaliter ſentiunt averſionem, illæ & prohibitioni in jure naturæ non ſunt ſubjectæ.

40. Cæterùm ſi de *propinquitate* in genere, nimirum tam de conſangvineis, quàm affinibus quæſtio inſtituenda eſt, non diffidò ſanè, quod inter perſonas propinquas, excluſis illis, quæ prohibentur, ſi matrimonia contrahunt, major amor & fiducia ex æquitate naturali præſumatur, quàm inter eas, quæ citra aliquam præcedentem propinquitatem coivére. Quæ ultimæ quidem & hoc emolumentum Societati adferunt, quòd amicitiæ quandoque inter homines per conjunctionem duarum familiarum extendantur. Sed è contrario tamen matrimonia propinquorum amicitias conſtitutas fortius ligant.

41. Hæc itaque intuitu perſonarum ſufficiant, ſequitur *forma* matrimonii, ubi ſtatim non inutiliter quæritur: *An Societas conjugalis duret etiam per dies vitæ?* Cui quæſtioni ante omnia hæc disquiſitio præmittenda eſt, *an nimirum lex* §. 8. poſita, de matrimonio ineundo, *obliget conjuges, ut in infinitum*, i. e. in quantum ſemper poſſunt, *liberos procreent*? quam nemo ſanus affirmabit. Ille enim legi ſatisfeciſſe præſumitur, ſi, cæteris paribus, in ſui & mulieris ſupplementum duos liberos, imò tantùm unicam Sobolem relinquit, ſed qui tamen non

pec-

peccat, quando & tribus liberis adhuc plures adjungit. Indè, quia jus naturæ nunquam certum numerum determinavit, ſequitur etiam, quod fruſtrà quæramus de obligatione, an tendat in infinitum? Quô pactô demum ille, qui numerum illum, quem ſibi propoſuit, completum habet, ex naturali ratione, fini conjugali ſatisfeciſſe dicitur, ita, ut non iniqvum ſit, quando perſonæ poſteà iterum volentes recedunt.

42. Hoc tamen adhuc obſtat diſpiciendum, *an & invitâ alterâ, poſtquam fini ſatisfactum eſt, una pars recedere poſſit?* Ubi quidem nonnulli negativè reſpondent, ducti præcipuè ex regulâ, *quòd in pacto aliquo nulli licitum ſit pœnitere, niſi & alterius acceſſerit conſenſus*, quam quidem regulam ego ſalvam relinquo, arbitror verò, illam in quæſtione præſenti nullam habere poſſe efficaciam, quia in tantum obligat, in quantum pacto adhuc non ſatisfactum eſt, nam ſi plena ſatisfactio præceſſit, nulla amplius obtinet obligatio, quia, *acquiſitô fine, ceſſat actio.*

43. Verùm planè omnia alia dicenda ſunt, de *cohabitatione momentanea*, nam tamdiu expectandum eſt, priusquam partus eſt editus, quia aliàs *ratione mariti* non impleretur finis primarius, ſi poſt congreſſum fœminæ ſtatim valediceret, nam ſibi ita non quæreret ſobolem, ſed intenderet ſaltem expletionem libidinis, & *ratione mulieris*, peccaret illa in polygamiam muliebrem, quam anteà improbavimus.

44. Quan-

44. Quando verò conjuges conſenſum ſibi dedére ad tempus vitæ, tunc una, invitâ alterâ, recedere nequit.

45. Exindè fluit iterum alia quæſtio: *annon & contra pactum expreſſum, de cohabitatione ad dies vitæ, Societas conjugalis ſolvi poſſit?* Sed hîc diſtinctè formandi ſunt conceptus. Itaque an ambo conjuges conſentientes ab obligatione hujus pacti diſcedere poſſint, nullum ex præcedentibus reſtat dubium. Sed an hoc liceat, invitâ parte alterâ, nego, ubi ſimul nihil aliud reſpondeo, quàm quòd in §. 42. dixi, nimirum à pacto nullus recedere debet, niſi conſenſerit alter, ita & pactum conjugale, invitâ unâ perſonâ, ab altera diſſolvi nequit.

46. Sed quæ naturalis diſpoſitio ab ipsâ æquitate limitationes nonnullas recipit, ut nuptiæ jam conſtitutæ diſſolvantur, qui modus dicitur *divortium.* Si enim ad finem principalem recurrimus, ſtatim ſeſe exerit occaſio divortii. 1. *quando finis iſte ab unâ perſonâ obtineri nequit*, confer tamen quæ diſſerui ſupra à §. 18. ad 21. refer huc etiam divortium ob *debiti conjugalis denegationem.* 2. deinde *Adulterium* fini iſti contrariatur, non quidem, ſi ex ſolâ ratione loquimur, ratione *mariti*, quia ille, ſalvâ obligatione conjugali, cum alterâ ſeſe miſcere poteſt, ſed duntaxat ratione *mulieris*, partim enim hoc ſvadent anteà dicta de polygamiâ muliebri, partim obligatio fœminæ erga maritum infrà ponenda, de prole non adulterinâ, ſed marito propriâ tollenda. 3. Huc ſpectat & *malitioſa deſertio*, nam ſi una pars alteram temerè relinquit, tunc finis iſte nunquam obti-

obtineri poteſt, ſed ex diſpoſitione æquitatis pars relicta ſtatim absque ullâ morâ ad alia vota juſtè tranſcendit. Conſultò tamen dixi *temerè* vel *malitioſè*, ſi enim perſonæ deſerentis voluntas cogitur, nullum procedit divortium, verùm pars deſerta felicem reditum rurſus expectet, quod accidit in *captivitate & fuga*, quandoque ob cauſam civilem, quandoque verò ob ſævitiam alterius intolerabilem. Inde videndum 4. an ſe offerat occaſio divortii, *ob ſævitiam unius* conjugis, quam quæſtionem cum *moribus intolerabilibus*, non rarò ſcriptores confundunt. Circa ambas ego ita ſentio: ſi ſævitia oritur ad coercendos mores alterius, probè disquirendum erit, *an hôc modô malitia poſſit tolli an non*? ſi tollitur, rectè facit ille, qui verbera adhibet, quando verò his aliquid efficere nequit, tunc, antequam ad Divortium properatur, perſonæ ad tempus ſunt ſeparandæ, quò ſpectat *ſeparatio à thoro & menſa.* Quòd ſi verò iterum conjunctæ ſunt, malitia tamen unius non deſinit, juſtè per divortium ſunt disjungendæ. Idem dicendum, quando uxor immerita ſeverè circumagitur; ſed è contrario ſævitia uxorum in maritos non tam innaturalis, quàm ridicula habetur, cui non niſi per interpoſitionem poteſtatis maritalis ſuccurrendum eſt, quæ ſi nihil operatur, indignum præbet virum. Ea tamen omnia ad illos conjuges non extenduntur, qui quotidianis ejusmodi exercitationibus noctes adjungunt amœniſſimas, welche leben wie das Capitler-Volck/ propter quem modum ſævitiæ, ſicut arbitror, conſiſtoria noſtra divortia non admittunt.

47. Quan

47. Quando verò *divortium factum eſt*, tunc in jure naturæ non prohibentur perſonæ per §. 42. à ſecundis votis, illud quippe ſolvit tantùm priorem obligationem, & ſemper libertatem ad novam aliquam condendam relinquit, cum hoc tamen additamentô, ne perſonæ, de quarum impotentia incurabili divortium factum fuit, ad alias nuptias admittantur, quia jam de harum impotentiâ expreſsè conſtat. Quid verò de priori modô divortiorum apud nos liceat, videbimus ſuô locô in jure privato.

48. Cum eis, quæ dicta ſunt, magnam affinitatem habent nuptiæ illæ *minus ſolennes*, ſeu unô vocabulô *Concubinatus*, qui à plerisque gentibus receptus eſt, nam abſtrahendo à diſpoſitione hominum, non adeò conſpicua erit differentia inter nuptias & concubinatum. Si itaque ex inſtituto quorundam hominum judicare licebit, talis duntaxat cum matrimonio coincidit differentia, quòd concubina inter gentes minoris tantùm ſit conditionis, ac mulier eſt, quæ diſparitas per pacta ſaltem conſtituitur. Quòd ſi finem principalem conſideramus, impletur ille hîc æquô modô ac anteà, itaque ſi illum habemus, tunc de certitudine noſtræ aſſertionis perquam ſecuri ſumus. Quanquam enim nonnulli contrà clamitent, finem principalem concubinatus eſſe *expletionem libidinis*, quod quidem, quaſi etiam non accidere ſoleat inter gentes alias non nego, nego tamen, dari aliquem ex illis, qui expreſsè illum prætenderet, ſed ſi quid facit, adjungit tamen implementum finis conjugalis. Aliàs enim & illa conjugia non eſſent concubitus, in quibus inceſtuoſi homines magis quæ-

runt

runt expletionem libidinis, ac procreationem liberorum, quam ore profitentur.

49. Quando verò quærimus, quæ ſpecies congreſſus inter iſtos populos alteri ſit præferenda, tunc nuptias quidem pro conjunctione *nobiliſſima* ipſi agnoſcere debent, ſed ſi de *utilitate* diſputatio inſtituenda eſt, non poſſunt non concubinatum præferre conjugio, quia ille magis proficit maritis, illis enim non ſemper vacat, ut uxorem habeant, partim quia nummi ad ſplendidè alendam eam non ſufficere ſolent, partim quia conditio eorum ſecum quandoque portat, ut relinquant uxorem, quòd ſi ipſa non conſentit, per jam dicta non ſemper effici nequit, efficitur tamen in Concubinatu, ubi & invita deſeri poteſt, hâc enim parte gentes inter uxorem & concubinam adhuc differentiam conſtituunt.

50. Equidem nonnulli diſtingvunt concubinatum in *temporarium & perpetuum*, ubi ex terminis conſtat, quid per illos intelligant, ſed quæ diſtinctio ſterile nobis momentum adfert; Hæc autem juſtò melior eſt, quando illum diſpeſcimus in concubinatum *virilem* ſi vir ſibi quærit concubinam, vel *muliebrem*, ſi fœmina ſibi capit ſocium, vel ſi ità loqui placet, concubinum, extra dignitatem mariti ad prolem procreandam, quorſum ſpectant *matrimonia Amazonum.*

51. Hoc porrò ſcitu dignum eſt, quod monogamiæ etiam inter gentes accedat *concubinatus*, non tamen muliebris, quia eadem hîc eſt ratio ac in polygamia muliebri erat, ſed virilis ſaltem, ubi verò iterum ratione alimentationis diſtinctus reſpectus inter populos obtinet, *uxor lautius* ſed *concubina mediocriter*

*criter* habetur. An verò, niſi per pactum conſtitutum ſit, liberi ex concubinatu procreati, cum reliquis, ſolâ ducente ratione, *in capita* ſimul ſuccedere debeant parenti, non dubito, quia per ſe quoad liberos concubinatus à conjugio naturaliter non eſt diverſus.

52. Jam dicta de juſtitia conjugalis ſocietatis ſufficiant, pergendum tandem eſt ad *obligationem*, quæ exindè reſultat, quam commodè dividimus in *generalem* ſeu utrasque partes obligantem, & *duas ſpeciales*, præcipuè ex obligatione generali provenientes, unam nimirum intuitu mariti, alteram intuitu uxoris.

53. In Officio autem generali primò incipiendum eſt à fine, cujus virtute lex oritur: *Fac ea, quæ finem Societatis conjugalis promovent, & intermitte, quæ eandem turbant*, quæ in officiis ſpecialibus latiùs explicabitur. Porrò quemadmodum intentio legis nunquam impleri poſſet, niſi alterius accederet concurſus, lex eſt: *Conjuges mutuam ad corpus invicem præbendum habeant potentiam*, inde & conſequens eſt, unam alteram ad copulam carnalem, ſi nollet, cogere poſſe. Denegatio verò ne accidat, iterum lex eſt: *Conjuges mutuò ſeſe ament.* Nam ſi de amore conſtat, nulla ad congreſſum metuenda eſt

eſt denegatio. Amorem autem comitatur mutua dignitas, ne videlicet maritus jus aliquod in mulierem ſibi arroget, quod ad ipſum nunquam ſpectabat, propterea lex dicitur: *Mutua inter conjuges ſit æqualitas.* Et licet ante nuptias, conjuges fuiſſent diſparis conditionis, non tamen æqualitas ſemel conſtituta turbatur, turbatur tamen in concubinatu. Demum ex æqualitate oritur *communio fortunæ & opum*, non tantùm enim ad emolumenta communicanda conjuges obligantur, ſed & ad omnia incommoda & infortunia, quæ uni parti accidere ſolent, perferenda. Verùm quoad communionem opum ita ſe temperet maritus, ne nimiis impenſis ſe ipſum conſumat.

54. Hæc quidem breviter de obligatione generali, ſequitur ſpecialis, quæ reſpicit ad *maritum*, ubi ex legibus tribus prioribus ſpeciales proponemus quæſtiones & quoad primam & ſecundam legem: *contra quam maritus peccet, quando mediante conjugiô adulterina ſoboles illi naſcitur?* Hic nos per §. 51. dicimus, illum tantùm peccare contra alteram, nam licet cum aliqua opus peregiſſet, ſufficiens tamen manet & ad mulieri ſatisfaciendum, & ita nullam aliam legem violavit, quàm quæ inculcat mutuum amorem, neque etiam propterea ex §. 46. mulieri datur cauſa Divortii. Deinde quoad ultimam legem quæritur, *annon maritus habeat imperium in uxorem?* quod iſta lex per mutuam æqualitatem, quæ eſſe debet inter conjuges, ſtatim negat. Nimirum imperium inæqualitatem ſupponit, verùm

inæqualitas per æqualitatem jam præceptam eſt prohibita. Provocant equidem nonnulli diſſentientes ad *naturalem prærogativam* ſexus maſculini præ fœmineo, ſed ex quâ tamen non licebit argumentari usque ad imperium. Quando verò ponimus, marito quandoque competere in uxorem ſuam jus aliquod, tunc iſtud fit ſaltem *ex pacto*, non verò immediatè ex diſpoſitione juris Naturæ. Et ex his etiam concludere licet, quod nec ipſe ſibi vindicare poſſit aliquod *dominium in res uxoris*, niſi iterum pactum aliquod ſupervenerit. Quòd verò illi ſaltem competat *uſusfructus* earum rerum? magis naturale eſt, quia enim maritus alere tenetur uxorem, juſtè uſuras ex ejusmodi rebus accipit.

55. Præter has leges generales duæ adhuc ſpeciales pro marito reſtant, quarum prior eſt: *Maritus defendat uxorem ſuam*, quandoque enim fœmina injuriâ vel aliô damno afficitur, cujus defenſionem, quia ipſa ſibi proſpicere nequit, maritus ſuſcipiat. Convenit enim cum lege de mutuo amore & æqualitate mutuâ, ambæ enim exulant, ſi maritus defenſionem intermittit. Poſterior ita ſe habet: *Maritus præbeat alimenta uxori*, quia enim ipſa rebus domeſticis præeſt, nequit ſibi alimenta quærere, ſed maſculus, naturâ ſic poſtulante, ad ea obligatur ſimul, ita tamen, ut *modicam habeat rationem*. Per alimenta enim *victum & amictum* intelligo. Utrosque ſecundum conditionem & dignitatem ſuppeditet, &

ſi

ſi quæ mulier plura poſtulat, nunquam obligabitur. Hæc lex cum mutuo amore & æqualitate mutua iterum convenit.

56. Obligatio iſta, quæ ſolam *mulierem* concernit, partium ex generalibus officiis deducitur, ubi ſtatim huc ſpectat *adulterium*, quod quidem rectè dicitur *fidei conjugalis violatio*, ſed quæ per dicta ſaltem in jure naturæ Fœminam obligat, pacto enim conjugali tacitè ineſt ejusmodi clauſula, quòd mulieri prohibitum ſit, prolem tollere adulterinam. Ratio eadem eſt, quæ fuit in polygamia muliebri. Quando verò inſuper naturaliter definitio adulterii examinanda eſt, tunc violatio iſta ſaltem ſeſe extendit ad ejusmodi congreſſum, quem partus ſequitur. Ita ſi duntaxat fœmina corpus alteri præbeat ad libidinem tantùm explendam, absque intentione ſobolis generandæ, non quidem evadit adultera, violat verò legem de mutuo inter conjuges amore, ſi hoc facit, invitô maritô. Deinde eidem legi generali obſtat, quando *mulier ſe ſterilem facit*, ſic enim mas prohibetur à fine implendo.

57. Partim verò hæc obligatio, mediantibus officiis maritalibus, ex legibus generalibus derivatur, qualis eſt primò *reverentia* erga maritum, non quatenus alicui, alterius hominis imperio ſubjecto convenit, illud enim jam marito negavimus, *ſed quatenus ille ſaltem pro capite habetur familiæ.* Iſta verò reverentia, ſi duobus verbis delineanda eſt, exerit ſeſe in concurſu voluntatis mariti cum voluntate fœminæ. Si *affirmativè* concurrunt, tunc unius voluntas confirmatur per voluntatem alterius,

ſi verò *negativè*, ſeu ubi una pars adfirmat, quod altera negat, tunc voluntas mulieris cedere debet voluntati mariti. Poſtea eſt & *adminiſtratio rei domeſticæ*, quia enim maritus regulariter quærit alimēnta, & ſuſtentationem ſimul uxoris, conſequens eſt, ne ſe horum reddat indignam, ut curam habeat earum rerum, quas ipſa domi commodius adminiſtrare poteſt, quam mas. Reliqua officia ſpecialia, tam intuitu mariti, quam uxoris tu ipſe ex antea dictis collige.

58. Sufficiant hæc de Societate conjugali, jam itaque ad Societatem parentum & liberorum properare poſſemus, niſi & adhuc reliqvum ſit, paulò ſpecialius in *contraria* præſentis Societatis inquirere, quæ, ne longe abeamus, appellamus *tales congreſſus, ubi ſolummodò intenditur expletio libidinis, vel alius finis ſecundarius.* Ad hæc refero. 1. *Inceſtum* qui ſupra fuit conjunctio inter perſonas propinquas prohibitas, de quo nihil aliud dicendum reſtat. 2. *Adulterium*, quod etiam anteà fuit violatio fidei conjugalis contra finem principalem à ſola muliere facta, (quod in juribus poſitivis extendetur etiam ad maritum.) Reſtant pro nobis *Scortatio, ſtuprum, Fornicatio* atque *Sodomia.*

59. Antequam verò has ſpecies diſtinctè perluſtramus, operæ pretium eſt, quæſtionem aliquam præmittere, quæ omne dubium ſolvet. Quæritur itaque: *an ad Societatem conjugalem non ſufficiat aliqvis finis ſecundarius, fini principali expreſsè vel intermiſſo vel poſtpoſito?* Sed reſponſionem ex præcedentibus colligemus. Voluit ſummum numen

ut

ut homines propagentur, quapropter & homo à naturâ conjunctionem cum fœmina appetit, iſte verò appetitus non homini ineſt ad ſolam explendam libidinem, ſed tantùm ut auxilium aliquod ad congreſſum adpetendum. Qui itaque diſpoſitionem naturæ expreſsè invertit, ille non tantùm in naturam ſed & in voluntatem DEI peccare videtur. Idem dicendum eſt de ſolo mutuo adjutorio & lucro percipiendo. Nam hi duo fines, ſi expreſsè præponuntur procreationi ſobolis, eandem operantur ſententiam, quô pactô ad quæſtionem reſpondemus per binas regulas, unam affirmativam: *Illa eſt Societas conjugalis, quæ expreſsè pro fine primario habet procreationem ſobolis.* Alteram negativam: *Illa non eſt Societas Conjugalis, quæ expreſsè finem aliquem ſecundarium habet pro fine primario.* Sic quando perſonæ duntaxat intendunt *mutuum adjutorium* vel *lucrum aliquod*, intermiſſo periculo, an procreare poſſint liberos, nullum eſt conjugium, & naturaliter ſaltem pro *converſatione* vel *Societate arbitraria* habetur. Quando verò principaliter quæritur expletio libidinis, tunc, licet partus quandoque ſuperveniat, congresſus talis, cum honeſtâ Societate conjugali, ne ad minimum quidem comparari poteſt, iſtæ enim perſonæ judicantur ex regulâ negativâ, fines enim in-

vertunt. Illud autem accidit regulariter in *inceſtu* & *adulterio*, ſemper tamen in ſpeciebus reliquis §. 58. citatis. Atque ità, credo, commodè ad quæſtionem generaliter reſpondendum eſſe.

60. Quod verò ſpeciatim *Scortationem*, *Stuprum*, *fornicationem & Sodomiam* concernit, jam probatum eſt, nequaquam illis competere definitionem Societatis conjugalis, ſed hoc conſiderandum, reſtat, *annon poſſint defendi ut congreſſus alii, citra notam Societatis conjugalis?* Cujus reſponſio planè dependet ab hâc: *An jus naturæ extra Societatem conjugalem libidinis expletionem permittat?*

# Cap. XIX.

## *De Officiis Parentum & Liberorum.*

I.

SEcunda Societas naturalis eſt, quæ accidit *inter Parentes & liberos*, & ità à Societate Conjugali immediatè dependens. Cujus ſi de fine quæritur, anteà in *Originem* ejus inquirendum eſt. Ubi variæ circa eam ortæ ſunt opiniones, ex quibus illam, quæ nobis magis arridet, præmittemus.

2. Et quæſo, qui alii appellantur *Parentes?* quam qui ſobolem procrearunt, & qui *liberi?* quam qui à Parentibus ſunt progeniti. Qui verò habere volunt liberos, ante omnia id quærere debent, quod eos ad tale inſtitutum reddit capaces, illud autem nihil aliud eſt, quàm Societas conjugalis. Quô pactô

ctò origo Societatis paternæ ſunt *nuptiæ*, vel, ſi cum Grotio loqui mavis, *generatio*. Vapulat tamen Grotius ab illis, qui exiguum fundamentum in ſolâ generatione quæſivere, quapropter iſti bonam cauſam deſiere, atque de aliâ origine ſoliciti fuerunt. Verùm ego ipſe non diffiteor, generationem tantum ad deducenda officia hujus Societatis parum proficere poſſe, niſi *lex* accederet, ideoque generationi tanquam fundamento *immediato* addere poſſum ſimul *legem naturalem*, tanquam fundamentum, quod huic Societati, mediante generatione, implantatum eſt. Nam quid ſola lex naturalis, *ſi obligationem aliquam particularem effundere debet*, efficere poſſet, niſi aliud quid accederet, ex quo occaſionem ad obligandum caperet, quod ſanè nihil aliud eſt, quàm generatio. Et è contra, quid prodeſſet illa ſola, niſi norma adeſſet, quæ talibus ſociis obligationem injungeret.

3. Inter diſſentientes verò reperio, qui omnem originem ex ſola *Voluntate DEI* immediatè deducere laborarunt. Sed unde hæc conſtat? Concederem omnia, ſi dixiſſent, ſpectare huc iſtam voluntatem ſaltem mediante generatione, quia ſic voluntas eſſet DEI tacita, ſeu lex naturæ. Quâ ratione nobiſcum convenirent.

4. Alii porrò provocant *ad legem naturalem* de qua vide §. 2. & *pactum ſeu conſenſum tacitum*. Equidem quoad parentes, res clara eſt, illi conſentire poſſunt, nequeunt tamen infantes, per ſupra dicta Cap. 15. §. 6. Bene dicis, ab initio conſentire nequibant, poſſunt tamen ſi ad annos pervenerunt, & ita

conſenſus iſte ſuperveniens retrotrahitur ad tempus initii. Bene, inquam, omnia plana eſſent, modò ab initio conſentire potuiſſent, illud enim, ut arbitror, in tuâ regulâ ſupponitur. Ita recurris ad conſenſum ſaltem *præſumtum*, ſi enim infans eô tempore quô editus eſt, uſum rationis habuiſſet, ſimul in iſtam Societatem libenter conſenſiſſet. Verùm & hunc conſenſum addere nequeo, quia idem ille tempore pacti requirit maturum intellectum. Interim de ipſo conſenſu præſumto vide *dict: Cap.* §. 4. Ergò ſi ad Societatem paternam requiritur conſenſus, tunc debet eſſe *mutuus*, talis autem eſſe nequit, quia infantes nunquam conſentire poſſunt, ſed pro ipſis conſentit *neceſſitas*.

5. Itaque ex ſolâ generatione derivemus *finem*, poſt illum ex lege naturali *obligationem*. Poſtquam enim partum parentes acceperunt, tunc non derelinquendus eſt, ut à fame premeretur, (quod nec beſtiæ faciunt) ſed quia ſeipſum alere nequit, nihil aliud, ſvadente ipſa naturâ, pro fine habere poſſunt, quam *educationem ſobolis, ad augendam ſocialitatem & in futuros hæredes.* Quæ quidem duo requiſita neceſſaria omittuntur communiter, ſed ſinè quibus finis foret fruſtraneus, inde ut *cauſam impulſivam* finis habeamus, placuit verba apponere. Iſta verò cauſa & fini conjugali convenit. Ex his ſtatim oritur lex: *Parentes liberos ſuos educent.* Educatio verò nihil aliud eſt, quam *liberorum inſtitutio*, quæ incipit ſtatim à tempore conceptionis, & durat, priusquam ſeipſos educare commodè poſſunt, quod jam ſpecialius videbimus.

6. Ni-

6. Nimirum educatio ſeſe exerit vel intuitu *corporis* vel intuitu *animi*. Et quidem quod corpus attinet, tenentur Parentes non tantùm ad alimenta ſoboli præbenda, ſed & ad curam adhibendam, ut ne malum aliquod illi accidat, v. g. ne periculosè prolabatur, ne in morbum incidat, vel ne aliis modis periculum vitæ patiatur. Et ad hæc non tantùm, poſtquā editi ſunt liberi, obligantur, ſed lex illos, & præcipuè matrem, obligat, ne & ante nativitatem illud intermittant, quod emolumento aliquid contribuere posſet, puta ne v. g. mater occaſionem det *ad abortum*.

7. Quoad *animum* maturè bonis moribus liberos ſuos mancipent, & præprimis curent, ut honeſta ſtudia, vel mercaturam, vel alias artes addiſcant, ut ſuô tempore ſibi ipſis honeſtè ſuſtentationem procurent. Deinde quia ſimul creſcentibus annis creſcit *petulantia* liberorum, incumbit parentibus, ut modicâ caſtigatione illos coërceant, ne ex liberali parentum amore poſteà evaderent homines prodigi & ad mala incitanda proclives. *Amor* verò Parentum oritur ex naturali portione carnis, quam liberi ab ipſis habent. Jam autem nemo unquam carnem ſuam odit, & eſt ille amor tam efficax, ut quoque bruta ejus ſenſu tangantur.

8. Quoniam de modicâ caſtigatione diximus, cognoſcendum ſimul eſt, *in quo conſiſtat patria poteſtas?* Ubi duo facio tempora, *unum* videlicet, per quod adhuc liberi ſunt *ſub alimentatione* parentum, quod cum Grotio in tempus *imperfecti & perfecti judicii* diſtingvo, *alterum*, poſt quod ipſi liberi *alimenta ſibi procurare poſſunt* abque concurſu paterno. Quandò itaque adhuc degunt ſub ali-

mentatione, æqvum eſt, ut pro eâ voluntati parentum ſeſe accommodent absque ullâ aliquâ contradictione. Et præcipuè ſi *imperfecti* adhuc ſunt judicii, etiam nolentes cum omnibus ſuis actionibus dominio & regimini parentum ſunt ſubjecti. Tempus verò *perfecti* judicii quando incipiat, non adeò jus naturæ determinat in annis, ſed unicum ejus ſignum eſt προαίρεσις, per quod præter dicta cum majori animadverſione parentes liberos regere poſſunt. Poſtquam verò propriam conſtituerunt œconomiam, ſuperſunt duntaxat *conſilia* parentum, quæ invocati etiam dare non prohibentur, & durant ad dies vitæ.

9. Sic facilè reſpondendum eſt illis, qui probare voluerunt, *parentes jus habere in vitam liberorum*, quod, quia liberi non parentibus ſed Societati nati ſunt, conſtanter nego. Non enim ita ſatisfacerent parentes fini iſti principali in conjugio, quando liberos procreatos iterum interficerent. Aliud tamen dicendum eſt, *ſi liberi parentibus mortem parant*, ita enim omnium beneficiorum ab illis, quibus vitam debent, acceptorum reddunt ſe indignos, & merentur, ut eô ipsô, quô parentes occidere volunt, ſtatim è vitâ tollantur. Quando verò liberi tempore *perfecti judicii*, (nam anteà nullum habebant adhuc exercitium intellectus) ſaltem ſunt *immorigeri & inobedientes*, poſſunt illos parentes è domo ejicere vel fame ad ſtrenuam vitam cogere. Porrò, ab his non abſimilis eſt illa poteſtas parentibus relicta, *quod tempore famis vel mendicitatis liberos ſuos, invitos etiam, aliis ad tempus* (ſed ad uſus tantùm honeſtos) *permittere poſſint*, quibus pro ſervitiis

tiis præſtandis alimenta porrigerent, nam melius eſt, ut ita honeſtè conſerventur liberi, quàm ſi apud parentes planè perirent. Dependet indè quæſtio, *quod parentes per alios officio, de aliendis liberis, ſatisfacere poſſint.* Morali enim æſtimatione eadem eſt ratio, an ego ipſe, an per alios efficienda efficiam. Indè non præcisè requiritur, ut liberi maternô lacte paſcantur, vel domi educentur.

10. Sed hæc quidem dicta de poteſtate circa perſonam liberorum intelligenda ſunt, reſtat ut mentem noſtram aperiamus *de bonis liberorum.* Per ſe autem, cum aliis, negandum eſt, competere aliquod dominium parentibus in bona illa, quæ liberi adquirunt, quia educatio, philoſophicè conſiderata, onus tantùm eſt parentum, non titulus aliquid acquirendi. Quia verò quandoque accidit, à liberis, qui adhuc ſub alimentatione parentum ſunt, aliúndè aliquid acquiri poſſe, non iniqvum eſt, ſi iſtud, vel ad minimum *uſumfructum* parentes, præprimis ſi adhuc imperfecti judicii ſunt liberi, in alimentationem eorum, qui adquiſiverunt, impendant, non verò ut in uſus proprios conſumant, vel liberis denegent; Niſi liberos re aliquâ in eum finem alii donaſſent, ut parentes tanquam propriam acciperent.

11. Si itaque de qualitate morali poteſtatis parentum conſtat, corollarii quaſi locô affigenda eſt quæſtio: *Cui nimirum individuo ex Parentibus ſola illa competat.* Quam Hobbes tribuit ſoli *matri*, & talem profert rationem, quæ ſanè ipſi rationi accedit, dicit enim: *dominium in infantes ejus eſſe, qui primus eos in poteſtate habuit*, jam autem ſolam eſſe matrem, quæ hoc prætendere poſſet; ſed iſta Hob-

beſii

beſii illatio nititur falsô aliquô præſuppoſitô. Negavit enim anteà, *generationem* fundamentum eſſe paternæ ſocietatis, verùm ſinè dubio illam non negaſſet, quando ſcire voluiſſet *legem* etiam *naturalem*, ex noſtra hypotheſi, cum generatione concurrere. Quô pactô adhuc rationalius eſt, quando nos ſtatuimus iſtam poteſtatem æquè patri æquè matri *æqualiter* competere. Porrò, ſi nihilominus & Hobbeſio credis, compara diſpoſitionem *phyſicam* cum diſpoſitione morali; ita enim ille, cæteris paribus, & nos vera diximus. Facilius longè reſpondendum & eis eſt, qui *ſolum* poſuere *patrem*, nam iſti rationem quærunt in poteſtate *maritali*, quam ſi ex ſuprà dictis capitis præcedentis, negabis, ſimul negas, quod nunc in quæſtione eſt.

12. Hæc quidem de Parentibus, ſeqvuntur & *Liberi*. Ubi non adeò nova expectare debes, quia dicenda præcipuè fluunt ex antecedentibus. Et illis quidem ſemper ab aliis pro fine adſcriptum eſt *obſequium*. Ego verò ita. *Finis* hujus Societatis unicus eſt, nimirum *educatio*, quam debent parentes liberis, & quam liberi ab eis poſtulent, ſed pro educatione parentibus conceſſa eſt *poteſtas patria*, & pro educatione liberi iisdem debent *obſequium*.

13. Sed ſeorſim intuitu obſequii ſeu officii liberorum lex oritur, *Liberi parentibus ſuis obtemperent*. Quam ſecundum tempus, per quod ſub alimentatione parentum adhuc degunt, ad *merum obſequium, cum reverentiâ* conjunctum, poſt illud verò, ad ſolam *reverentiam*, quæ usque ad

mor-

mortem obſervanda eſt, extendo. Jàm verò *obſequium* eſt libertatis vinculum, vi cujus homo actiones ſuas ad voluntatem alterius inſtituere obligatus eſt. *Reverentia* eſt ſaltem gratitudinis teſtimonium, & ſignum honoris.

14. Hæ autem ſpecies obtemperamenti tam patri quàm matri æqualiter exhibendæ ſunt, ita ut juri unius nihil detrahere debeant liberi. Quando verò inter mandata & conſilia parentum accidit contrarietas, tunc non indiſtinctè pater præferendus eſt matri, ſic enim ſtatim orietur inæqualitas parentum intuitu liberorum, ſed illud mandatum pro vero habendum eſt, quod 1. non pugnat cum legibus naturæ. 2. cum incremento familiæ, adde 3. apud nos, cum legibus poſitivis. Et parvi intereſt, an mater dederit, an pater.

15. Jam tres ſpeciales oriuntur quæſtiones, quæ nonnunquam proponuntur à JCtis, quarum prima eſt de *Adoptione*, *an nimirum aliquis deficientibus liberis legitimis, locum eorum per naturales ſupplere poſſit?* quam utique affirmo. Duplex enim effectus educationis eſt, partim enim tendit in *augmentum Societatis* & in *hæredes futuros*. adde §. 5. Jam autem iniqvum eſſet, quando iſti, quibus liberi mortui ſunt, vel de quibus non ſpes eſt, ut amplius generare poſſint, prohiberentur ad implendum ſaltem effectum alterum, qui æquè tam naturalis eſt, quàm prior. Imò, licet aliquis v. g. Cœlebs non intendere vellet augmentum Societatis, ipſi tamen relicta eſt poteſtas adoptandi extraneum in locum filii, ut ſit hæres futurus, qui quidem propterea ſecundùm re-

ſpe-

reſpectum *phyſicum* non filius ſit, ſed jura tamen hic obſervantur, quæ conveniunt Societati paternæ. Quod naturæ beneficium tam ad *maſculos* quam *fœminas* extenditur, nam & fœmina ſobolem ſibi quærere antea non prohibebatur.

16. Secunda quæſtio eſt *de exhæredatione, an nimirum parentes per ultimam voluntatem bona liberis auferre poſſint?* Ubi antè omnia ea repetenda ſunt, quæ de ſucceſſionibus ſuprà Cap. 14. §. 40. disſeruimus. Illa quippe in tantum valent, in quantum liberos parentes educare adhuc debent, quia ad educationem obligati ſunt. Aliud tamen eſt, quando liberi ſe ipſos jam alere poſſunt, ſic enim officium Parentum jam ante annos expiravit. Quô pactô Parentes bona ſua absque contradictione liberorum, in illum conferre poſſunt, quem præ liberis, jam ſui juris, amant.

17. Illud ſaltem adhuc dubium eſt, *an Parentes liberos illos adhuc in familia exiſtentes propter inobedientiam quamcunq; præterire poſſint?* Sane illud *fœdum*, hoc *rigoroſum* eſt. Sed quid hæc ad quæſtionem ſolvendam? Diſtingvo itaque inter tempus judicii *perfecti & imperfecti.* Ad illos, qui habent *imperfectum*, refero adhuc *infantes*, liberos *furioſos* & *mente captos*. Iſtos itaque in univerſum propter inobedientiam exhæredare velle injuſtum eſt, quid enim illi imputandum, qui exercitiô intellectus & voluntatis deſtituitur. Si verò de judicio *perfecto* conſtat, probè iterum diſpicere debent parentes, an liberi extra hoc patrimonium parentale ſibi ipſis poſſint alimenta quærere, an non? Poſterio-

ri

ri caſu ſane intereſſe communis Societatis præferendum eſt intereſſe unius, ita ejusmodi liberis ad minimum tantum relinquendum eſt, quantum ad alimentationem, priusquam præſumitur, ut poſtea ipſi aliquid lucrari poſſint, ſufficit. Priori verò modô non ſaltem in totum exhæredandi ſunt tales liberi, ſed nec usque ad mortem expectandum eſt, quia ſtatim illi immorigeri è familia ejiciendi ſunt.

18. Reſtat ultima quæſtio. *An liberi neceſſariò conſenſum parentum habere debeant ad nuptias?* quam ità commodè tollimus. Et ab initio quidem non honeſtè ſaltem, ſed & juſtè factum eſt, quando liberi parentum voluntatem in talibus caſibus ſolicitant, qui, ſi accedit, res acta eſt, ſi non accedit, tunc vel parentes propter *defectum judicii* conſentire nequeunt, ubi diſſenſus talis moraliter pro vero conſenſu habetur, vel *cauſas* ſaltem prætendunt, cur nuptias nollent ratihabere. Si itaque iſtæ cauſæ officiunt *commodo publico* & *legibus Socialitatis*, optimè faciunt, quando liberos obligant, ut tales nuptias intermitterent. Si verò tantùm officiunt *commodo privato & familiæ*, tunc iterum intereſſe publicum, quod hîc eſt *procreatio ſobolis & implementum Socialitatis* ſuperat intereſſe privatum, & liberi, invitis parentibus, reſervatâ tamen debitâ reverentiâ, conjugia celebrare poſſunt. Ne verò & commodum privatum detrimentô afficiatur, jus habent parentes, poſt factas nuptias liberos eô privare, quod conſenſus denegati cauſa erat. Quando autem ſola *invidia* & odium in liberos cauſa eſt, tunc & hoc juſtè facere nequeunt.

CAP.

# CAP. XX.

## *De Officiis Dominorum & Servorum.*

I.

SEquitur tertia ſpecies Societatum naturalium, quæ ad conſervandam Socialitatem non adeò eſt neceſſaria ac priores erant, quia neque augmentum & utilitas ejus hîc intenditur, ſed ſufficit ſaltem *commodum privatum.* Quô pactô Societas conjugalis & paterna *eſſentialia* ſunt familiæ, Societas dominica verò tantum ejus *accidens*, quæ ideo ſola nunquam conſtituit familiam, bene tamen duæ reliquæ vel harum una. Nam ſi conjuges vel ſoli vel cum liberis ſuis rei domeſticæ ipſi commodè præeſſe posſunt, quid opus eſt ſervis? Sed poſſes inde dicere, ſic Societas dominica eſt potius Societas *arbitraria.* Imò ego non, Societas dominica ad ſolam pertinet familiam, quam ſupponit Communitas, Communitatem verò jam conſtitutam ſeqvuntur Societates arbitrariæ.

2. Fluit ſtatim inde *finis* Societatis, qui non duplex eſt, prout ſtatuerunt usque adhuc, ſed *ſola cura rei domeſticæ*, quæ quidem per ſe reſpicit ad ſolos dominos, ſed quia iſti raro omnia, quæ ſunt in dominio, conſervare & adminiſtrare poſſunt, aliorum auxiliis opus habent, qui deinde ex pacto curam alicujus rei ſoli obeunt. Apud diſſentientes verò, qui duos fines poſuerunt, reperio ſpecialiter ex parte domini

mini *acquiſitionem & conſervationem divitiarum*, ex parte ſervi *ſuſtentationem vitæ per alimenta.* Sed nos tali modô invertemus aſſertionem. Diximus, finem eſſe curam rei domeſticæ, dicimus nunc, ex fine oriri duplicem obligationem, unam nimirum ex parte domini, quæ eſt *ſuſtentatio ſervi*, alteram ex parte Servorum, quæ eſt *acquiſitio & conſervatio divitiarum dominicarum.* Ad hæc verò officia ex pacto tam tacitô quàm expreſsô hujus Societatis obligati ſunt.

3. Sic itaque ratione domini lex oritur: *Dominus ſervos ſuos ſuſtentet*, quod immediatè per victum & amictum, vel mediante ſtipendiô accidere ſolet. Extenditur verò lex ſaltem ad ſuſtentationem modicam, non autem, ut quotidie lautiſſima fercula adponantur. Reſtringitur per ea, quæ in pacto placita ſunt, ſic quando ſe dominus non ſubſcribit ad amictum, tunc & iſte à Servo poſtulari nequit.

4. Propter hoc officium conceſſa eſt dominis *poteſtas* in ſervos, quæ in ſola coërcitione intuitu operarum conſiſtit, inde, ſi in officio ſuo negligens eſt, tam verbis, quam modicis verberibus cogitur. Nam ob alia facta, quæ non offendunt pactum, domino in ſervos ne minimum jus competit, quâ ratione etiam excludimus jus *vitæ & necis.*

5. Ratione ſervi lex eſt: *Domino tuo præſta operas promiſſas.* Quando itaque operæ *determinatæ* ſunt, tunc facilè ſcit ſer-

vus, quod ad illum pertinet, quando verò famulitium præſtat *officiis indeterminatis*, tunc & omnibus incommodis prævenire debet. Imò & hoc facere tenetur, ut detrimento imminenti antevertat, licet ad hoc in pacto non vocatus ſit.

6. Hæc breviter dicta ſufficiant, ſeqvuntur jam nonnullæ quæſtiones, quæ è prioribus præcipuè fluunt. Quarum prima eſt, *an dentur ſervi naturâ?* Dependet hæc ex Cap. 10. & præcipuè ejus § 5. Ubi paucis probavimus inæqualitatem ratione *poteſtatis & dignitatis* in ſtatu naturali non obtinuiſſe. Si itaque hoc mihi alii concedunt, concedere & debent, quod & talis ſervitus jam non expectanda ſit, præcipuè ubi abſtrahendo ab omni diſpoſitione humana in ſola æquitate naturali occupati ſumus. Si ergò non dantur ejusmodi ſervi, ſequitur quòd & illi, de quibus locuti fuimus, nequaquam habeant faciem ſervorum Romanorum. Hæc non recordantes nonnulli, in falſam prolapſi ſunt opinionem, quaſi ex jure naturæ immediatè demonſtrari poſſit, quod natus à ſervo, ſit etiam ſervilis conditionis, imò jam ex jure naturæ quæſivere, an ſervus vendi poſſit. Manet inde certum, ſervum naturaliter eſſe hominem liberum, & omni beneficiô juris poſſe uti, quô utitur dominus. Hoc tamen non diffiteor, venire nunc, ceſſante æquitate naturali, in hanc Societatem *inæqualitatem dignitatis*, & quandoque etiam poteſtatis, quæ tamen propterea non ſtatim tollunt liberam ſervorum conditionem. Vide interim infra *de ſervis bellò captis*, utpote qui peculiare & diverſum plane genus ſervorum conſtituunt, Cap. 28. §. 52 53.

7. II. Eſt: *Quid dominus acquirat per ſervos ſuos?* Breviter, omne id, ad quod à domino adhibiti ſunt. Servus enim eſt quaſi *inſtrumentum* domini, & quicquid ille virtute ejus capit, capit domino. Non tamen domini eſt, quod aliunde abſque conſideratione ejus adquirit, ſed ipſi manet proprium, quia dominus nullum jus in rem, quæcunque modò ſit, ſervi ſui prætendere poteſt.

8. Quæſtio III. eſt: *An ſervus etiam extra rem familiarem obligatus ſit domino?* Accidit enim quandoque, ſervum unius peti ad tempus ab alio. Ubi, ſi iſthoc recuſat ſervus, cogi nequit, qualis enim ratio eſt, hominem liberum eſſe in commercio? Spectat huc *libertas*, quæ ſervis, poſt ritè compoſitam rem domeſticam, in proprios uſus impendi conceſſa eſt.

9. IV. *An ſervi nimiam dominorum ſævitiam tolerare obligati ſint?* Quod nego, præcipuè ſi immeriti continuis verberibus atque injuriis afficiuntur, quibus in tali caſu modica reſiſtentia relinquitur. Quando verò pœnam merentur, tunc etiam modicè illa inſtituenda eſt.

10. V. *An dominus defendere debeat ſervos ſuos?* Quod cum hac diſtinctione adfirmo, quando nimirum in exercitio vel ſaltem virtute ejus injuriâ affecti ſunt, quia enim ſunt inſtrumenta domini, præſumitur, ipſum per ſervos eſſe læſum. Si verò extra hoc rixas atque tumultus quis concitat, ſibi imputet, quando ex propriis impenſis poſteà ſibi conſulere debet. Et eôdem modô decidenda eſt quæſtio VI. *An ſervus ægrotans à domino ſuſtentandus ſit?* Si

enim cauſæ morbi ſunt operæ domino præſtitæ, ad alimentationem & curam morbi tenetur, ſed non tenetur, ſi aliunde aliquid acceperit, niſi quod ex propria generoſitate contribuere dominus ſolet.

11. VII. *An dominus mercedem promiſſam retinere poſſit pro damno dato?* Quod utique affirmo, ſi proæreſis ſimul ſervi concurrerit, aſt ſi, non obſtante adhibitâ diligentiâ, aliquid corrumpitur, tunc æquius eſt, quando hoc dominus ſervo remittit. IIX. quæritur: *An mandata illicita dominorum ſervi exequi teneantur?* Quod indiſtinctè eis prohibitum eſt, quia obligatio ex lege tollit obligationem privato debitam, lex enim illicita prohibet.

12. Tandem IX. quæritur, *quamdiu ſervitus duret?* nimirum tamdiu inter partes conventum eſt, ſic, qui *ad annos* tres contraxit, poſt idem tempus è Societate dominica egreditur, anteà verò hoc ipſi interdictum & prior dominus talem ſervum à domino ſecundo iterum juſtè vindicare poteſt. Quando autem ad dies vitæ ſocietas placuit, tunc morte unius ſolvitur obligatio. Interim tu nota Dominos & Servos non duntaxat eſſe perſonas maſculini generis, quia dicta de *Dominabus & Servabus* etiam intelligenda ſunt,

CAP.

## Cap. XXI.

# *De eo quod juris eſt in familiâ.*

I.

QUando hîc aliquid dicendum eſt, repeto anteà dicta cap. 6. §. 14. Ubi familiam appellavi *exercitium Societatis*, ubi & adhuc ſubſiſto, per ſe enim, abſtrahendô à Societatibus naturalibus, familiæ nullam aliam poſſum ſcribere definitionem, quàm quæ jam ſcripta eſt.

2. Si itaque familiam conſtituit Societas conjugalis, ſubſiſtendum eſt in dictis Cap. 18. ſi Societas paterna, obtinent etiam adhuc ea, quæ Cap. 19. disſeruimus. Quando autem Societas conjugalis & paterna, & denique dominica concurrunt, tunc ille, qui hos ſtatus, maritalem, paternum atque dominicum conſtituit, unô vocabulô appellatur *caput familiæ*.

3. Si verò, *quid juris ſit in familia*, ſeu ut clarius loquar, *qualis vis coactiva ſit in familia*, quæritur, non poſſumus commodius quæſtionem tollere, quàm ſi diſtingvimus inter ſtatum familiarum, qui obtinuit *ante communitatem*, *poſt eam*, & tertiò *poſt rempublicam* introductam.

4. Quoad primum membrum, oritur ſtatim curioſa quæſtio: *Quomodo ſcilicet res fuiſſet diſpoſita, ſi una manſiſſet familia?* Sed tu ipſe vides ex conditione, quæ quæſtioni ineſt, qualis ejus uſus



Digitized by Google

ſit, ad id, quod nobis propoſitum eſt, decidendum. Tacebo hîc multis probare velle, quod contra *voluntatem DEI tacitam* fuerit, unam ſaltem extitiſſe familiam, ſola quippe lex fundamentalis noſtræ asſertionis certum fundamentum eſt, quæ ex ſola ratione fluxit. Minor reſtat difficultas intuitu *voluntatis DEI expreſſæ*, dicebat enim ſummum Numen ad protoplaſtos: *creſcite & multiplicamini.*

5. Mittamus inde hanc, & conſideremus potius: *Qualis obtinuerit ibidem vis coactiva in familiâ ſegrege?* Ubi anteà non multis rationibus probare debemus, illam fuiſſe penes eum, qui *caput familiæ* erat. Iſtud autem caput jam illum diximus eſſe, qui ſtatum maritalem, paternum vel dominicum repræſentat. An verò & ad *uxorem*, quæ ſimul mater & domina eſt, hoc poſſit extendi, graviter quæritur?

6. Nos affirmamus, nam ad implendam obligationem conjugalem æque mulier poterat cogere maritum, quàm vir mulierem. Verùm quoad Societatem Paternam & Dominicam, æque maritus æque mulier habebant poteſtatem æqualem ex ſupra dictis, obligandi liberos atque ſervos, ad id, quod cujusque officium erat.

7. Hoc adhuc gravius eſt: *Quis obligaverit Patrem & matrem, quis dominum & dominam, ſi & ipſi obligationi ſuæ non ſatisfecerint?* Sed & hîc ſine peccato vim coactivam tam liberis quàm ſervis adſcribo. Collige enim ex ſupra dictis aſſertiones noſtras, tunc ſponte ea ſic obtinuiſſe, fateri neceſſe habebis.

8. Or-

8. Ortâ Communitate eadem adhuc obtinent, nam illa æqualitas, quæ adhuc non ſublata erat, non permittebat, unam familiam alteram ad id, quod in familia juris erat, cogere potuiſſe, quia nulla adverſus alteram jus & imperium aliquod intuitu harum controverſiarum prætendere poterat. Itaque omne jus ad cogendum, quod in familia ante & poſt communitatem obtinuit, includimus hiſce verbis: *Quod caput familiæ judex fuerit cunctarum controverſiarum inter ſuos domeſticos.*

9. Cæterum ſi latius *jura & officia* tam illius, qui *caput familiæ* eſt, quàm *domeſticorum*, quales liberi & ſervi ſunt, rimari cupis, confer dicenda ex Capp. de juribus & officiis imperantium & parentium, hîc enim argumenta, cæteris paribus, à ſimili valebunt.

10. Sed ortâ republicâ res aliam induit faciem: Nam jus iſtud, quod antea capiti familiæ competebat, valdè limitatum eſt, & non *cunctæ* controverſiæ amplius ab hoc ipſo capite componendæ ſunt, quia multas componere ſibi reſervavit ſumma poteſtas. Itaque omne jus, quod hodie adhuc penes iſtoc caput eſt, cognoſcitur ex regulâ: *Caput familiæ earum controverſiarum inter ſuos domeſticos Judex adhuc hodie eſt, quarum compoſitio ipſi non ſublata eſt à Principe.* Nam illa vis coactiva non amplius deprehenditur, qualis fuit antea ex §. 7. illam enim ſolus ſibi reſervavit ille, qui Reipublicæ præeſt.

DE

# JURE NATURÆ

ET

# GENTIUM

# LIBER SECUNDUS.

## CAP. XXII.

## *De cauſa impulſiva conſtituendæ Reipublicæ & inæqualitate inde proventa.*

I.

POſtquam officia illa, quæ in familia obſervanda ſunt, in quatuor capitibus ſatis perluſtraverimus, conſequens eſt, ut accedamus tandem ad *Effectum* illum, quem familia generavit. Diximus autem anteà ex colluvie plurimarum ortam eſſe *communionem*, quæ iterum mater ſit *Vici & Civitatis*, his verò duabus ſpeciebus Communitatis adjunximus *Rempublicam*.

2. Equidem ortâ Republicâ de *Vico & Civitate* ſpeciatim diſſerere non poſſumus, quatenus ut partes Reipublicæ conſiderantur, imò verò, quando Civitati alicui competit definitio Reipublicæ, tunc & ea, quæ ſequentur, ad illam applicantur; Repete enim quæ poſuimus ſuprà Cap. 6. §. 15, ad 23.

3. Ante

3. Ante omnia verò, ſi de Republica loqui volumus, *origo* ejus paulò altius repetenda eſt. Et quidem ab ipſo *homine* incipiemus, cujus *ſui ipſius amor* naturam ſuam ſic occupavit, ut nihil charius habeat ſeipsô, quod & ſuô modô ex obligatione hominis erga ſeipſum conſtat. Poſtea fertur ad *converſationem* cum ſimili & *appetitum Societatis*, iſta verò ſocietas nulla alia eſt, quàm aliqua ex tribus naturalibus, nam arbitrariæ Societates demum communionem ſeqvuntur. Imò & præ *converſatione* magis amat Societatem naturalem, quia illam à natura ſibi infuſam eſſe deprehendit, qualis eſt præcipuè Societas conjugalis, & quæ eam pro certo ſequitur ſocietas paterna, nam dominica, ut accidens, plane etiam per dicta *Cap. 20.* §. 1. abeſſe poſſet. Ex his itaque creſcit *familia*, quam ſolum exercitium Societatum naturalium appellavi.

4. Poſtquam autem multæ ſimul exortæ fuiſſent ejusmodi familiæ, placuit inter illas, ut unâ plures ad commutanda dominia & res neceſſarias convenirent, quæ quidem *conventio* non coacta erat, ita ut una familia alteram propterea coëgiſſet, ſed merè *voluntaria*. Impellebantur tamen ex *neceſſitate vitam conſervandi*. Cauſa erat finis atque exitus *communionis primævæ*, cum enim illa ceſſaſſet, & dominia rerum exorta eſſent, una familia alteri ad neceſſitatem vitæ porrigebat aliquid pro re aliâ neceſſariâ. Quod quidem & fieri potuiſſet, licet familiæ ſeorſim habitaſſent, ſed ne occaſio data fuiſſet ad perpetua itinera, propter *commoditatem* placita eſt *libera cohabitatio*, quæ demum appellabatur

*Communitas*, atque poſtmodum duas agebat radices, *Vicum* nimirum, & *Civitatem*, de quarum differentia vid. Cap. 6. §. 17. 18. quæ, quin in æquitate ſuum fundamentum habeat, atque etiam ante Reſpublicas obtinere potuerit, nullum reſtat dubium. Nimirum utræque ſpecies rerum quærunt *ſufficientiam*, cum hoc additamento, ut vicus coleret terras & pecora, ita, ut fructus tam ad victum quàm amictum ſufficientes tali modô proferantur, & quicquid poſtea abundet, aliò transferendum ſit, ad quem laborem Civitas eſt relicta, nimirum ut defectum terræ pro iis commutando aliud quoddam corrigeret. Quanquam & huic diſcrepantiæ non ita ſtrictè, quaſi una pars cum altera non participet, inhærendum eſt.

5. Sic itaque de Vici & Civitatis, ſeu uno verbo, Communitatis fine, abſtrahendô à Republicâ, conſtat, erat ille *ſola rerum ſufficientia*, quam in vico regulariter inveniebant per curam agri, in Civitate verò regulariter per curam commerciorum.

6. Conſtituta nunc ſemel Communitate, homines, qui in illa degebant, alios *injuriâ*, vel etiam *damnô* affecerunt, ita, ut quandoque cum detrimento alterius maximum illis lucrum accreverit. Acceſsêre etiam *Circumventiones*, imò alia *incommoda*, quæ pacem communitatis atque ſocietatum arbitrariarum, nunc exortarum, facilè impedire potuerant. Ideò finis iſte, quem ad cohabitandum familiæ ab initio ſibi elegerunt, ſufficere nequibat, ſed in communitate jam conſtitutâ etiam de *beatitudine civili* cogitare neceſſe habebant. Iſtam verò beatitudi-

tudinem ſolius communitatis finem ſimul fuiſſe evinci nequit, quia ille, prout jam videbimus, *inæqualitatem* aliquam ſupponit, cum è contrario ante introductas Reſpublicas mera æqualitas familias etiam in communitate conſtitutas affecerit, ita, ut nulla aliquod jus vel prærogativam quandam, quàm quæ cum ipſa naturali æquitate conveniebat, ab altera prætendere debuerit.

7. Ut itaque malis in Communitate quotidiè imminentibus præoccupent familiæ, de medio aliquo cogitandum erat, per quod *beatitudo* ejus & conſequenter familiarum conſervaretur. Ubi non provocandum erat ad obligationem juris naturæ, quia ſtatim ſcrupulus aderat, *leges quidem naturales præcipere quid juſtum, quid injuſtum ſit, pœnam tamen peccantibus relinquere eorum propriæ conſcientiæ*; Indè æquius, atque ad obtinendam beatitudinem, melius erat, ut ad malitiam hominum reprimendam, remedium aliquod peteretur, per quod iſta efficacius coërceri poſſet. Ubi tamen non recurrendum erat ad *arbitros*, quibus tota res litigioſa committi potuiſſet, nam quàm facilè quis peccare potuit in leges naturales, tam facilè & ſententias arbitrorum ſpernere potuiſſet, quia iſti æquales erant. Neque jus aliquod habebant à tota communitate, ejusmodi hominem ſecundum merita punire. Imò ſi iſtum litigandi modum per arbitros paulò altius ſpeculari volumus, ſequeretur tandem, quod exindè in Communitate nihil aliud eſſet ſecutum, quàm bellum omnium contra omnes. Sed ne cogites, me ita accedere Hobbeſio, jam enim ab

ini-

initio ejus ſententiam negavi per diſtinctionem inter jus & voluntatem alios lædendi.

8. Quô pactô nullum aliud reſtabat medium, quam ut *inæqualitas* aliqua primum introduceretur, quæ mater ſit *poteſtatis* atque *dignitatis*, aliàs enim beatitudiniCivili difficilis fuiſſet locus:Cogita enim, quanta eſt in hominibus diverſitas *ingenii*, quanta varietas *inclinationum* tam ad bona quàm mala, imò quàm varii *affectus* & diverſitas *amoris*, quæ omnia, ſi in æqualitate primævâ manſiſſent homines, citius exitium, quàm augmentum Socialitatis generaſſent. Indè ad *communem tranquillitatem* conſervandam æquiſſimum erat, ut omnes in Communitate *communi conſenſu voluntates unirent, ſuas actiones unius voluntati ſubjiciendas eſſe, ita, ut ille poteſtatem habeat, eos, qui contra leges naturæ aliquid perpetrarunt, expreſsâ pœnâ afficiendi.* Atque ſic orta eſt *Reſpublica*, quæ duos ordines, jam enixa eſt, unum *Imperantium*, alterum verò *parentium.* Ubi Imperantes appellantur *Majeſtates*, vel *Poteſtates* vel *Principes*, Parentes verò *Cives* vel *Subditi.*

10. Interim, ſi paulò preſſius in ejus *originem* inquirere volumus, evidens ſanè eſt, nullâ Republicâ unquam opus fuiſſe, quando homines in univerſum omnes, legibus naturæ ſpontè obtemperare voluisſent, nam ſic ne ſomniaſſent quidem familiæ ſtatum tam inæqualem, prout talis eſt, ſed ſubſtitiſſent ſaltem in Communitate, ubi tanquam ſummè æquales, ſummâ libertate, niſi quæ jam per legem naturæ reſtricta erat, uti potuiſſent.

10 Ita

10. Ita perquam facilè iis reſpondendum eſt, qui aſſerere voluerunt, *hominem ferri, imò rapi à naturâ ad Rempublicam*, quid enim ad nos, ſi iſti à falſis præſuppoſitis ſeducti, errarunt. Nos potius contrarium ſtatuimus, *per ſe illam inæqualitatem, quæ per Rempublicam introducta eſt, prorſus naturæ humanæ adverſari*; quid enim magis homo amat, quàm plenam libertatem. Equidem, clamant nonnulli acriter pro dicto Ariſtotelis, qui hominem τῇ φύσει ζῶον πολιτικὸν appellat, quod, ſi ad Civitatem, quatenus, abſtrahendo à Republica, à nobis accepta eſt, referre vis, cæteris paribus, concedimus, ibi enim ex §. 4. magis à naturâ ad illam trahitur, quàm ad Rempublicam. Sed vereor, ut iſta mens fuerit Ariſtotelis, ille enim, & communiter usque adhuc Doctores, inter Civitatem & Rempublicam vel nullam vel exiguam faciunt differentiam, quæ tamen, ſi philoſophicè loqui amamus, utique facienda eſt.

11. Sic origo Reipublicæ rurſus eſt *neceſſitas*, non propter indigentiam, illi enim ſoli in Communitate ſuccurritur, ſed propter *metum fraudis, injuriæ, damni & læſionum ſimilium.*

12. Jam ad *finem*, tam Communitatis quàm Reipublicæ, ubi de communitate jam res acta eſt, nullum enim alium deprehendo quam *rerum ſufficientiam.* Imò & de Reipublicæ fine non longè quærere opus eſſet, quia & ille ex præcedentibus conſtat, nimirum *beatitudo civilis*, quæ verò illa ſit? adhuc pugnandum eſt. Peripathetici græcè illam appellant εὐδαιμονίαν, verùm unum obſcurum per

æque

æque obſcurum. Nobis, ſepoſitis aliorum opinionibus, ſalvâ tamen ſemper virorum autoritate, diſtinctè procedendum eſt. Quæramus ante omnia, *an una in orbe terrarum ſit reſpublica, an verò plures?* Tu reſpondes, certe dantur plures. Ego porrò. *Nonne melius feciſſent gentes, ſi unicam ſaltem placuiſſent Rempublicam?* Imò melius feciſſent, dicis. Sed quod hoc non facere potuerint, ipſe exponam, ne tibi quæſtionibus ſim moleſtus.

13. Tam longè latèque patet orbis terrarum, ita ut difficile fuiſſet, omnes Communitates in unam coire potuiſſe Rempublicam, nam tali modô ſecundùm unius voluntatem ægrè actiones familiarum fuiſſent inſtitutæ, utpote qui in tanto ſpatio petitis omnium ſatisfacere nequiviſſet. Et licet locô ſui in terris longè peregrinis magiſtratus conſtituere potuiſſet, non tamen incommodis ſimul præcurriſſet, quæ ex hoc acervo delegatorum ſperanda fuiſſent, quia iſti cupidinem regnandi non rarò prætendiſſent. Accedunt præcipuè *migrationes gentium*, quæ, poſtquam conſtituta erat una Reſpublica, ex illa migrabant in regiones incultas, quæ peculiari conſtitutâ Republicâ, proprias ſibi conſtituerunt poteſtates. Imò contra talem univerſalem Monarchiam pugnant variæ *inclinationes & affectus unius gentis præ alterâ*, ubi neceſſariò iſta varietas apud ipſam poteſtatem fuiſſet conſpicua, quæ cauſam dediſſet diſſidiis atque bellis inteſtinis. Quâ ratione non aliud auxilium à Communitatibus amplectendum erat, quàm ut harum tantùm aliquæ circa Rempublicam propriam conſentirent. Ex quo inſtituto

demum

demum *origo multarum Rerumpublicarum ſecuta eſt.*

14. Jam autem contra officium ſuum peccaret ejusmodi poteſtas, quando beatitudinem ſuæ Reipublicæ ſeponeret, & quæreret aliam, quæ eſt alienæ Reipublicæ, quia hôc modô poteſtate ſuâ abuteretur, quæ in illam translata erat, quâ ratione è contrario *ſalutem Reipublicæ* ſibi commiſſæ, non alterius, promovere debet. Ergò nunc conſequens eſt, ut ſtatuamus, implementum *finis* iſtius ſolùm in illum à familiis derivatum eſſe, qui Reipublicæ præſit, ita, ut ad illum obtinendum familiæ ſua contribuere vellent.

15. Indè duobus modis *beatitudo Civilis* ſeu *ſalus Reipublicæ* ſe exerit, partim intuitu Reipublicæ tantùm, abſtrahendô à Rebuspublicis aliis, partim verò in earum collatione. Priori modô tantùm conſiſtit in *adminiſtratione juſtitiæ*, nimirum ut ad legem implendam homines obligentur, propterea enim ſolicitæ erant antea familiæ. Poſteriori modô conſiſtit in *defenſione* contra malum imminens Reipublicæ alterius, & *Offenſione* ad obligandum alteram poteſtatem ut ſatisfaceret, quæ vel ipſa vel per familias ſuas Reipublicæ addictos injuriâ affecerat. Deinde non raró accidebat, intereſſe ſeu ſalutem Reipublicæ unius poteſtatis pugnaſſe cum ſalute alterius, ad quam obtinendam, ſi per fœdera res peragi non poterat, offenſio ab una, defenſio ab altera, collatis à familiis inſuper mediis, ſuſcipienda erat. Oritur inde nova differentia Civitatis & Vici, *quæ ſaltem poſt introductas Reſpublicas obtinet*, nimi-



Digitized by Google

rum Civitas eſt, quæ cincta eſt munimentis ad defenſionem aptis, *Vicus* eſt, qui non munimentis ejusmodi clauditur, ſed quandoque exiguô murô absque animo defenſionis, vel planè nullô circumductus eſt. Ex quibus tu demum vides, quòd non opus fuiſſet, ut oppida munimentis cingerentur, ſi una manſiſſent reſpublica.

16. Sed dicis, ſola adminiſtratio juſtitiæ beatitudinem etiam internam non conſervaſſet, *ubi enim manet cura viarum, tam in civitate quam extra civitatem? ubi alia officia poteſtatis, quæ ex adminiſtratione juſtitiæ non fluunt?* Sed tu ſcias, hæc eſſe media, quibus conſervabatur rerum ſufficientia ſeu finis Communitatis, non adhuc conſtitutâ Republicâ, nam qui vult finem, vult media. Inde cum origine Reipublicæ talia officia non exorta ſunt, ſed de quibus ipſæ familiæ adhuc æquales, ſolicitæ eſſe debebant. Exortâ verò Republicâ, cum *Summum Imperium* collatum eſſet in Principem, officium ejus eſt, ut curam habeat etiam earum rerum, quas antea familiæ procurabant. Confer enim Cap. 25. §. 6. ſeqq.

17. Spectat huc deciſio quæſtionis, *an literati præcipuè, an verò mercatores ad Rempublicam requirantur?* Ubi, ſi de ſolâ Civitate quæritur, non poſſum non pro mercatoribus pronuntiare, ita; ut artes liberales cum ſtudiis prorſus fuiſſent inutiles. Poſtquam verò Reſpublicæ exortæ fuerunt, aliam planè faciem res induerunt, ſic enim Principes ipſi Jura conſtituerunt, & ejusmodi ſubjecta in officia ſua aſſumſerunt, quæ per omnes dies antea id ſtude-

bant

bant, ut iisdem digna eſſe poſſint, à quibus ſtudiis illi prohibebantur, qui mercaturæ operam dedere. Quandò verò poteſtates in jure connato acquieviſſent, non opus fuiſſet ſtudiis, quia talia individua regimini ſimul præeſſe potuiſſent, quæ præ reliquis elegantiori pollere præſumebantur ingeniô.

18. Jàm ad inſtitutum noſtrum propius accedamus, ubi ex §. 8. inquirendum eſt, *cui jus competat, poteſtatem aliquam Reipublicæ præficiendi.* Hîc ſanè vel ad *originem* alicujus Reipublicæ recurrendum eſt, nam ſi ex Communitate quâdam Reſpublica fit, illi duntaxat jus habent, *poteſtatem* ſibi ipſis præficiendi, quam ſoli volunt, non quam volunt alii, in communitate aliâ. Indè porrò eſt, quòd una poteſtas tot Communitatibus fuiſſet præpoſita, quot nimirum in eam conſenſerunt. Vel recurrendum eſt ad Reſpublicas *jam exortas*, & pro nunc poteſtatis exceſſu interregnum patientes, ubi iterum dicta *regulariter* obtinent, niſi per pacta alia de ſucceſſione in Majeſtate, talis libertas ſumendi, quem vellent, fuerit limitata. Quandò verò pactis non ſtare vult populus, tunc, non niſi hôc modô, alia poteſtas juſtè talem præteritam perſonam, ad quam per pactum ſpectaret jus ſuccedendi, etiam cum vi armatâ inſtituere poteſt, ſi præteritus non ſibi ipſi ſufficiens eſt, ad jus ſuum obtinendum. Nam aliter vis coactiva, quia hic vis legislatoris exulat, obtineri nequit.

19. Quandò verò ſucceſſor eſt *illegitimus*, ſeu qui nullum juſtum pactum ad regimen prætendere ſatagit, tunc non ſolum ipſe, ſed & is, qui auxilia admi-

niſtrat injuſtè ſeſe gerunt, & illi, quibus talis homo obtruditur, legitimam habent cauſam vim vi repellere. Aliud tamen eſt, ſi quis ſe ingerit Reipublicæ, quæ ab alia Republica dependet, ita, ut poteſtas prioris, poſterioris ſit Vaſallus, tunc demum enim nolentes recipiunt illi talem, quem hæc approbavit.

20. Sed rationem hujus aſſertionis inveſtigare debemus. Ubi ab aliis mutuabimus proceſſum illum, quem ad conſtituendam civitatem per *duo pacta & decretum unum* intermedium alii eruditè inſtituerunt, applicatione tamen nobis ſolis relictâ. Itaque *primum pactum* eſt, quod ineunt familiæ ex §. 4. ad cohabitandum & communicanda bona neceſſaria, ſeu unô verbô, ad conſtituendam aliquam *Communitatem*, ad hoc requiritur, ut ex præcedentibus conſtat, ſola *unio voluntatum*, nam nemo aliquem ibidem propter ſummam æqualitatem coëgit. Conſtitutâ itaque Communitate, ſequitur demum *decretum*, quod conſiſtit in declaratione inæqualitatis & origine Reipublicæ, adde §. 6. ad 10. hoc verò non libera hominum voluntas, ſed ſola *neceſſitas* ex §. 11. poſtulabat, ita enim præcurrendum erat bello omnium contra omnes, quod ex æqualitate & perversô ingeniô hominum imminere potuiſſet. Decreto ſucceſſit tandem *pactum alterum*, nimirum, ut conferatur inter familias, qualis primò forma regiminis eſſet conſtituenda, quale deinde etiam ſubjectum eſſet eligendum, nam circa hæc duo familiæ plenam habebant diſpoſitionem. Huic pacto ſanè inerat *mera libertas* & cum ea *mera voluntas*, non verò ſemper *unio voluntatum*. Accidere quippe

pote-

poterat, unam poſtulare, quod altera detrectaret, quô pactô placebat regula: *Majora concludunt.* Inde quicquid à majori parte factum, id minori negativæ, ex pacto inſuper innitô, placere debebat.

21. Ex his reſponderi poterit ad quæſtionem ab aliis in medium prolatam: *Unde nimirum primò fuerit Majeſtas*: Ubi, ſi ſtatim noſtram reſponſionem adjungimus, facilior erit refutatio diſſentientium. Nos itaque cauſam Majeſtatis *immediatè* invenimus in *pacto altero §. præced.* ſubjectorum vel *tacitô* vel *expreſsô*, & conſequenter etiam in *conſenſu* populi, & licet aliquorum conſenſus non adfuerit, non tamen propterea reliqui retrahere debebant beneplacitum, ſed iterum pactum præcedens de *votis majoribus* ad conſenſum illos obligabat.

22. Cauſa *mediata* eſt *DEus*. Quomodo verò ille ad conſtituendas Reſpublicas concurrerit, adhuc dubium reſtat. Alii dicunt, hoc ſaluberrimum conſervandæ tranquillitatis medium à DEO fuiſſe *probatum*. Alii ad *DEI præceptionem antecedentem* provocant, quâ inſtitutionem Rerumpublicarum hominibus præcepiſſet. Sed qui hoc ſtatuunt, ſimul concedere debent, hominem à naturâ rapi ad Rempublicam, qualem aſſertionem tamen §. 10. improbavimus. Nam iſtam DEI voluntatem præcedentem ſine dubio in legibus naturalibus, & quidem Rempublicam antecedentibus, (quod teſtatur vocabulum *antecedenter*) fundatam eſſe credunt. Quâ ratione hæc opinio nobis arridere nequit. Imò placere nequit phraſis eorum, qui iſtud inſtitutum à DEO *probatum* eſſe dicunt, quia tale

vocabulum ſine explicatione expreſsâ ſenſum relinquit, quaſi DEus demum poſt conſtitutas Reſpublicas conſenſiſſet, quod, ut arbitror peccatum eſſet in divinum numen, quaſi illud non ſciviſſet, Reſpublicas inter homines ſuô tempore exorituras eſſe.

23. Inde ego cauſam potius quærerem *in voluntate & conſenſu DEI tacitô intercedente.* Poſtquam enim homo à DEO, connatô ſimul jure naturæ, in mundum conſtitutus eſſet, plenam ſimul acquiſiverat libertatem, quam ſecum portabat dignitas ejus & excellentia præ brutis animantibus. In quâ libertate manſiſſet homo, niſi malitia ejus ex abuſu libertatis proveniens, acceſſiſſet. Ita neceſſum erat, ut homines convenirent, quomodo implementum obligationis, abs DEO injunctæ, obtineri poſſet, quod non aliter quàm per originem Rerumpublicarum effici poterat. Si itaque DEus voluit, ut leges naturæ obſervarentur, conſenſit ſimul in inſtitutum iſtud, quod ad iſtam DEI voluntatem obſervandam placebat. Conſultò indè dixi, *conſenſu intercedente*, nam ſi homines ſeipſos lædere non incepiſſent, Rebuspublicis & conſenſu iſtô DEI non opus fuiſſet. Quô pactô totam aſſertionem noſtram includimus iſtâ phraſi: *Populus contulit Majeſtatem mediante conſenſu Dei tacito intercedente.*

24. Diſſentientes ſunt duplicis generis, nonnulli *immediatam* cauſam dicunt eſſe DEUM, admittentes adhuc aliquam cauſam *mediatam*, nonnulli verò *ſolam* atque *unicam* cauſam DEum faciunt, qui tamen ultimi ab ipſis prioribus deridentur. Utrique vel nullis vel exiguis nituntur prætextibus rationabi-

nabilibus, ſed ad ſcripturam ſacram recurrunt, ubi utramque etiam aſſertionem comprobatam eſſe contendunt. Petunt nimirum argumentum ab Apoſtolo Rom. XIII. 1. quando dicit: *Non eſt poteſtas niſi à DEO, ubi verò eſt poteſtas, à DEO eſt.* Sed formaliter ad hoc dictum reſponderunt alii, monſtrantes nimirum, parum cum eô iſtos lucrari poſſe, quia peccaverint in caput de æquipollentiâ & enunciationibus excluſivis, iſti enim arbitrati ſunt, quaſi nimirum Apoſtolus in phraſi priori dixiſſet: *Poteſtas eſt non niſi à DEO*, cui tunc ſanè æquipolleret: *Poteſtas eſt tantùm* vel immediatè à DEO, vel quaſi quoad poſteriorem dixiſſet, *ubi verò eſt poteſtas, tantùm à DEO eſt.*

25. Ego verò talem præterea reſponſionem addo, quod ſi DEus eſſet *immediata* cauſa majeſtatis, ſequeretur 1. quod homo nihil ſciret de ſtatu naturali, qui erat ante Reſpublicas. 2. Quod & tempore Protoplaſtorum & ita ſtatim cum initiô hominum Reſpublicæ fuiſſent exortæ. Neque enim *Adam* erat primus Monarcha, ſed caput ſaltem primæ familiæ, aliàs *Kaini* fratricidium ipſe vindicaſſet.

26. Ab alterâ parte imminent *Monarchomachi*, illi enim quaſi unicam *cauſam*, ſtatuere videntur, *conſenſum duntaxat ſolius populi.* Ex quo deinde fundamentô concludunt iſti, principem ubiq; ad rationes populo reddendas eſſe adſtrictum, & ſi deprehendatur, ut illi diſplicens, quod juſtè ab eo ſatisfactio poſtulanda ſit. Sed de quâ concluſione ſuô locô commodior erit occaſio. Nos ex præcedentibus ſaltem iſtud fundamentum deſtruemus, ſi enim ex

*ſolâ ratione* pugnamus, objicio §. 21. 22. 23. ſi inter *Chriſtianos*, tunc pro me capio dictum Apoſtoli, cujus hæc vera eſt periphraſis, partim, *quod non detur poteſtas, quæ non ſit ſimul à DEO*, partim, *ubi eſſet poteſtas, quòd illa ſimul à DEO eſſet.*

27. Alia adhuc quæſtio reſtat: *An* nimirum *illa ſit Reſpublica appellanda, in quâ princeps non præſens eſt?* Sed ſanè quid impedit, quando ad tempus phyſicè ſaltem abeſt, adeſt tamen per Magiſtratus ſuos delegatos, qui in cauſa dubia illum conſulere poſſunt, ut ſententiâ ſuâ litem decidat. Indè non *neceſſarium* eſt, ut ſemper domi maneat, quòd verò *commodius* ſit, non nego.

28. Jam ad alterum membrum, de *conſtitutâ inæqualitate*, quæ poſt Rempublicam introducta eſt, ubi ante omnia colligo aſſertiones meas antea ubique ſparſas *de æqualitate, quæ fuit ante Rempublicam*, quam verò diſtingvo in *æqualitatem* 1. *libertatis*. 2. *dignitatis*, 3. *poteſtatis*, 4. denique *jurium*. Ex his prima & ultima ſpecies manſerunt, niſi quòd nonnunquam à principe, acquiſitâ poteſtate legislatoriâ, fuerint limitatæ. Sed æqualitas *dignitatis* & *poteſtatis* planè ſublatæ, & quidem *ambæ in principem collatæ ſunt*. Qui cum nonnullis iterum ambas participavit, ita ut aliquibus *particulam* ſuæ poteſtatis & dignitatis *ſimul* conceſſerit, qui propriè demum Vaſalli ejus appellati ſunt, alii verò particulam *ſolius* dignitatis tantùm acceperint, quâ digniores eſſent aliis. Indè vulgaris diſtinctio inter cives *nobiles* & *ignobiles*, ubi nobilium porrò certus ordo eſt, nimirum *Comitum*, *Baronum* & *nobilium*

*ſtrictè*

*ſtrictè ſic dictorum* &c. quales determinationes jus naturæ noſtrum ignorat, quia immediatè dependent ab arbitrio alicujus principis, & conſequenter ſecundùm varietatem Rerumpublicarum mirum in modum variant. Interim de dignitatibus noſtri imperii videbis ſuô locô in jure publico.

29. Ex dignitate oritur *exiſtimatio* & huic oppoſita *infamia*. *Exiſtimatio* eſt valor perſonæ ſecundum ejus dignitatem à Principe ipſi impoſitam, *infamia* verò eſt amiſſio dignitatis.

# Cap. XXIII.

## *De qualitate & quantitate Reipublicæ.*

I.

PRoximum nunc eſt, ut ad *naturam* Reipublicæ paulò propiùs accedamus, ubi anteà qualitas ejus paucisſimis diſcutienda. *Qualitas* autem Reipublicæ conſiſtit in ejus *formâ*. Ubi ante omnia in quæſtione eſt, *ex quô fundamentô forma ſit petenda?* Nam niſi circa tale præſuppoſitum pugnaremus, fruſtrà de futurô ordine quæreremus, & quaſi ὕστερον πρότερον committeremus. Ut verò quæſtioni paucis ſatisfaciamus, brevibus ſaltem dicimus, *ſemper formas Rerumpublicarum ſumendas eſſe à poteſtate à populô in majeſtatem collatâ.* Sicuti enim nota Reipublicæ eſt poteſtas, ita & ipſa poteſtas nota eſt formæ Rerumpublicarum. Quâ ratione

ego illas Rerumpublicarum diviſiones, quas formales appellant alii, tanquam ſpurias diviſiones, & ad ſolam materiam reſpicientes, ſtatim excludo, quæ cum noſtrâ regulâ reciprocari nequeunt.

2. Jàm autem conſtat, vel in majeſtatem à populô circà *liberè* exercendos ſuos actus poteſtatem eſſe collatam, vel ſaltem eam aliquô *certô* modô eſſe *reſtrictam*, inde ſtatim ſpontè ſua fluit diviſio in Rempublicam *abſolutam* & *limitatam*.

3. *Reſpublica abſoluta eſt, quando illa perſona, quæ habet Majeſtatem, ex propriô judiciô, ſecundùm præſentes rerum conjunctiones Rempublicam & cum eâ, voluntates & vires Civium dirigit, absq; lege vel ſtatutô aliquô præſcriptô;* Vel, ut adhuc clarius dicam, illa eſt *Reſpublica abſoluta, ubi principi regalia non ſunt ademta*, de quibus cap. 25. Indè non officiunt huic abſolutæ poteſtati illæ leges, quæ reſpiciunt ſaltem ad amorem in ſubditos, vel alia per ſe clara, quia ad hæc omnia princeps *naturaliter* absque legibus fundamentalibus obligatus eſt. Et quoniam ità plena & incircumſcripta poteſtas apud ejusmodi principem reſidet, conſequens eſt, ut nonnunquam poteſtate ſuâ abuti poſſit, ita ut finem illum, ad quem implendum Reipublicæ præpoſitus eſt, vel invertat vel planè intermittat. Quô pactô ex abuſu poteſtatis *abſolutæ* evadit *Tyrannis*, quæ ſeſe vel *occultè* exerit, quando ſub externô prætextu ſalutis publicæ, periculoſa Reipublicæ intentio diſſimulatur. Vel demum planè *apertè* cognoſcitur, ubi publicè incommodum, detrimentum, avaritiam atque crudelitatem tyrannus profitetur. Cave tamen

men per noſtram Tyrannidem eam intelligas, per quam olim Poëtæ & Oratores illos principes delineare ſolebant, qui ſordidè & omnibus vitiis polluti vivebant, optimè tamen imperabant. Neque cum noſtrâ, ſeu *politicâ* tyrannide, confunde *Regna Deſpotica*, quibus bonus Tyrannus præeſt, nam apud Barbaros plerosque & legibus quandoque receptum eſt, principem ſuos ſubditos tanquam mancipia & ſervos habere poſſe. Qualis forma regiminis illis non *iniqua* ſed *laudabilis* potius habetur, qui genia horum hominum penitius noſcunt, illi enim non negabunt, quòd ſimul per tale regimen ſalus Reipublicæ obtineri poſſit.

4. Reſpublica *limitata* vel reſtricta eſt, *quandò perſona, quæ Majeſtatem habet, circa adminiſtrationem ad certas leges eſt reſtricta*, vel *cui Regalia vel pars Regalium adepta ſunt*. Illæ verò leges planè aliam habent faciem, ac leges aliæ, quia hæ magis *pacta* ſunt, & ab aliis diſtinctionis gratiâ appellantur leges *fundamentales*. Iſti verò, qui illas ſimul interpretantur, dicuntur *ſtatus* vel *ordines* vel *Optimates* Reipublicæ, utpote in quos à populô iſta poteſtas etiam eſt collata.

5. Atque hæ ſunt duæ iſtæ ſpecies Reipublicæ *formaliter* conſideratæ, ubi tamen quandoque accidit, non omnia ità accuratè in unâ vel alterâ Republicâ inſtituta eſſe: ut ſtatim primô intuitu vel *abſoluta* vel *limitata* appellari poſſit, quia nonnulla interveniunt, quæ talem diſpoſitionem planè invertere videntur: quô pactô reſultat alia diſtinctio Rerumpublicarum in *Regulares & Irregulares*. Et

quidem *regularis eſt, in quâ in ſolum Principem à populô poteſtas vel abſoluta vel limitata collata eſt.* Sed è contrariô *irregularis eſt, in quâ poteſtas Reipublicæ non ita regularitur deprehenditur.* Et illa iterum vel *mixta* dicitur, vel *ſyſtema Civitatum ſeu fœderatorum.*

6. Reſpublica *mixta* eſt, *quando aut publicâ lege aut conſuetudine legitimâ poteſtas Reipublicæ partim reſidet apud principem, partim apud ordines vel ſtatus Reipublicæ*, indè cauſa hujus irregularis regiminis non eſt morbus aut vitium aliquod adminiſtrationis, ſed ipſa pacta fundamentalia. Diviſio verò poteſtatis vel *æqualiter* vel *inæqualiter* inſtituta eſt. Et *inæqualiter* quidem, quandò vel princeps præfertur adhuc ſtatibus, vel ſtatus præferuntur principi, contrà verò *æqualiter*, ſi circa eam utriqve, tam Princeps quàm ſtatus æquali modô concurrunt.

7. Ipſa autem Reſpublica *mixta* adhuc vel *abſoluta* eſt vel *limitata*. Fieri enim poteſt, à populô vel poteſtatem abſolutam vel reſtrictam in principem & ſtatus ſimul eſſe collatam. Quô modô ſpecialiter Reſpublica *mixta abſoluta* dicitur, *ubi princeps cum ſtatibus abſolutam habet poteſtatem*, & deinde *mixtè limitata*, *ubi in principem & ſtatus reſtricta poteſtas collata eſt.* Ubi etiam quandoque in ejusmodi formâ accidit, ut una pars obſervet leges, altera militiam, una pecuniam, altera aliud quoddam. Quandoqve verò Rempublicam adminiſtrent *ſimul.*

8. *Syſtema fœderatorum conflatur ex multis Rebuspublicis, præcipuè in iſtum finem, ut ipſarum vires*

*res pro unius viribus habeantur.* Tale ſyſtema ab aliis etiam non malè *corpus gentium* adpellatur. Quoad iſtud verò breviter hoc ſimul notandum venit, quòd in ejusmodi fœdere vel tantùm reſpiciatur ad mutuam vel defenſionem vel offenſionem (nam aliàs parva iſta corpora facili negotiô disjuncta devorarentur) reſervatô regali, ut *juſtitia* interna ex propriô inſtitutô obſervetur, vel quòd ſimul hoc regale in totô ſyſtemate ex unô inſtitutô exerceatur. Quô pactô, ſi aliquid de tali ſyſtemate dicendum erit, ipſum fœdus fundamentale inſpiciendum eſt. Interim poſtulat ſimul necesſitas, ut in Republicâ ſyſtematicâ vel *communis Senatus* vel *unus aliquis* conſtituatur, qui à reliquis in mandatô habeat, quomodò res expediendæ ſint. Statim ſimul fluit indè, quòd tale ſyſtema nunquam numerandum ſit inter Reſpublicas *abſolutas*, quia *Senatus* juſſa duntaxat exequitur, & ità quaſi pro inſtrumentô ſyſtematis habetur. Quod ſimul cauſa eſt, illud ſyſtema nec inter Reſpublicas *regulares*, nec *mixtas* referri poſſe, quia dicta ægrè huc applicari poſſunt.

9. Spectant huc duæ diſtinctiones, quarum prima eſt inter Reſpublicas *ſimplices* & *compoſitas*, ubi ſimplex talis eſt forma Reipublicæ, ubi unum tantùm corpus adeſt, *compoſita* verò, ſi plura diverſa corpora ſunt unita. Quâ ratione Reſpublica *compoſita* eſt Syſtematis fœderatorum Synonymum. Alterô modô Reſpublicæ ſunt vel *ſimplices* vel *mixtæ*, quarum priores ſunt illæ ipſæ, quas appellavi regulares, poſteriores verò, quas irregulares nominavi.

10. Quan-

10. Quandò nunc quæſtio inſtituenda eſt, *quod genus Reipublicæ* alteri ſit præferendum, tunc non commodiùs facio, quàm ſi duplicem reddo reſponſionem. Prima ex ſola ratione vel reſpicit ad utilitatem *ſubjectorum* vel *Imperantium.* Si ſubjectorum non poſſum non Reſpublicas *limitatas* præferre abſolutis, quia ibi poteſtas abſoluta in commodum Civium per leges fundamentales ſanô modô eſt reſtricta, ita ut princeps non pro lubitu illos circumagere poſſit. Si *imperantium*, tunc poteſtas abſoluta ſuperat limitatam, quia ſic princeps liberrimam habet diſpoſitionem, voluntatem quamcunque exequendi. Imò ſi tam imperantium quàm parentium utilitatem ſimul, quoad ſecuritatem externam conſiderare volumus, iterum obtinet Reſpublica *abſoluta*, quia tunc, ſi occaſio commodi alicujus adeſt, non expectandum eſt, priusquam ſtatus conſenſerint. Quandò verò *inclinationes* hominum producimus, tunc ſanè iſta forma prævalet, quæ *genio* civium magis congruit, illud autem videmus ex eâ formâ, ſub quâ præ alterâ beatè & tranquillè vixerunt homines.

11. Sufficiant iſta de qualitate Reipublicæ, progrediendum nunc eſt ad ejus *quantitatem*, quæ duplici ratione inſtituenda eſt, illam enim vel multitudo ſeu *numerus imperantium* gignit vel *parentium*, & horum quidem non juxta numerum individuorum, ità, ut determinetur, quot perſonæ parentes ad aliquam Rempublicam conſtituendam requirantur, quia per ſe perſonæ, undiqve ſparſæ, talem ſtatum nunquam generant, ſed reſpicitur tantùm ad numerum *communitatum*, quas individua iſta inhabitant.

Iſte

Iſtc numerus autem in eô conſiſtit, quòd Reſpublica partim *ex multis communitatibus* conſtet, partim ex *unâ tantùm* ſit compoſita. Nam ab initiô Rerumpublicarum non aliqua ſemper, ſed quandoque multæ ejusmodi communitates ad Rempublicam aliquam condendam conſensêre. Quod ultimum genus hoc peculiare habet, quòd in vicem ſummæ poteſtatis, alia digna ſubjecta, in illis locis, ubi Majeſtas præſens eſſe nequit, conſtituantur, quæ ex certô caractere analogiam poteſtatis præbeant, & in jure dicendô, ab ipsâ poteſtate conceſſam habeant autoritatem, qualia unô vocabulô appellantur *Magiſtratus* vel *Miniſtri* poteſtatis.

12. Quô pactô nunc non inutiliter quæritur: *quæ quantitas Reipublicæ præ alterâ, hominibus, in eâ viventibus, ſit utilior atq; commodior?* Quam tali modô commodè decidimus, diſtingvendô nimirum inter duos modos, qui ex *ſalute Reipublicæ* cap. præced. §. 15. fluebant. Quando enim *adminiſtrationem juſtitiæ* contemplamur, tunc Reſpublica illa prævalet, quæ ex unâ ſaltem vel pauciſſimis Communitatibus compoſita eſt, quia hôc reſpectû partibus immediatè ab ipsâ poteſtate, & citiùs quoque jus dicitur, quod alias, ſi communitas una à ſede principali latè patet, majori cum impedimentô peragitur. Accedit quandoque Magiſtratuum in decidendis controverſiis favor, quô uni parti præ alterâ ſunt addicti, quem & non rarò donis vel promiſſionibus aliis ſibi procurare poſſunt homines. Sed ſi *defenſionem* vel *offenſionem* producimus, absque dubiô illa Reſpublica obtinet, quæ ſecuritatem inter-

nam

nam cum fortiſſimô ſucceſſu contra alios ſtabilire præſtat, ſi enim illud efficit, non aliter quàm ex multis iisque florentiſſimis Communitatibus erit compoſita.

13. Deinde hoc inſuper notandum venit, quòd non ſemper ſpecialiter Civitates ad Rempublicam conſtituendam confluere debeant, ſed *Vicus etiam ſufficiat*, quia & tanta multitudo hominum iſtum inhabitare poteſt, quàm Civitatem. Verùm dicis: ſic non ſatisfacis §. 15. Cap. præced. ubi ad civitatem munimenta requiſiviſti, vico verò nulla auxilia defenſionis adſcripſiſti, quâ ratione *defenſio* & *offenſio* in Republicâ, è tali vicô exorta, prorſus exulabit? Ego ità. *Offendere* poſſunt ibi alios incolæ, licèt ubique aditus ſit obvius, imò & ibi *defenſio* commodè ſuſcipienda eſt, ſi in vicô dantur viri fortes, iſti enim ad robuſtam defenſionem præ munimentis adhuc requiruntur.

14. Ex iſtâ quantitate fluit *diſtinctio* una *materialis* Rerumpublicarum in *dividuas*, quæ ex multis Communitatibus, & conſequenter etiam Regionibus, Provinciis, vel Regnis conſtant, quas tamen cum Syſtemate aliquô non confundere debes, & *individuas*, quæ unicam ſaltem civitatem vel unicum Vicum complectuntur.

15. Altera *quantitas* componitur ex *numerô Imperantium*, quandò videlicet non unus ſemper, ſed & plures quandoque munus principis obeunt. Ubi antè omnia præoccupare debeo, *nihil obeſſe dicendis, an poteſtas ſit abſoluta vel limitata, utraq; enim formarum ſpecies patiuntur vel unum vel duo*

*vel*

*vel plura ſubjecta gubernantia.* Nam duo etiam & tres tam æquè Reipublicæ alicui abſolutæ præeſſe poſſunt, ac poteſt unus. Cujus aſſertionis tot in promtu habeo teſtimonia, quot mihi opus erunt adverſus eos, qui illam negare aggrediuntur.

16. Ex his generantur duæ diviſiones materiales, una, quæ locum habet in Republicâ *abſolutâ*, altera, quæ in *limitatâ*. Priori modô diſtingvo Rempublicam in *Monarchicam* & *Polyarchicam*. *Monarchia* eſt Reſpublica abſoluta, cui unus imperans præeſt, *Polyarchia*, cui plures præſunt. His opponitur *Anarchia*, quando quilibet ſecundùm proprium judicium vivit. An talis detur? certè dubito.

17. Non tamen confundere debes hanc Monarchiam politicam cum *Monarchia hiſtorica*, quam diſcutere præſens inſtitutum non eſt, ſufficiat ſcire, quòd Monarchia præſens non ſit. Sed quoad noſtram iterum non prætereundum eſt, ſtylô etiam politicô eam ſimul exprimi poſſe, prout *imputatio* inter gentes poſtulat, vel per *ſuprematum* vel per *regnum* vel per *imperium*. Non tamen, ac ſi iſta vocabula monarchicum ſtatum ſemper deſignare deberent, quia & quandoque accidit, in regnô vel imperiô ſimul polyarchiam obtinere poſſe, ſufficiat tamen, iſta vocabula id determinare, quod plerumque fit.

18. In Republicâ *limitatâ* diviſio materialis eſt, quòd ea ſit vel *Monocratica*, cui unus vel *Polycratica*, cui plures præſunt. Ex iſtâ verô pluralitate oritur partim *Ariſtocratia*, quando optimates vel nobiles,

biles, partim *Democratia*, quando populus univerſus imperat. In *Ariſtocratiâ* tantùm optimates jus ſuffragii habent, ſed in *Democratiâ* competit hoc omni ex populô. Deinde *Ariſtocratiæ* ſeorſim opponitur *Oligarchia*, quando nobiles vitiosè ſtatui præſunt, & *Democratiæ* contrariatur *Ochlocratia*, quando hîc res malè obſervantur.

19. Reſtaret *materiale* Reipublicæ mixtæ & Syſtematis fœderatorum, quibus tamen nos, propter earum irregularitatem, certa nomina ex dictis dare nequimus, neque enim juſtè unum, neque juſtè plura individua imperantia fingere poſſumus, niſi ſpecialiter talis forma nobis proponatur, ſic enim remanebit quidem irregularitas, ſed quandoque ab eâ materiâ ſortietur prædicatum, cum quâ præ alterâ convenit.

20. Si nunc de utilitate unius Reipublicæ præ alterâ quærimus, in genere ex §. 10. dicta repeto, addo verò hîc, quod *Monarchia Polyarchiæ* & *Monocratia Polycratiæ* indiſtinctè præferendæ ſint, quia quandoque accidere poteſt, ut inter imperantes diſſenſus, & cum iſtô in Republicâ maximum malum oriri poſſit. Deinde *Democratiæ* anteponitur *Ariſtocratia*, quia populus, ſi regimen habet, quotidie tumultus, inſcius, tales ſtatui officere poſſe, concitat, quod in Ariſtocratia, ubi nobiliores & conſequenter etiam prudentiores gubernant, non ità metuendum eſt.

21. Equidem diſcònveniunt mecum alii in locandis diviſionibus Rerumpublicarum, ſemper enim incipiunt, ubi ego deſino, iſtud verò quandoque pla-

nè

nè omittunt, quod principium meum erat. Illi enim, qui in ſolis diviſionibus materialibus acquieverunt mirum in modum ſeſe cruciarunt, quô prædicatô hic vel iſte ſtatus, cui præ alterô favebant, (qui reverâ tamen cum terminô diſconveniebat) afficiendus ſit, indè tot abſtractiones, limitationes atque diſtinctiones exortæ ſunt, quas omnes recenſere, ne calamô quidem dignum eſt. Breviter, non reputabant ſecum, qualis differentia ſit inter duas quæſtiones, qualis? vel quanta? ſit Reſpublica, quarum primam ſemper noſtræ ultimæ ineſſe exiſtimarunt. Iſti verò, qui alias adhuc diviſiones adjunxêre, obliti tamen hâc parte vera dubitandi principia, diviſiones materiales adhuc inter formales collocarunt, quô factum eſt, ut deinde neſciverint, vel ſeſe explicare noluerint, quomodò ex talibus diviſionibus, malè collocatis, Reſpublica nominanda ſit. Nos itaque ſecuram ambulantes viam, *parum circa diviſiones materiales*, ſi formaliter procedimus, *ſoliciti ſumus, præcipuè quòd ſciamus, neq; iſtas neq; illas fundamentum eſſe, quòd Reſpublica una alteram præcedat*, confer Cap. 27. §. 15. ſeqq. Sic prorſus evadunt apud nos inutiles, præter alias, hæ duæ quæſtiones, circa quas tamen acriter inter ſe diſputarunt Viri eruditi. Quarum prima eſt: *An detur Monarcha temporarius?* Quam utique affirmamus, licet ad annum ſaltem talis homo ſtatui abſoluto præſit. Sic tu ipſe judica, an Monarcha fuerit Dictator Romanus. Altera eſt, *an ille ſit princeps abſolutus, qui habet poteſtatem reſtrictam.* Nos negamus, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe

& non eſſe. Iſti verò, qui quæſtionem propoſuerunt, ſeducti ſunt ab iſtô præſuppoſitô, quaſi Monarchia, exclusâ Polyarchiâ, ſit ſola Reſpublica abſoluta.

22. Sed dicis: Sic video, à te tres notabiles ſpecies Rerumpublicarum eſſe omiſſas? nimirum *1. Rempublicam univerſalem. 2. Politiam* & *3. Rempublicam liberam.* Ego ita: *Respublica univerſalis* eſt Ens, quod non eſt, nec eſſe poteſt, ergo eſt *Ens*, ut alii appellant, *ridiculum*, vide enim, quæ dixi Cap. 22. §. 12. & 13. Scio equidem, nonnullos ſcriptores clamare de ejusmodi terriculamentô futuræ Reipublicæ univerſalis, ſed iſti nihil aliud effecerunt, quàm quod levibus hominibus metum incuſſerint, à Sanioribus verò usqve adhuc vapulent & rideantur. Deinde *Politia* ſignificat quidem Rempublicam, non tamen aliquam in ſpecie, ſed omnem ſtatum, quem tibi proponis, ſic eſt potius Reipublicæ, in genere ſic dictæ, ſynonymum. Poſteà verò *Respublica libera*, quatenus per eam intelligis ſtatum ſine regimine, tum demum expectabitur, quando incipiet Reſpublica univerſalis, vel potuis, quando principes omnes erunt mortui. Si autem per eam genus aliquod ex præcedentibus intelligis, mallem, te ita loqui, ut verba tua aliquid ſignificent, nam & limitatæ, quas tu fortè per Rempublicam liberam intelligis, etiam ſunt regimini ſubjectæ. An verò ſaltem propterea liberæ appellandæ ſint, quòd ibi major obtineat libertas Civium, quàm in Rebuspublicis abſolutis, iterum non video, quia tunc talis terminus neqve aptus neqve adæquatus

eſt.

eſt. Vera cauſa hujus erroris eſt, quòd Domini noſtri Politici confuderint diſciplinam ſuam cum diſciplinâ aliâ. Nam apud nos in Republicâ Germanicâ tales dantur liberæ Civitates, Kayſerliche freye Reichsſtädte / à quibus, quia ſunt vel Democratiæ vel Ariſtocratiæ, ſtatim concluſerunt ad alias extra forum Germaniæ, quæ ejusdem farinæ ſunt. Atque ſic notionem Juris publici uſurparunt ut notionem politicam.

# CAP. XXIV.

## *De Affectionibus Reipublicæ.*

I.

SEquuntur affectiones Reipublicæ, quæ vel à *qualitate* vel à *quantitate* ejus pullulant. Ubi commodè quæſtiones inſtituendæ ſunt ſecundùm ejus *1. Originem. 2. Mutationem. 3 Modum Regiminis,* & denique *4. Interitum.* Sed nè cogites, nos hîc aliquas ſimul leges tradere velle, hoc enim inſtitutum ſpectat ad duo capita ſequentia. Neque repetemus etiam ea, quæ anteà de *causâ* originis diſſeruimus. Sed ſubſiſtemus ſaltem in talibus quæſtionibus, quæ ſolam *qualitatem* & *quantitatem* reſpicient.

2. Quod itaque *Originem* attinet, quæſtio jam eſt: *an in conſtituenda Republica primariò de qualitate, an de quantitate aliquâ convenire debeat po-*

*pulus.* Nos qualitatem ponimus, nam ſi populus concludit ad conſtituendum quendam ſtatum, *naturalius* æquè ac *methodicè* planè factum eſt, quandò inter ſe conveniunt homines de formâ prius eligendâ. Et licet jam aliquem vel plures poſuiſſent, qui futuri principes eſſe deberent, non tamen iſti talem characterem ſortiuntur, priusquam poteſtas in illos collata ſit. Quomodò enim conferre potuerunt poteſtatem, cum poteſtate Majeſtatem, & ità erigere Rempublicam, niſi anteà inter ſe conveniſſent de qualitate hujus poteſtatis. Poſſes indè regerere, *non ſemper apud populum eſſe, ut qualitatem majeſtatis conferat.* Ego verò ex naturali diſpoſitione utique per ſuperius dicta hanc libertatem populo adſcribo, utpote ex quâ deciſionem depromſi. Quòd ſi verò populus hanc libertatem in Majeſtatem contuliſſet, tunc ſanè pacta legitima nunc derogant diſpoſitioni naturali. Nihilominus tamen, cum oriretur Reſpublica, hæc libertas adhuc apud populum erat.

3. Sed nec Occaſione *quantitatis* in ſpecie hoc prætereundum eſt, populum in inſtituendô principe ſimul conſtituiſſe, ut vel poſt hunc alius eligendus ſit, vel illi alter ſine electione ſuccedat. Indè venit diſtinctio inter Rempublicam *Electivam & Succeſſivam*, ubi in *Electivâ* poteſtas eligendi *regulariter* eſt penes populum, *confer* §. 5. vel apud illos, qui ad talem ſolennem actum ſepoſiti ſunt; in *Succeſſivâ* verò ſequitur ille ex pactô populi vel tacitô vel expreſsô, qui anteceſſori proximior erat gradu. Ità enim incommodis prævenire voluerunt, quæ ſperanda

randa fuiſſent, ſi arbitrium ſucceſſionis fuiſſet vel penes *Principem* vel penes *Populum*. Quandò autem ipſam hanc diſtinctionem paulò preſſiùs adſpicimus, *arbitrium populi* non facit regnum ſucceſſivum, ſed electivum potiùs. Si enim ex hôc fundamentô filius principis ſuccedit, Reſpublica non evadit ſucceſſiva, ſed tam diu durabit poteſtas eligendi, quamdiu iſta populo non ademta eſt. Quanquam & aliô modô iſta diſtinctio ab aliis explicetur, quæ tunc fundamentum habet in diſtinctione regni patrimonialis vel uſufructuarii. Si autem arbitrium eſt *penes principem*, tunc illi ab inteſtato ex dictis Cap. 14. §. 45. ſuccedunt *liberi*, his deficientibus, ſuccedunt alii ex Propinquis ex d. l. §. 41. ad 44. Sed quando proximus ſucceſſor *per teſtamentum* præteritus eſt, regulariter per jam dicta talis voluntas obtinere nequit, niſi populus ſimul conſentiat, quia hoc contra naturam regni ſucceſſivi eſſet. Limitamus tamen regulam in illô caſu, ubi plena poteſtas *alienandi Rempublicam* in principem ſpecialiter collata eſt. Sic enim populus tacitè conſentire debet, quod accidit in Republicà *Patrimoniali*.

4. Sed videamus nunc, qualem iſta diſtinctio Grotii inter Rempublicam *patrimonialem* & *uſufructuariam* uſum habeat? *Patrimonialem* appellat, ubi poteſtas alienandi regnum, idque pro lubitu dividendi, in principem collata eſt. *Uſufructuariam* verò, ſi hoc princeps facere nequit. Hìc antè omnes defenſores hujus diſtinctionis mihi concedere debent, quòd talem poteſtatem (regnum, quando luberet, alienandi, tanquam modum aliquem inor-

dinatum, & ex quô facilè detrimentum Reipublicæ ſequeretur) diſpoſitio naturalis immediatè ſecum non portet, ſed ſoli pacto ſpeciali relinquat. Ex quô tandem ſequitur, quòd illa non ſit pars Regalium, utpote quæ naturaliter Majeſtati inſunt, & per pacta in *formâ limitatâ* principi auferuntur, confer Cap. 25. §. 2. Quia itaque ſpeciale beneficium eſt, non tollit *formam abſolutam*, ſi deeſt. Indè, ut ſenſum meum brevibus explicem, valet regula: *Tamdiu Reſpublica manet Uſufructuaria*, *quamdiu per ſpeciale pactum non probatur patrimonialis*. Atque extra hanc regulam nullum alium uſum diſtinctionis reperio.

5. Reſtat adhuc aliqua limitatio intuitu Reipublicæ *electivæ*, nam vel populus eligere poteſt, quem modò vult, & tunc dicitur *Electio libera*, vel ex pactô aliquô præcedente ſe ipſum obligavit ad eligendum quendam ex certâ regione, familiâ, ex unicô ſexu, excluſis fœminis, & vel cum requiſitâ determinatione annorum vel non, ubi *electio reſtricta* appellatur.

6. Spectat porrò huc materia *Interregni*, quod duntaxat locum habet in Rebuspublicis jam conſtitutis. Si enim in ſtatu aliquô electivô princeps mortuus eſt, tunc, antequam ad novam electionem properatur, regnum non debet manere ſine capite, & cives vivere ac in conditione aliquâ naturali, ſed conveniens eſt, ut vel *Conſilium* Rempublicam adminiſtret, vel *Inter-Rex ſeu Inter-Princeps* conſtituatur, qui ſtatui tanquam caput præſit, quia morte imperantis Reſpublica electiva non iterum dilabitur,

tur, ſed adhuc ita firmiter cohæret, ac anteà tempore Principis. Caſtigarunt indè nonnulli Hobbeſium quod arbitretur: *Congregatos, ſi diſceſſerint ſine novô Principe, nec non conſtitutô prius locô & tempore ſecuturi conventus, abire in diſſolutam multitudinem.* Talem nimirum aſſertionem procedere tunc demum exiſtimo, quando conveniunt populi de conſtituendâ aliquâ Republicâ, non ſi jam conſtitutæ novum caput præponendum eſt. Sed ego arbitror, hanc Satyricam opinionem ab Hobbeſiô in alium finem eſſe ſimul ſcriptam.

7. Quoad regnum *ſucceſſivum* verò non ita ſpecialiter res determinanda eſt, quia in Rebuspublicis vel ex pactô expreſsô vel tacitô ſeu longâ conſvetudine receptum, quomodò ſucceſſio propinquorum inſtituenda ſit. Sed hoc jam diſpiciendum venit, ſi oriretur fortè circa talem *ſucceſſionem lis aliqua, cui illam decidendi poteſtas competat.* Nam ſtatim ad arma prorumpere velle, fini Reipublicæ è diametrô adverſatur. Itaque ſi princeps adhuc vivens litem ſententiâ ſuâ legitimè atque juſtè dirimit, res fermè acta, atque ille ſuccedit, qui vocatus eſt. Quando verò poſt mortem Principis diſceptatio oritur, æquiſſimum eſt, ut populus intercedat & aliquem eligat, qui ſucceſſione dignus videtur. Qui caſus tamen non propterea ex ſtatu ſucceſſivô gignit electivum.

8. Hæc itaque occaſione originis ſufficiant, ſequitur *mutatio* Reipublicæ, quæ nihil aliud eſt, quàm *mutatio formæ vel materiæ prioris, in formam vel materiam aliam.* Et de mutatione mate-

riæ quidem non acriter diſputare debemus, quia iſta formæ non officit, ſed tantùm numerum Imperantium vel auget vel imminuit, quâ ratione talis mutatio Reipublicæ non adeò conſpicuam variationem generat, ſi v. g. ex Monarchiâ fit Polyarchia, vel ex Monocratiâ Polycratia, vel vice verſâ. Mutatio tamen evaderet aliquô modô magis conſpicua, ſi ex Ariſtocratiâ Democratia ſurgeret, quia ibi inſignis eſt differentia inter imperantes.

9. Longè notabilior eſt mutatio *formæ*, ſi ex ſtatu *limitatô* fit *abſolutus*, vel ex *abſolutô*, *limitatus*, tunc enim aliam cuncta ſortiuntur faciem, & quod anteà circa Reſpublicas æqvum erat, vix adhuc obtinere poteſt, quia hæ duæ diverſitates diverſiſſimum relinqvunt effectum.

10. Sic itaque quæſtio inſtituitur: *An illud, quod priori tempore ab imperantibus promiſſum vel pactum eſt, per mutationem tollatur?* Ubi intuitu mutationis *materialis* obligatio præcedens nullô modô evaneſcit, quia adhuc eadem qualitas Reipublicæ eſt, quæ erat anteà. Confer tamen Cap. 29. §. 7. ſeqq. ubi juxta diſtinctionem Conventionum realium & perſonalium ſpecialius rem expendemus, & reſpondebimus ſimul ad quæſtionem: *An pactum exſpiret mortuô principe?* Sed gravior paulò eſt reſponſio, quando *forma mutata* eſt, reſpondent quidem alii, ſed frivolè & ſinè ullâ ſatisfactione. Nos *materiale obligationis* ipſius conſiderabimus. Si enim illa complectitur officium aliquod per ſe imperfectum ſeu *humanitatem*, tunc Civitas in novam formam collapſa, non obligata eſt, ad eam ſervan-

vandam, quia etiam fieri poteſt, ut implementum obligationis pugnet cum intereſſe novi ſtatus. Quandò verò obligatio officium continet per ſe *perfectum*, quale eſt debitum, tunc ad obſervandam obligationem in novâ iſtâ formâ populus adſtrictus eſt.

11. Sed ità non omne id, quod mutationi obnoxium adhuc eſt, expoſitum vides, reſtat enim alia *mutatio, quæ fit per Vim.* Iſtam verò alii rectè diſtingvunt in Vim *juſtam* vel *injuſtam*, quam nos ita applicabimus. *Vim juſtam* adhibet ille, qui in bellô juſtô populum alterum ſubegit, & unô vocabulô dicitur *occupatio*, addere potes, *bellica.* Sed ille, qui primò regionem aliquam cum vi armatâ intravit vel etiam planè ſubjugavit, eſt quidem *verus poſſeſſor intuitu tertii*, non tamen intuitu prioris domini, quia ſic duntaxat pro detentore habetur. Quando autem pro ratione circumſtantiarum & ratione qualitatis Reipublicæ, in regione ſubactâ, vel *conſenſu ſubjectorum* vel *pactô ſubſequente* confirmatur, etiam ratione prioris domini pro verô poſſesſore habetur.

12. *Vi* verò *injuſtâ* ingerit ſeſe ille, qui formam limitatam fraudibus vel per aliam violentiam invertit in abſolutam. Vel qui ad quamcunque formam Reipublicæ obtinendam invocatus illicitis mediis utitur.

13. Occaſione hujus quæritur: *An acta invaſoris, depulsô eô, adhuc obligent?* Quod de *invaſore injuſtô* ſtatim nego, ita ut liberum ſit, eô ejectô, omnia in priſtinum ſtatum convertere, & quod

geſtum eſt, pro nullô declarare. Sed ſi *invaſor juſtus* fuit, aliud ſtatuendum erit, hîc enim, poſtquam iterum ejectus eſt, omne id adhuc obtinet & obligat, quod in *commodum* ſtatus conſtitutum vel actum erat. Quod verò ratione ſui ipſius compoſuit, per ſe, ſi depulſus eſt, ceſſat.

14. Succedit *modus Regiminis*, ubi ex parte *formæ* ſtatus, Reſpublica aliqua vel *benè* ſeu ſecundùm leges fundamentales ab imperante adminiſtratur, vel *pravè*, ſeu quando tale officium ſeponitur, indè venit diſtinctio inter Rempublicam *rectam & corruptam*. Iſta verò diſtinctio ſaltem in *formâ limitatâ* obtinet, nam abuſus formæ abſolutæ anteà dictus eſt Tyrannis, ex quâ ſi occultam Tyrannidem etiam ad Rempublicam corruptam applicabis, non refragabor. Interim Tyrannis occulta, ut arbitror, corruptæ nomen adhuc non meretur.

15. Quomodò verò Reipublicæ corruptæ *ſuccurrendum* ſit, ut in priſtinam conditionem reducatur, grave conſultum eſt. Nam ſi ſupplicationes ſubditorum, admonitiones & alia media lenta nihil operantur, tunc, quomodò ad aliud properandum ſit, potiùs videbimus *in Capite de jure Parentium*.

16. Deinde ex parte materiæ Reſpublica ab imperante ſuô vel *prudenter* vel *imprudenter* regitur. Priori modô hoc non aliter fit, quàm ſi finis Reipublicæ ex utrâque parte impletur, quod ex alterô modô non ita, verùm potiùs contrarium expectandum eſt. Venit indè diſtinctio Rerumpublicarum in *ſanas & morbidas*. Hoc deindè adhuc paulò morboſius eſt, ſi morbum procurat ſimul *forma*, quod

quod vel accidit, ſi leges fundamentales contra genium ſubjectorum fabricatæ ſunt, vel ſi planè illæ injuſtæ ſunt. Inde ratione morbi hujus non aliter conſulendum, quàm ut leges tollantur.

17. Sed graviores ſunt hæ duæ quæſtiones, quæ occaſione morbi prioris proponuntur. Videlicet una: *quomodò morbum præcurrendum ſit? ſeu, quomodò prudenter regimen inſtituendum?* Altera verò: *quomodò morbus, qui jam intravit, iterum prudenter corrigendus?* Utræque ſane quæſtiones magni ſunt ponderis, ſed ad quas nos ſterilem dare poſſumus reſponſionem, quia nullam aliam poſſumus inculcare regulam, quàm, *ut utrinq; in Caſibus prudentia adhibeatur.* In quô autem illa conſiſtat, ſimul in quæſtione erat. Extant equidem nonnulli optimi libelli, in quibus prudentia ſtatiſtica aliquô modô docetur, ſed quorum autores tamen ipſi fateri debent, ſuper exiguô fundamentô regulas illas eſſe ſtructas. Quandò verò mihi circa duas has quæſtiones pretioſiſſimas parvum meum judicium addere licet, tunc ita ſentiam.

18. Libelli iſti inſerviunt ſaltem ad comparandum habitum aliquem theoreticum, & nihil niſi confuſam notitiam terminorum gignunt. Indè potius his adjungenda, imò præponenda eſt hiſtoria temporis veteris & præſentis, item diſtincta notitia Rerumpublicarum hodiernarum, & præcipuè illius, cui præſunt vel præeſſe volunt. Quæ omnes deindè ſecundum juſtum indicem inter ſe conferantur, ut videat Politicus, in qua materia unus ſtatus præ alterô quid laudabile habeat, ubi ſtatim Politicus periclitetur,

annon? & quomodo? morbus Reipublicæ ſuæ juxta alteram corrigendus ſit, & quæ ſunt aliæ innumeræ viæ, quibus hiſtorias & notitiam iſtam lucratur. Deinde ſimul evolvendi ſunt ſanioris philoſophiæ ſcriptores, è quibus cerebrum in ordinem & juſtam methodum redigatur, ut poſteà intellectus majori cum effectu vires ſuas effundere poſſit. Et quia *μισάνθρωποι* atque librorum heluones à communione cum elegantibus hominibus ſtatim excluduntur, ideò è contrà multum ſimul *ad acquirendam capacitatem politicam* contribuunt, cura Reipublicæ literariæ & converſatio cum viris eruditis, non verò cum Semi-Doctis, quia iſti hominem juvenem ad pædantica principia facilè ſeducere poſſunt, quæ tamen hôc politiori ſeculô meritò caſtigantur. Et quanquam nunquam ab aliquô virô verum ſyſtema ſtatiſticum, ipsâ praxi corroboratum & demonſtratum edi queat, non deterrendus tamen eſt novus Politicus à ſtudiô iſtô incompacto, quaſi hoc ad Rempublicam in partibus ſuis gubernandam non ſufficiat, & quaſi ſic Prudentia ad perfectè gubernandum parvô modô adhuc in ordinem ſit redacta. *Sed ſæpius tamen in caſibus ejusmodi dubiis longè feliciùs agimus imprudentes, ut poſteà videatur, nos abſolutiſſimâ Prudentiâ adjutos eſſe*, ità, ut alius facilè ſibi falsò perſvaderet, nos in tali caſu prudentiam adhibuiſſe fermè divinam. Spectat enim huc commune proverbium: *DEI providentia & hominum exiguâ ſapientiâ regitur mundus.*

19. Reſtat Reipublicæ *interitus*, qui cum mutatione ejus non confundendus eſt, qua ratione duæ conſi-

conſiderabiles viciſſitudines ſtatus, nimirum ex unâ parte, *ſi ex unâ Republicâ plures fiant*, ex alterâ parte, *ſi plures ſimul uniantur*, huc non ſpectant, ſed mutationi materiali & formali relinqvuntur. Ideò interitus Reipublicæ tunc demum contingit, *quando penitus eſſe deſinit Reſpublica*. Sed ne cogites, jam valere vulgi diſtinctionem, inter *mortalitatem Regum* & *æternitatem Reipublicæ*, quæ, prout alii jam docuerunt, locum hîc ſibi vindicare nequit. Quippe illud ſaltem intelligunt per æternitatem, quòd, lapſis & mortuis licet ſingulis ex Civibus, alii continuò illis ſuccedant, quod vel propagatione vel ſurrogatione exterorum accidat. Verùm ex hôc ipsô fundamentô Reges & Principes longè meliori modô immortales prædicare poſſem, quia defectum mortuorum alii ſemper vel per ſucceſſionem vel electionem ſupplent, ſicut de Civibus dictum eſt. Deindè ſi moraliter rem metimur, facta atque geſta Regum mortuorum in omnium memoriâ inconcuſſa hærent, quod de Civibus & privatis dici nequit.

20. Itaque mallem interitum Reipublicæ ex ſuprà ubique dictis diſpeſcere in *formalem & materialem*. *Formale* enim interitum ſentit, quando non quidem ex unâ formâ fit alia, hôc enim modô mutatio fit, ſed ſi finis Reipublicæ ceſſat, neque amplius juſtitia obſervatur, neque ſecuritati externæ proſpicitur, & populus ſeipſum circumagit. *Materiale* interit, ſi populus & omnes Cives Republicâ exeunt & ubique diſtracti ſinè intentione & animô ſubjectionis vivunt. Hoc tamen non extendendum

eſt

eſt ſimul ad Imperantes, nam licet illi ſtatum ſuum derelinquant, non tamen ſimul procurant interitum, quia, amiſsô eô, populus novum conſtituit.

# CAP. XXV.

## *De Juribus & Officiis Summorum Imperantium.*

I.

SEquitur, ut ad jura & Officia Summorum Imperantium tandem accedamus, ubi quidem non acriter anteà diſputandum erit, quæ pars alteram præcedat, quia ipſa materia pugnat pro jure, utpote ex quô demum officia ſtatim extrahemus. Sed illud tamen diſpiciendum eſt, quid per iſta jura intelligatur? Nobis ea placet breviter nominare *ſigna Majeſtatis* vel *ſigna, quæ Majeſtati inſunt.* Equidem, ſcribunt multa communiter Politici de *Regalibus*, ubi, ſi iſtum terminum cognoſcimus, convenit ille cum ſignis noſtris. Quô pactô Regalia Majeſtatis *ſigna vel jura Majeſtatis* appellare poteris. Ideò noſtra diſputatio præcipuè conſtabit ex eô; *Quid ſibi poſſit Majeſtas?*

2. Cave tamen, putes, Regalia ſeu jura Majeſtatis eſſe ſaltem ejus *acceſſoria*, quaſi nimirum ſpecialiter illa in ipſam conferenda ſint. Nam ex hôc præſuppoſitô parvas quæſtiones decidere poſſes, quia ſic ſemper ignorantiam tuam ità excuſares, quod leges fundamentales alicujus Reipublicæ propterea ſint

ſint conſulendæ. Quâ ratione ego illa appello potius *naturalia Majeſtatis*, utpotè quæ ſemper à majeſtate aliquâ præſumuntur, priusquam per leges fundamentales in ſtatu limitatô probetur contrarium.

3. Indè in quæſtionibus ſimilibus, ubi de juribus & officiis Principum quæritur, prius dicendum eſt, quid ex diſpoſitione juris naturæ in caſu juſtum ſit, & poſteà ad leges fundamentales, ſi Reſpublica eſt limitata, progrediendum, utpote ex quibus diſpoſitio naturalis limitatur.

4. Jam ad *diviſiones* Regalium, quarum diverſæ communiter inſtituuntur, ex quibus tamen quælibet ſuos habet amaſios. Nonnulli incertum conſtituunt numerum, & tot horum recenſent, quot habent in memoriâ, reliqua lectoribus adſcribenda relinquentes. Alii dividunt in Regalia *majora* vel *minora*, quæ verò majora vel minora ſint, iterum inter ſe non conveniunt, plerumque tamen *majora* dicunt eſſe, *quæ non patiuntur, ut ab Imperante in alios transferantur*, minora verò, *quæ faciliùs aliis concedi poſſunt*. Sed iſta diviſio partim non ex juſtô fonte eſt quæſita, partim autem petita ab illis, qui quæſtiones juris publici tractarunt, quæ confuſio non rarò JCtos morales ſeduxit. Taceo enim, id nomen regalis planè amittere, quod communicatum eſt ſubditis, & nomen induere *Juris ſingularis*, non verò, ut alii arbitrantur *Privilegii*, illud enim eſt diſpenſatio ab obligatione legis.

5. Illi propiùs ad nos accedunt, qui Regalia in *immanentia*, quando Imperans rem habet cum ſubdi-

ſubditis, & *transeuntia*, quando reſpicitur ad alios principes æquales, diviſerunt, ubi & nos ſubſiſtere vellemus, ſi illa diviſio ità comparata ſit, ut ad eruendas quæſtiones & officia ſit ſufficiens. Ejusdem farinæ ſunt Regalia *æquiparantiæ* & *disquiparantiæ*, in applicatione enim cum prioribus conveniunt, ſola diſcrepantia eſt quoad terminos.

6. Nos miſſis iſtis opinionibus in rem ipſam inquiremus anteà, ubi, ſi ad priora recurrimus, invenimus ſtatim, Summos Imperantes Reipublicæ ad obtinendam beatitudinem Civilem eſſe præpoſitos, quæ finis Reipublicæ erat, inde non niſi à fine diviſio iſta petenda eſt. Finis verò anteà ſimul duas egerat radices, beatitudinem internam ſeu adminiſtrationem juſtitiæ, & externam ſeu defenſionem atque offenſionem. Ex quibus duabus ſpeciebus jam duplicia conſtituo regalia, ex unâ parte jus *determinandi leges*, ex alterâ parte *jus belli & pacis*. Ad hæc verò jura obtinenda præcedere debet Regale *commune*, quod cauſam dat Regalibus ſpecialibus & nihil eſt aliud, quàm *Dominium Eminens*, ſeu, ſi tibi vocabulum diſplicet, *Imperium*.

7. Ut verò hujus vocis natura paulò accuratiùs agnoſcatur, tria facio ejus teſtimonia. Primum eſt, ut ſit *ſanctum*. Iſta autem *Sanctimonia* conſiſtit in eô, ut juſſis perſonæ, imperium habentis, reſiſtere populus non debeat. Secundum, ut ſit *Summum*. *Summitas* verò excludit principem ab obligatione legum humanarum, ità, ut iis ſit ſuperior. Tertium, ut ſit ἀνυπεύθυνον, ſeu à nullo dependens, ita ut princeps alteri adhuc non ſit obſtrictus.

8. Ex

8. Ex hôc Imperiô oritur Majeſtati ſeu Principi poteſtas dirigendi & gubernandi Civitatem ad obtinendum finem, quôcunque modô conſilia & actiones ſuas ſuſcipiat, & ità quidem, ut iſtud, quod ſuſcipitur, ſemper populo placere poſſit. Unde proverbium eſt: *Quod vult Princeps, illud vult Civitas.* Sed quod ab aliis ità malè uſurpatum eſt, ut melius feciſſent Politici, quòd nunquam in ore geſſiſſent. Indè in ejus ſenſum eò melius inquirendum erit.

9. Scilicet, ut me breviter explicem, *regula intelligenda eſt de actionibus Principum, quæ implementum finis Reipublicæ pro objecto habent.* Et licet alicui inordinato videantur injuſtæ actiones, ſi in ſalutem Civitatis tempore belli princeps ædificia deſtruit, terras ſubditorum corrumpit, vel aliô modô dominia eorum lædit; nam iterum regula eſt: *Intereſſe publicum præferendum eſt intereſſe privato.* Imò in talibus occaſionibus non expectare Princeps debet, priusquam jam periculum præſens ſit, ſed & juſtè, tanquam bonus paterfamilias Reipublicæ ſuæ proſpicit, quando membra & corpora levia tolluntur in tempore, ne cum iis vel ex iis reliqua pars ſalva & nobiliſſima offendi vel penitus tolli poſſit. Ex his officium Principis & lex prima illi oritur: *Imperans ſalutem Reipublicæ ſuæ procuret.* Item *Salus populi ſuprema lex eſto.*

10. Sed iſtam voluntatem Principis, quæ neque mediatè neque immediatè finem Reipublicæ promovet, ſed quæ ſaltem ex judiciô propriô ad offendendos atque lædendos ſubditos ſuos in effectum deducitur, excludo, puta ſi innocentem interficit, aliquem immeritum bonis ſuis privat, vel ad domeſticam delectationem bona & territoria ſubditorum adhibet, quibus modis omnibus princeps contra officium ſuum peccat: Inde hæc lex eſſe poterit: *Extra ſalutem Reipublicæ Princeps Civibus ſuis & bonis Civium ne abutitor.*

11. Sed ulterius juxta §. 4. Imperium conſideremus, quod nunc ex eodem §. diſpeſcimus in Imperium, quod vel ad *perſonas Civium* reſpicit, vel ad *Res* eorum. Et quidem quod *Perſonas* concernit, poteſt ille easdem, ſi neceſſitas poſtulat, ob malum aliquod imminens, cogere, ut ſimul cum ipsô hoc propulſarent. Quoad *Res* poteſt ex bonis eorum tot capere, quot ad ſui, & finis Reipublicæ conſervationem ſufficere videtur. Quod fit inter Gentes duobus modis, partim per *Vectigalia*, partim verò per *Tributa*, ſed ſemper tamen modus colligendi apud principem reſidet, ita ut tantùm vectigalia, de quâcunque re ipſi placeat, excluſis tributis, vel tributa; relictis vectigalibus, imponere poſſit. Modò tamen in iſtâ impoſitione non peccet in legem dicto §. 9. dictatam, quæ cum lege ſeq. §. 10. quaſi norma & regula eſt omnium actionum à principe ſuſcipiendarum.

12. Quan-

12. Quando verò pretium, quod communiter eſt *pecunia*, ex iſtis vel aliis etiam reditibus eſt collectum, tunc obligatus eſt etiam princeps ad iſtam pecuniam benè collocandam. Exindè enim, ſecundùm æquam propoſitionem, partem aliquam impendere poteſt ad ſe cum familiâ & ſtatu ſuô ſplendide ſuſtinendum. Ante omnia verò exindè in refectionem *Civitatum*, *viarum*, *munimentorum* &c. conſiderabilem partem conſumat, quia hæ ſpecies refectionis media ſunt, quibus etiam ſalus communis conſervatur.

13. Quia etiam *impenſæ* in uſum Reipublicæ *creſcunt*, ità temperandi etiam ſunt reditus iſti, ut tempore neceſſitatis augeantur in tantum, in quantum ad id procurandum, quod neceſſarium videtur, ſufficiunt. Et ne Cives ad talia onera fiant incapaces, principi relictum eſt, ejuſmodi leges ferre, quibus præſcribitur Civibus, quomodò bonis ſuis uti debeant, ne per nimiam luxuriam nimiasque impenſas in victum atque amictum, in mendicitatem prolabantur.

14. Oritur porrò obligatio Principis ad promovendam ſalutem civium, quæ etiam vel ad *perſonas*, vel ad *Res* reſpicere poterit, & ſimul nititur legibus duabus anteà expoſitis. Sic *perſonæ bonis moribus imbuendæ ſunt*, quia è contrariô ex malis moribus mala alia generantur, quæ bono publico repugnare poſſunt. Itaque Princeps *ab inſtituendâ juventute incipiat*, ad cujus genium legitimè componendum *Scholas publicas* non ſolùm erigere, ſed & easdem commodè ſuſtinere debet, in quibus tam pueri,

 quàm

quàm profectioris ingenii homines inſtruantur. Scholis verò talia ſubjecta præponat, quæ non commenta & nugas inanes, ſed ſolidas diſciplinas atque opiniones, quarum uſus ſeſe ad vitam humanam & civilem accommodat, doceant. Tales autem homines quiqui neceſſarii ſunt, publicis ſtipendiis alantur.

15. In genere verò ſubditos ſuos ità per regulas & ordinationes diſponat, ut tam tempore pacis quàm belli, ſi opus erit, ſibi & Reipublicæ commoda ſervitia præſtare poſſint. Præcipuè autem curet, ne ſecordes vel negligentes in Civitate vivant, ſed potius otioſos & deambulatores, qui ſinè profeſſione, ad vitam alendam & ad Reipublicæ inſerviendum, plateas, forum atque communia conventicula ſternere amant, è civitate mittantur, quia talis multitudo facilè annonam in oppidô procuraret.

16. Exindè enim præter alia odioſa Reipublicæ, quæ tacebo, hoc etiam malum generatur, quòd ex his conventiculis *factiones* oriantur, nam ſi concurrunt iſti, primum eſt, *quæ bona nova quæſo?* Ubi, quia nihil aliud ſciunt, dijudicant actiones Principis, & facta miniſtrorum ſuorum, quaſi ab iis injuriâ afficerentur, ex quibus & aliis diſcurſibus facilè ſtimuli ad ſeditioſas cogitationes & machinationes oriuntur, à quibus non rarò in bellum civile prolapſi ſunt.

17. Deindè Princeps ſe etiam laudabiliter gerit, ſi id facit, per quod exiſtimatio Civium promovetur, quandò videlicet inter Doctores erudita collegia & curioſas ſocietates erigit, vel benignè patitur, ut elegantiſſima ingenia tales propagent, ubi in ejusmodi

ſubje-

Digitized by Google

ſubjecta, quæ quotidiè ſplendorem Academiarum Reipublicæ ſuæ altius tollunt, & quid apud eum viri docti poſſint, aliis ſignificant, ſuô tempore munera præſtantiſſima conferre debet. Idem eſt de illis dicendum, qui ad excolendam mercaturam & artes mechanicas ſua contribuunt.

18. Sic facilè ex his colligere licet, quid etiam impendendum ſit à principe ad *facultates Civium promovendas*, nam non ſolùm licet ſpeciale commodum quærere, ſed præter hoc opus eſt, ut anteà procuret commodum Civium ſuorum, utpote à quibus demum ſibi capit, quod neceſſarium eſt.

19. Sed hoc generale Principis Regale à duabus partibus malè uſurpatur, quarum prima peccat in exceſſu, ſub communi vocabulo *Machiavelliſtarum*. Poſtquam enim Machiavellus edidiſſet *Scriptum de Principe*, varia de eô, usque ad hunc diem inter Politicos judicia viſa ſunt, ubi nonnulli iſtud pro impiô declararunt, nonnulli verò crediderunt, mentem Machiavelli ſaltem fuiſſe, ut oſtenderet, quomodò unus vel alter Princeps ſuô tempore per ejusmodi Maximas, licet impias, imperium acquiſiverit, quô pactô iſti hoc ſcriptum pro Satyricô agnoverunt. Hîc ſanè priores, nudam æquitatem reſpicientes, non errarunt, quando contenta libri pro impiis habuerunt, ſed è contrariô illi, qui Machiavellum defenderunt, ſubſtiterunt ſaltem in formali libelli, id recordantes, non iniqvum eſſe, ſi quis ſtylô obvelatô illud detegeret, quod inhoneſtum vel injuſtum eſt, non tamen ſimul materiali ſeſe addicentes. Contrà verò accedebat tertia claſſis judicum,



Digitized by Google

qui primô impetu ſtatim iſtud ſimul, quod Machiavellus ſcripſit, pro verô & æquô habuerunt, ità, ut conveniens etiam ſit, *Principem omnia ex propriâ utilitate, licet Cives ſimul lædantur, metiri poſſe.* Quod tandem pro generali aſſertione poſuerunt, ex quâ demum tam impias tamque abſurdas formarunt concluſiones, ut citra inſtitutum noſtrum ſit, ſi illas, recenſeremus. Interim ſi tales tibi obveniunt, ſtatim per leges duas ſuprà dictas reprimantur. Altera pars peccat in *defectu*, ad quàm referuntur *Monarchomachi*, cujus farinæ iſti ſint, videbimus in *Cap. ſeq.*

20. Seqvuntur jàm Regalia ſpecialia, & ex illis primò, quod Principi relictum eſt, ad *leges determinandas*, quodque eſt *Jus νομοθετηκὸν*, cujus, ut breviſſimè declarem, ea vis eſt, ut *lex juſtè feratur*. Quanquàm enim leges naturæ planè, ſinè ullô additamentô ſufficerent, obligatus tamen eſt Princeps, ut eas in ſcripturam, vel aliam formam legis redigat, ut ſubditi omnes absque excuſatione aliquâ ſcire poſſint, quid illis facere vel omittere incumbat. Deindè, quia Jus Naturæ in caſibus, qui certam quantitatem & qualitatem poſtulant, nihil determinat, ideò hôc locô principis eſt officium, ut certum quid conſtituat. Accedit & peculiare *Intereſſe* Reipublicæ, & *creſcens malitia* hominum, quæ duo ſimul cogunt principem, ut juri naturali plura adhuc per leges ſuas addat obſervanda.

21. Circa ipſam verò ferendam legem lex ſtatim eſt: *Princeps juſtas ferat leges.*

Dicis,

Dicis, leges ferendæ ſunt humanæ; Sed leges humanæ, quomodò poſſunt eſſe juſtæ? cum juſtitia ſit implementum legis. Ego ita: Leges humanæ dependere debent à legibus juris naturæ, inde juſtitia legum humanarum demonſtranda eſt ex legibus naturæ. Ita hæc lex porrò oritur: *Princeps ferat leges, quæ non pugnant cum legibus juris naturæ.* Et, quia inter Chriſtianos jam ſcribimus, adde, *& cum jure divinô poſitivô.*

22. Deindè, poſtquam etiam accedit, ſicut in præcedentibus diximus, Principem Salutem Reipublicæ ſuæ præ oculis ſemper habere debere, conſequens eſt, ut in lege condendâ ita ſeſe temperet, ne aliquod indè malum civibus ſuis & bono publico accreſcere poſſit, & ſi etiam talis lex lata eſt, ut ſtatim cives ab ejus obligatione ſolvantur, indè oritur hæc: *Princeps ferat legem, quæ ſaluti Reipublicæ ſuæ convenit, eâ verò abſtineat, quæ eidem adverſatur.*

23. Sed hæc ſunt quidem *formalia* legis, ſeqvuntur etiam ejus *materialia*, quæ tamen ex legibus ſuprà dictis deducuntur. Ubi antè omnia actiones phyſicæ diſtingvendæ ſunt ab actionibus moralibus. Quod enim phyſicas concernit, conſiſtunt illæ ſaltem in *Locomotivâ*, quæ non adeò per ſe (niſi quod in officiô hominis erga ſeipſum lex prohibuit, *ſupra vires non nitendum)* legibus opus habet, quia hanc

actionem participat homo cum beſtiis, & ideò actus communis eſt. Ergò in his adhuc homo libertate ſuâ utitur, quia aliàs miſerabilior eſſet ejus conditio ac beſtiarum, ſi ipſe Locomotivam ſuam ſecundum aliquam legem exercere deberet. Sed nihilominus Princeps quandoque, *ſi conditio civitatis poſtulat*, legem ferre non prohibetur, per quam ſaltem aliqua ſpecies Locomotivæ reſtringatur, non tamen ut per eam corrigatur defectus aliquis ſubditorum ſuorum, ſed ut proſpiciatur alicui incommodo, quod exindè Reipublicæ ſuæ accidere potuiſſet.

24. Reſtant itaque actiones *morales*, circa quas præcipuè lex occupata eſt, ubi tamen princeps ſelectionem faciat: *An etiam conveniat ferre leges circa omnes actus morales.* Juxta hanc verò materiam ità procedere placet. Diſtingvo nimirum inter *Voluntatem Principis*, quâ vel admonentur ſaltem ſubditi per *ſententiam* aliquam, ut hoc vel iſtud intermittant ſinè pœnâ, vel quâ *fertur lex*, cui pœna vel arbitraria vel expreſſa ineſt. Sic itaque *pœna* differentiam facit inter *legem* & *ſententiam*. Quomodò verò hæc differentia à principe juſtè ſit obſervanda, videbimus in cauſis ſequentibus. Quæ autem cauſa ſit differentiæ, ſimul videbimus.

25. Scilicet cauſarum duas facio I. Dantur nimirum nonnulla vitia hominum, quæ ex pravâ câque communi mortalium diſpoſitione proveniunt, quæ etiam ita ſunt frequentia, ut partim deſtruerentur Civitates, ſi pœnis in iſta animadverteretur, partim verò princeps nihil aliud, niſi punire deberet infinitos homines. Horum verò vitiorum alii hæc

recen-

Digitized by Google

recenſent: *Avaritiam*, *ambitionem*, *inhumanitatem*, *ingratum animum*, *hypocriſin*, *invidiam*, *ſtudium aliis detrahendi*, *ſuperbiam*, *iracundiam*, *diſcordiam* & ſimilia. Hîc ſanè omnis cordatus homo videt, ejusmodi pravas corruptiones nunquam per pœnam aliquam coërceri poſſe, indè princeps, quia per legem aliquid efficere nequit, eas prohibet ſaltem per ſententiam, pœnam autem relinquit alicujus propriæ conſcientiæ. Quô pactô communiter apud nos tali ſententiæ affigitur clauſula: Das übrige ſchlieſſen wir dem ein/ was einen jeden ſein eigen gut Gewiſſen zu thun oder zu laſſen bereden wird. Dependet hinc deciſio quæſtionis: *An rectè feratur lex circa caſum aliquem, de quô Magiſtratus tamen ſcit, q[illegible] impoſſibile ſit, ut intermittatur.*

26. II. Inutile eſt, ut lex feratur, ad coërcendos actus internos, ſeu unô verbô, ad *reprimendas cogitationes*, nam ſi aliquis cogitat de peccatô aliquô vel deſideriô illicitô, non facit aliquid, quod beatitudini Civium & Sociorum adverſatur. Ideò potius princeps admoneat per *ſententiam* homines, ut pravas cogitationes fugiant, pœnâ iterum propriæ conſcientiæ relictâ. Quanquam & ratione circumſtantiarum ejusmodi cogitationes quandoque puniri poſſint.

27. Tertiam cauſam addunt nonnulli, nimirum *lapſus minutiſſimos*, ſed quos tamen ad cauſam primam commodè referre poteris.

28. Jam itaque ad *eſſentiale* legis accedamus, quod *Pœna* dicitur. Nam propter hanc determi-

nandam & infligendam præprimis Reſpublicæ ortæ ſunt. Quod autem poteſtatem infligendi concernit, non longè diſputandum eſt, *cui poteſtas pœnam infligendi & exigendi competat?* Nam quis negabit, illam non competere ei, qui poteſt legem ferre, *quia pœna ſinè lege non eſt.*

29. Indè oritur quæſtio: *An non par à pari pœnam ſumere poſſit?* Ubi in ſtatu Reipublicæ quæſtionem ſtatim nego, illud enim competit per dicta ſoli illi, qui legem ſancire poteſt, ſeu Principi. Sed in *ſtatu naturali* ſeu *æqualitatis*, habeo quidem in alterum *jus perfectum* ad cogendum eum, ut mihi ſatisfaciat, non tamen competit mihi jus pœnæ, & quicquid mihi datur, dicitur potius *Vis coactiva.* Indè eſt, quòd in Cap. [illegible] §. 24. dixerim, legum naturalium pœnam propriam eſſe *malam conſcientiam*, quia iſtæ pœnam non determinant, quam & æqualis æquali ſuo præſcribere nequit.

30. Ne verò *explicationem* ipſius *termini* prætermittamus, duplici modò pœnam agnoſcimus, vel enim *vulgariter* ſumitur, & tunc cum *Vindicta* etiam convenit, ſic & incendia, rapinæ & alia damna pœnæ ſunt. Sed è contrariò *Caſtigatio* non pœna vulgaris eſt, ſed conſilium & admonitio alterius, quanquam eandem Grotius ſimul pro pœnâ acceperit; & *propriè*, quatenus eſt hujus loci, & tunc dicitur eſſentiale legis.

31. Sed in pœnâ propriâ à *fine* incipiemus, quem ſi ex præcedentibus colligimus, ſeſe ille exerit I. *Intuitu legis.* Lex verò fertur, ut tranquillitas communis obſervetur, indè jam facilè eſt invenire finem,

qui

qui erit *ſecuritas omnium*, ut nimium coërceantur Cives in univerſum omnes, ut ſe invicem nec lædant nec damnô afficiant. II. Intuitu *illius*, qui contra legem peccavit, ut nimirum ille patiatur iſtud, quod pœna expreſſit, & ab aliis appellatur *Emendatio*, qualis ſpecies pœnarum iterum duplex eſt. Vel enim transgreſſor obligatus eſt, ad illi ſatisfaciendum, cui damnum dedit, qualis *ſatisfactio* fit partim propter tempus *præteritum*, & dicitur *Reparatio*, vel propter tempus *futurum*, & appellatur *asſecuratio*, vel denique obligatur *ad dolorem* propter delictum perferendum, quorſum ſpectat definitio Grotii Cap. I. §. 17. citata. Dolor verò vel *moraliter* infligitur, per infamiam, relegationem, vel pœnam pecuniariam, vel *phyſicè*, quæ fit in corpore. III. Intuitu ejus, *cui damnum vel dandum vel datum eſt*, ſi *datum*, ut ne tale quid in poſterum ab eô patiatur, ſi *dandum*, ut ſecurus ſit de periculô & damnô alterius imminente. Atque ita commodè pœnam cum Hobbeſiô definio, quod ſit *malum transgreſſori legis, autoritate publicâ infligendum, eô fine, ut terrore ejus voluntates Civium ad obedientiam legis conformentur.*

32. Sequitur altera poteſtas, quæ principi circa pœnam competit, quæ jam eſt pœnarum *determinatio*: Ubi circa tam infinita genera, atque infinitas circumſtantias, ſpeciales determinationes inculcari nequeunt, ſed hâc parte legislatori relictum eſt ſtatuere, quæ & quanta pœna irroganda ſit. Ut verò ſe legitimè habeat, ſibi pro lege ponit:

*Pœ-*

Digitized by Google

*Pœna ſecundum proportionem delicti determinanda eſt.* Indè probè obſervandum, ne vel ex unâ parte ſit gravior, vel ex alterâ levior, quam delictum poſtulat, nam utrôque modô legislator excedere poterit.

33. Ad cognoſcendam verò qualitatem & quantitatem delicti Doctores varia poſuere indicia, quæ ordine recenſebimus. I. Primum eſt, *quod delictum æſtimandum ſit ex objectô*, & quô nobilius & pretioſius objectum actionis ſit, eô gravior etiam eſſe debeat pœna, huc ſpectant Crimina, quæ fiunt in contumeliam DEI vel Principis. II. *Quòd irrogandum ſit ex affectu, quô quis impulſus fuit*, ſeu quòd cauſæ expendi debeant, quæ delinquentem impulerunt, ſic qui furtum fecit, ut egeſtati ſuæ ſubveniret, aliquô modô excuſandus eſt. III. *Quòd delictum judicandum ſit ex intentione*, an nimirum plena proæreſis adſit, an verò ſaltem ex culpâ vel forte fortunâ aliquid commiſſum ſit, quô ultimô caſu nonnunquam planè nulla pœna irroganda eſt. IV. *Quòd ſit ſimul conſideranda habitudo perſonæ* vel ratione ætatis, vel ſexus, vel ſtatus, vel dignitatis. V. *Addo, quòd pœnæ ſimul irrogandæ præcipuè ſint, prout utilitas Reipublicæ poſtulat, ad malitiam hominum imminentem reprimendam;* Itaque quanquam interdum primô intuitu pœna delicto alicui nonnullis parum adæquata videatur, optimè tamen, ſi rem ſecundùm principia pœnæ contemplamur, graviter inſtituta eſt, quandò nimirum aliter utilitas Civium conſervari nequit. Spectat

ctat huc deciſio quæſtionis: *an fur cum laqueô ſit puniendus?*

34. Ex his venit tandem officium legislatoris, ſcilicet, ut iſtud exequatur, quod per pœnam determinavit, nam ſi hoc negligeret, debito ſuo nunquam ſatisfacere poſſet, ſic itaque duæ leges oriuntur. *Puni delinquentes. Puni actus emendabiles.*

35. Sed relicta tamen eſt principi quandoque libertas, *ignoſcendi*, ſeu aliquem à pœnâ meritâ abſolvendi, cui verò libertati nulli termini poſiti ſunt, verùm toties id facere poteſt, quoties ipſi videtur. Interim ſi unicam ſaltem exceptionem addere licet, videat nimirum, *an* vel *directè* vel *indirectè ex tali remiſſione Reſpublica damnô ſit afficienda.*

36. Cæterum, quia in Rebuspublicis dividuis Princeps ubivis præſens eſſe nequit, opus eſt, ut digna ſubjecta ipſe eligat, quæ vice ejus fungi, & juſtitiam adminiſtrare poſſunt, quæque poſteà characterem ſortiuntur Magiſtratus. Iſta autem Magiſtratus conſtituendi poteſtas dependet adeò ex Regali ſpeciali circa adminiſtrandam juſtitiam Reipublicæ. Illi deindè habent jus à principe delegatum, ad puniendos eos, qui legi non obtemperant.

37. Adhuc duæ reſtant quæſtiones, quarum prima eſt: *An detur pœna injuſta?* quam ego duntaxat in hôc actu invenio, quandò *pœna ſuperat* delictum ex §. 33. Altera eſt: *an quis ſeipſum vindicare poſſit?* Quod *in civitate* nego, ibi enim cognitus eſt locus judicii, à quô mihi reparatio procu-

ratur,

ratur, ſed *extra Civitatem* & inter æquales concedo, quia ſic nullum mihi aliud medium relictum eſt, quàm vis mea propria coactiva, per quam me vindicare, vel alterum ad ſatisfaciendum cogere poſſum.

38. Interim non debeo præterire egregium inſtitutum, quod ad decidendas alias quæſtiones circa irrogationem pœnarum proponitur, quandò nimirum *aliqui argumentantur ab officiô boni medici ad officium boni legislatoris*, quam argumentationem non ſaltem in pœnis, ſed & in omnibus legibus condendis obtinere poſſe arbitror.

39. Venimus ad Regale alterum, quod Principi in conſideratione *defenſionis* & *offenſionis* competit, cujus communiter has ſpecies faciunt, *jus belli, pacis, fœderum* atque *legatorum*, quibus & nos inhærebimus. Interim, ſi jus evolvimus, quô princeps circa hoc regale utitur, continebitur iſtis duabus legibus: *Princeps adverſus invaſiones exterorum vires paret?* Sic enim, tanquam bonus paterfamilias ſemper, licèt nulla adhuc offenſio ſit metuenda, paratus eſſe debet, ad vim imminentem adhibitâ vi repellendam. Imò quandoque offenſio juſtè ſuſcipienda eſt. Nam ponamus Principem eſſe læſum, tunc ipſi erit magis proficuum bellum, ſi ſtatim, quô læſus eſt, ſeſe vindicat, quàm ſi de novô milites colligere, tormenta parare, vel pecunias procurare vellet, ita enim tempus alteri, ad adſtruendam defenſionem relictum eſſet.

40. Al-

Digitized by Google

40. Altera eſt: *Princeps, ſi commodum eſt Reipublicæ, juſtam ſuſcipiat vel defenſionem vel offenſionem.* Atque ſic non amplius eſt dubium, quin juſta ſit actio, ſi bellum ad ſalutem Reipublicæ conſervandam & obtinendam ſuſcipitur. Sed hoc tamen addiſcendum & Principi ſimul, ut tunc demum talia media violenta adhibeat, quandò *commodum* eſt. Nam aliàs potius omnibus modis nitendum, ut bellum vel amicabilibus colloquiis præveniat, vel ad minimum iſtud per inducias ad commodius tempus protrahat. Poſteà, ſi jam offenſio vel defenſio inchoanda eſt, ſecum volvat princeps, an *juſta* ſimul ſit vindicta? & an juſtus prætextus ejus allegari poſſit? ne bellum evadat injuſtum. Ipſam verò juſtitiam belli quàm optimè colligit, quandò per id impletur finis & intereſſe Reipublicæ, tanquam lex ſuprema principis, de quô Cap. 28. §. 5.

41. Ut verò bellum poſſit cum fructuoſo ſucceſſu geri, cogitandum præcipuè eſt de *mediis* illis, quibus geritur. Illa autem poſtulanda ſunt à ſubditis, & quòd id juſtè princeps faciat, probatur hâc lege: *Princeps obliget cives ſuos ad bellum juſtum.* Media itaque comparantur ex milite, & ex rebus ad bellum gerendum ſufficientibus. Sed tam miles quàm res illæ, per pecuniam facilè comparantur. Sic itaque imponere poteſt majeſtas vectigalia & alia onera ad bellum ſuſtinendum, ſic poteſt cogere cives, ut in militiam eant.

42. Quia

Digitized by Google

42. Quia autem pax ſemper præferenda eſt bello, ita hæc lex eſſe poterit: *Princeps honeſtis mediis bellum præveniat.* Sic ſi alia poteſtas læſa, ſtruit offenſionem, tunc ſatisfactio debita offerenda eſt, priusquam defenſio monſtratur. Ita v. g. ſi læſa eſt aliqua Civitas à Cive noſtrô, conveniens eſt, ut ille tradatur. Fluit indè quæſtio: *An Princeps Civem dedere poſſit?* Hæc quidem eſt *deditio paſſiva*, & ſupponit antè omnia deditum *nocentem* vel *innocentem.* Si civis poſtulatur *innocens*, tunc injuſtè Civitas illum dedit, quandò ſufficiens eſt, vim propterea imminentem forti manu repellere, nam tali homini, quandò Civis factus eſt, promittitur protectio, & per conſequentiam etiam defenſio. Quandò verò, ſi denegat Civem, ipſa ſimul cum reliquis omnibus peribit, melius eſt, ſi è Civitate mittatur, ut, quantum poteſt, ſibi fugâ conſulat, non tamen neceſſe eſt, ut tradatur in manus Tyranni. Quandò autem Civis eſt *nocens*, tunc obtinet id, quod dixit Grotius: *per eam intelligi actum, quô civitas, ſub quâ degit is, qui culpæ in extraneum reus eſt, permittit illum arbitrio læſi interpellantis*, cujus tamen verba infra Cap. ſeq. §.33. fuſius expendemus.

43. Seqvuntur jura *Conventionum* & *Legatorum*, quæ, quin ſigna Majeſtatis ſint, nunquam in dubium vocatum eſt. Quà ratione potius hîc ſubſiſtimus. De moralibus verò circa Conventiones & Legatos, vide infrà duo capita ſpecialia.

44. Hæc

44. Hæc itaque, quæ diximus, ſigna ſunt Principis *naturalia* & præſumuntur in illô omnia conjunctim reſidere, niſi in formâ limitatâ ipſi aliquid detractum fuerit. Antequam verò ad ſpecialia progredior, ad quæſtionem erit reſpondendum: *Quomodò ejusmodi pacta fundamentalia interpretanda ſint?* Ubi ea repeto quæ Cap. 16. §. 20. diſſerui. Tales leges certè ſunt pacta publica, & ideò ex lege aliquâ humanâ exponi nequeunt. Quandò itaque obſcuritas accidit circa verba, tunc ea, quæ de Interpretatione declarativâ ibi dicta ſunt, adhuc ſufficiant. Quandò verò ſcrupulus adeſt circa genus *extenſivum* vel *reſtrictivum*, tunc quidem regulæ nonnullæ valent, quæ tamen, niſi & fundamentum aliud accedat, exiguum habebunt robur ad obligandum. Ergò ad talia genera interpretationis demonſtranda opus eſt jure naturæ ſeu legibus illis, quæ in officiis quorumlibet erga quoslibet propoſitæ ſunt, ſecundùm quas talis interpretatio inſtituenda erit. Itaque duas formo regulas: *In interpretandis legibus fundamentalibus caſus obveniens ita extendendus vel reſtringendus eſt, ne jura naturalia lædantur.* Altera eſt: *In Interpretandis legibus fundamentalibus caſus obveniens ita reſtringendus vel extendendus eſt, ne jura partium ſpecialia lædantur.* Iſtæ partes vel Imperantes ſunt vel parentes. Utræque verò ſpecialia habent jura naturalia, quæ ex dictis hujus capitis & dicendis Cap. ſeq. conſtant, juxta quæ ita interpretatio facienda eſt, ne aliqua pars juxta regulam primam lædatur.

45. Ex his ſtatim oritur lex: *Princeps ſe temperet ſecundùm leges fundamentales.* Nam ſi illas ſpernere vellet, poteſtate ſuâ abuteretur.

46. Ut verò brevibus ſaltem ſciamus, quomodò hoc temperamentum juſtè inſtituendum ſit, reaſſumamus ſpecies reliquas *formarum* ſuprà poſitas. In Republicâ autem *limitatâ regulari* princeps circa actum aliquem reſtrictum *conſulat anteà collegium vel ordines*, quibus à populô poteſtas interpretandi leges fundamentales commiſſa eſt, & ſi in concludendô ipſi cum illô diſſentiunt, ſuum proprium deciſum juſtè exequi nequit. Nam propter hunc finem regalia nonnulla ipſi ſunt reſtricta, ne ſecundùm proprium judicium actiones & effectus indè fluentes exequi poſſit. Ipſum verò Collegium etiam ita ſe temperet, partim ne ex unô latere Principi plura concedantur quàm juſtè poſtulare poteſt, partim ex alterô, ne ipſi id denegent, ad quod concedendum obligati ſunt, quodque, ut efficiatur, neceſſitas atque utilitas Reipublicæ poſtulat.

47. Sed in *formâ mixtâ*, ubi penes *principem & Collegium poteſtas abſoluta reſidet*, in contradictione, Princeps ſententiâ ſuâ controverſiam componat, quia ille præſumitur, non tantùm naturam Reipublicæ quàm optimè ſcire, ſed & in eô ſimul eſſe, ut utilitas ejus procuretur. Quandò verò pacta expreſſa circa vota conferenda contrarium ſvadent, tunc ea derogant diſpoſitioni æquitatis. Eadem fermè

Digitized by Google

mè obtinent in *formâ mixtâ limitatâ*, niſi quid per peculiares ordinationes reſtrictum ſit, ubi in ſpecie, ſi officia ſunt diviſa, obtinet, ne una pars alteri interloquatur. Sed in *ſyſtematibus fœderatorum* ante omnia commodus locus eligendus eſt, in quô proceres conveniant, & ex æquô & bonô ſecundùm pacta ſuas actiones temperent, quandò verò in votis contrarietas appareat, obligata eſt pars minor ut cedat majori, juxta regulam: *Majora concludunt.*

48. Sed quid, *ſi in formâ abſolutâ in ſtatu polyarchicô ipſi imperantes diſſentiunt?* Tunc, ſi tres ſunt, concludunt duo, ſi duo tantùm ſunt, concludit ille, qui Reipublicæ prior præfuit quàm alter, & ſi æquales hâc parte ſunt, concludat major, vel denique rem ſorte dirimant.

49. Reſtat adhuc unicum diſcutere, ſcilicet, ex Regali communi fluit jus principis circa ſacra, quæritur itaque: *Quomodò princeps ſe rectè habeat circa religionem?* Sed in reſolutione hujus quæſtionis repetimus ea, quæ diximus ab initiô in Cap. de Religione naturali. Nimirum diſtingvimus adhuc inter Religionem *naturalem* & *revelatam*. Quod enim *naturalem* concernit, obligatur ſanè ipſe Princeps ex dictô capite, ut tam ipſe, quàm ſubditi ſui eam religionem profiteantur, quapropter etiam obſtrictus eſt, ut præcipiat ſimul, Religionem iſtam in ſtatu ſuô eſſe obſervandam. Neceſſarium quippe eſt, ut illa cum utilitate Reipublicæ, quæcunque modò ſit, conveniat.

50. Sed quid dicendum erit circa Religionem *revelatam?* Turcæ enim prætendunt revelationem,

& imò diverſas revelationes gentiles, indè neceſſariò ſequitur, quòd revelatio vel *vera* vel *falſa* ſit. Nunc verò examinemus regulam, *quæcunq; Religio revelata congruit utilitati Reipublicæ, illa eſt introducenda*, quid in receſſu habeat. Hîc ſanè noſtra Chriſtianorum religio, tanquam Unice-vera revelata, ita comparata eſt, ut cum utilitate omnis Reipublicæ conveniat. Sed & falſæ revelationes utilitati congruere poſſunt, indè ex hâc regulâ nihil determinare poſſumus. Neque etiam ſequitur: *Illa eſt revelatio vera, quæ utilitati congruit*, quia ſic & falſæ revelationes evaderent veræ.

51. Quô pactô melius eſt, ut regulas mittamus, imò & melius eſt, ut intermittamus, ex ſolâ ratione probare velle, quæ revelatio vel vera vel falſa ſit. Noſtri Theologi meliora ſciunt argumenta, quibus falſæ revelationi addictum convincere poſſunt. Imò noſtra vera revelatio cum utilitate omnium Rerumpublicarum, quotquot illam profitentur, convenit, licèt illæ inter ſe variô modô juxta utilitatem varient. Malo itaque quæſtiones huc ſpectantes reſervare ad jus divinum poſitivum, ubi alios ſortiemur fontes ad quæſtiones iſtas decidendas.

CAP.

Digitized by Google

# Cap. XXVI.

## *De Officiis & juribus Parentium.*

1.

SEquitur jam ut etiam ex alterâ parte jura & officia viventium in Republicâ rimemur, illam verò conſtituunt *parentes*, de his, ſi quid tradere volumus, anteà de methodô ſoliciti eſſe debemus, illa autem ea ipſa erit, qualis fuit in cap. præced. ſicuti enim contraria juxta ſe poſita magis notificantur, ita inſtitutum præſens quàm optimè tali modô erit inchoandum.

2. Sed ab evolutione terminorum incipiemus, quorum tres præcipuè nobis occurrunt, *Parentes*, *Subditi* atque *Cives*. Quandò itaque hæc tria vocabula Synonymicè uſurpantur, denotant *perſonam, quæ vivit in Republicâ ſub imperiô.* Et ita diſtingvitur à perſonâ eâ vel eis, quæ habent imperium. Huc ſpectat alia diviſio in perſonas *publicas* & *privatas*. Nam perſona publica illa eſt, quæ habet imperium, privata eſt, quæ imperio eſt ſubjecta. Sed inter gentes referuntur & legati inter perſonas publicas, quod infrà videbimus.

3. Quandò verò vocabula ſeorſim conſideramus, tunc *Parentes* omnes ſunt, qui nunc vivunt ſub imperio, licèt illi ſimul peregrini, & regulariter alterius imperio ſubjecti ſint. Sed *ſubditi* ſunt omnes, qui in Republicâ regulariter degunt, numeratis ſimul *inquilinis* atque *incolis*, & inter quos re-

fero ſimul fœminas, pueros, ſervos, & id genus hominum. *Cives* verò ſunt illi, *quorum pactis Reſpublica ab initiô coaluit*, vel, *qui in horum locum ſucceſſerunt*, & tales ſunt præcipuè patres familias.

4. Uſus hujus diſtinctionis eſt, quòd *Parentes* & *Subditi*, ſtrictè ſic dicti, illud obſervare debeant, quod officium Civium propriè dictorum eſt, ſed quòd non participent de juribus illis, quæ Civibus ſtrictè ſic dictis competunt.

5. Civis autem quis fit, dicunt alii, vel per pactum *expreſſum* vel per *tacitum*. Sed de *expreſsô* quidem nullum dubium reſtat, reſtat tamen circa pactum *tacitum*. Hoc verò, dicunt, tali modô accidit, quandò ſub initium quis conſentit quidem expreſsè in imperium, ita tamen, ut ſinè novâ obligatione obedire vellet etiam ſucceſſoribus, ſed hoc ego appello ſimul pactum expreſſum, nam illi talis clauſula poterit inſeri, quæ ſi inſerta eſt, poſteà non facit pactum tacitum. Hoc tamen non nego, ortis Rebuspublicis, aliquem conſenſiſſe in imperium ejus, qui à majori parte eligendus erat, quá ratione in præcedentibus tam pacti taciti quàm expreſſi mentionem feci. Sed & iſtud pactum regulariter aliud expreſſum ſupponebat de votis majoribus, confer Cap. 22. §. 20. Indè ego potius iterum applicarem diſtinctionem jam dictam, ſcilicet, *Civis* ſtrictè ſic dictus fit tantùm per pactum expreſſum, cui ineſſe ſolet *Homagium*. Sed *parens* & *ſubditus* fiunt per ſolum pactum *tacitum*, quòd nimirum legibus obtemperare, non verò de eô participare velint, quod jus Civium ſit.

6. Sic

Digitized by Google

6. Sic oritur quæſtio: *An quis poſſit fieri ſubditus vel parens, expreſsè ſibi reſervatâ libertate, ſe non obtemperare velle legibus atq; ſtatutis Reipublicæ?* Quam nos negamus, nam iſte intendit pactum expreſſum cum principe, quod tamen ipſi negatum eſt, & licèt hoc ſibi reſervaſſet, non obſtrictus eſt princeps, ut illum immunem reddat, ſi quid peccavit contra leges, nam poteſtatiô factô contraria nihil operatur. Sed quid, *ſi Civis novus hoc prætenderet?* Tunc princeps iſtam immunitatem juſtè concedere nequit, quia ſic peccaret in officium, quod ad juſtitiam obſervandam ipſi impoſitum eſt.

7. Quandò itaque quis Civis fit, pactum expreſſum præcedere debet, cui ex impoſitione principis regulariter ineſt *Homagium*, ſeu *juramentum ſubjectionis*, de quô nos plura diſſerere prohibemur, quia tam qualitas quàm quantitas dependet ab arbitriô ejus, cui illud fit, & ſecundùm eandem qualitatem & quantitatem Reipublicæ variat.

8. Accedamus autem ad jura & Officia Civium, quæ illis competunt intuitu Regalis communis ſeu Imperii, ubi tamen, ſicut in præcedenti capite, à juribus incipere non debemus, quia Cives, ut aliquoties diximus, multum contulerunt in principes, quod magnam inæqualitatem efficiebat, jam autem inferior erga ſuperiorem jus ſaltem prætendit, quod fluit ex officiô, & ſuperior erga inferiorem officium ſuum exercet, quod provenit ex jure ipſi competente.



Digitized by Google

9. Ad officium verò Civium demonſtrandum in genere lex eſt: *Imperanti eſt parendum.* Fluit hæc ex illis, quæ paſſim, præcipuè de Origine Reipublicæ, diſſeruimus. Nam cum placeret Reſpublica, placebat ſimul effectus ille, quem natura iſtius ſtatus ſecum portabat. Senſus itaque legis in genere eſt, ut Cives id, quod à principe vel præceptum vel prohibitum eſt, exequantur. Videlicet ut ex bonis ſuis tantum in illum conferat, quantum ab illis poſtulatur. Specialiter verò, ſi eorum officia exindè deducere volumus, præponenda eſt diſtinctio inter mandata principum *juſta* atque *injuſta.* Neque tamen longè quærere debes, undè hæc differentia ſit dignoſcenda. Nam illa eſt *Voluntas Principis juſta, per quam impleri intenditur finis Reipublicæ tam intuitu juſtitiæ, quàm intuitu defenſionis vel offenſionis.* Poſſumus & latius dicere, *quæ non pugnant cum legibus Juris Naturæ* ſuprà inculcatis. Nam neque finis Reipublicæ pugnare poterit cum illis, ita enim & aliam voluntatem juſtam regula complectitur.

10. Quandò itaque Princeps *juſta* imperat, tunc officium Civis eſt, id exequi, quod mandatur. Alii appellant hoc officium, *obligationem non reſiſtendi*, ubi faciendum vel omittendum ſit, quod injunctum. Si verò intermittitur aliquid, obligatus eſt Civis ad talem pœnam perferendam, quæ vel voluntati inerat, vel qualem princeps dictitabit ſecundùm proportionem damni, quod exindè Reſpublica vel ipſe ſentire potuerit.

11. In-

11. Indè reprimendi ſunt conqueſtus iſti, quos Cives, quaſi injuriâ affecti eſſent, concitant. Nam ſi factum aliquod principis ab ipſorum judiciô diſcrepat, ſtatim tanquam malè factum condemnatur. Indè verum manet, quod dicitur: *Jupiter neq; ſerenus neq; pluvius omnibus placet.* Sed quicquid hujus ſit, regula manet inconcuſſa: *Utilitas privata cedere debet utilitati publicæ.*

12. Sed videamus nunc, *quomodò injuſta voluntas principis ſeſe exerat?* breviter, ut diximus, *quæ cum legibus naturæ pugnat.* Potuiſſemus etiam dicere, quæ non convenit cum fine ſtatus, ſed latet tamen in his verbis cavillatoria explicatio, Princeps enim juſtum quid mandare poteſt, licèt non deduci queat, quod conveniat fini. Qualia ſunt *officia humanitatis* & jura reliqua imperfecta, quæ juſtè, imò, cæteris paribus, perfectè à ſubditis princeps poſtulat: adde §. 9.

13. *Quomodò verò talis injuſta voluntas cognoſcatur*, eleganter expoſuerunt alii. Dicunt enim, hôc modô eum violare vel officium *Principis* vel officium *hominis.* Quæ diſtinctio cum dictis noſtris de mandatis juſtis & injuſtis §. 9. & 12. quàm optimè reciprocatur. (Et quoad primum officium porrò dicunt, hoc vel *aliquos* vel *univerſos* ſimul reſpicere. Quæ tamen diſtinctio in ipſis concluſionibus exiguum vel nullum uſum habet.) Indè is officium *Principis* intermittit, quando non facit, quod totius Reipublicæ ſalus eſt, & ex quâ negligentiâ totus populus damnum ſentit. Item, quandò id, quod leges placitæ volunt, non efficit, tam ratione juſtitiæ

adminiſtrandæ, quàm ratione defenſionis. Contrà verò in Officium *hominis* peccat, quandò Civem non dignum facit eis legibus, quas in officiis quorumlibet erga quoslibet inculcavimus. Nam æque princeps ad illas obſervandas obſtrictus eſt, ac obſtricti ſunt Cives inter ſe.

14. Negat tamen hanc adſertionem Hobbeſius, quaſi Civi à Civitate injuria fieri non poſſit, illud verò probat exindè, quòd Principi cum cive nullum intercedat pactum, ſi verò nullum adſit pactum, nulla adeſſet injuria. Sed quoad prius Hobbeſio jam in antecedentibus aliquoties ſatisfecimus, quoad poſterius repete, quæ diximus Cap. 1. & 2. Ubi negavimus jus ex pactô deduci poſſe. Si hoc verum eſt, pro certô ſimul ſequitur, quod aliquem poſſim injuriâ afficere, licèt nunquam pactum mihi cum ipsô interceſſerit, confer enim Cap. 12.

15. Nunc itaque quæſtio oritur graviſſima, *an nimirum injuriis principis reſiſti poſſit?* Sed hîc diſtinctè procedemus, vel enim injuria *levis* eſt, vel *atrox*. *Levis* dicitur, quandò ſinè periculô vitæ & bonorum injuriâ affecti ſumus, hôc caſu ſanè ea principi non condonanda ſolùm, ſed &, ſi res aliter diſponi nequit, conſtanti animô ferenda eſt. *Atrocem* verò appellamus, ſi cum periculô vitæ noſtræ & bonorum noſtrorum lædimur. Antequam ea fit, cogitandum prius eſt, quomodò vel fugâ vel emigratione, vel denique aliis viis quis ſibi conſulat. Sed quid, *ſi & hoc obtineri nequit, nihilominus tamen periculum noſtrum intenditur?* Sanè hîc placet, meditationem apponere aliorum, concipere quip-

quippe non potuerunt viri ſummi, an poſſibile ſit: *Principem & hoſtem reperiri poſſe in unô individuô*, quia dubitarunt, eum ita cruentum eſſe poſſe, ut Cives ſuos innocentes immolare vellet. Indè ego ſentio ita, injuſtè facere Principem, ſi tale quid adverſus me periclitatur, an verò juſtè faciam, ſi me defendo, noſtrum non eſt definire, ſed potius vindictæ DEI res eſt committenda. Sic maneo adhuc in aſſertione, ſuprà Cap. IX. §. 23. poſitâ, ubi dixi, principi ex capite imperii ne quidem reſiſtendum eſſe, jam verò iſtud aſſertum ita explico, quòd mihi talis quidem reſiſtentia licita ſit, ex quâ nec mediatè nec immediatè præſumi poſſit, me ſimul intendere voluiſſe internecionem ejus v. g. ſic rectè gladium manu intercipio. Illa tamen defenſio adhuc ſit prohibita, ex quâ ad minimum colligendum, me cum ejus periculô defendere voluiſſe. Spectat enim huc commune dicterium: *Principes ſunt ſancti*, quod explicatur, quòd ſint *inviolabiles*.

16. Hanc quæſtionem excipit alia ejusdem farinæ: *An cives ſimul in Republicâ rationes poſſint poſtulare à Principe, & ſi illas dare nequit, an illum poſſint removere, vel planè è vitâ tollere.* Hîc, quod primum membrum attinet, Princeps officium ſuum oblitus, juſtè admonetur, ut emendet iſtud, quod intermiſſum eſt. Nam amica admonitio atque correctio nullum peccatum eſt, ſed actio laudabilis. Attamen ultima duo membra paulò præſtantiora ſunt, priusquam verò ad illa reſpondemus, aliquid adhuc præmittendum eſt.

17 Nimi-

Digitized by Google

17. Nimirum examinemus vulgarem diſtinctionem inter *Majeſtatem realem & perſonalem* ab aliis propoſitam, quæ omne auxilium dat dominis *Monarchomachis*. Cum enim ex Cap. præced. §. 19. orta eſſent principia Machiavelliſtica, oppoſuerunt ſeſe illis viri pariter eruditi & Semi-Docti, quorum ultimi, cum bonam cauſam defendere voluerint, in aliud extremum prolapſi ſunt, quaſi omni tempore princeps ad rationes civibus reddendas obligatus eſſet, confer enim Cap. 22. §. 26. Ad quam hypotheſin defendendam diſtinxerunt Majeſtatem in *realem* & *perſonalem*. Et *Perſonalem* appellarunt, quæ ſit apud Principem, *realem* verò, quæ ſit apud populum. Quam diviſionem alii ut abſurdam & pernitioſam rectè accuſarunt, in cauſam verò nos ipſi inquiremus.

18. Certè in formâ abſolutâ Reipublicæ impoſſibile eſt, ut talis diviſio procedat, quia profectò, ſi Sophiſticè diſputare volumus, pugnaret cum definitione talis Reipublicæ ſuprà traditâ. Quippè natura formæ abſolutæ talem bicipitem majeſtatem tolerare nequit. Si itaque admitteremus hanc diviſionem, tunc potiùs ſtatum limitatum ita prædicare poſſemus. Status autem limitatus & abſolutus ſunt contradictoria, quæ non poſſunt ſimul eſſe vera. Interim de effectu hujus diſtinctionis in ſtatu limitatô videbimus mox.

19. Sic ergò ad membrum ſecundum quæſtionis §. 16. ſcilicet, *an princeps deponi vel removeri poſſit?* commoda evadit reſponſio, quod gravè ſit probare, principem feciſſe aliquid, quod ſui officii non fuerit,

nam

nam ſemper in tali formâ abſolutâ adeſt præſumtio pro principe, quòd illud, quod geſtum eſt, optimè geſtum fuerit. Indè non poteſt non mihi placere ſententia Grotii, qui conſulit, ex indole Reipublicæ controverſiam decidendam eſſe. Si itaque eſt forma *abſoluta*, utpote de quâ jam loquimur, iterum cum Grotiô quærimus, annon populi unius injuriam libentius pati vellent in Republica, quàm omnium hominum extra eam. Itaque ex unô malô minus eſt eligendum, ita ut in formâ abſolutâ illud, ſi res aliter diſponi nequit, conſtanti animô à populô feratur.

20. Sed ab hâc injuriâ ſtatim eximo eam, ſi Tyrannus populum ſuum ſine occaſione hoſtiliter undique invadit, regiones deprædatur, & oppida deſtruit, tunc ſanè nullum aliud medium eſt, quàm ut, donec ita ſævit, honeſtè cuſtodiatur vel tandem planè removeatur, ſi beatitudo aliter conſervari nequit. Sed ejusmodi caſus fortè non dabitur.

21. Idem dicendum eſt quoad membrum tertium; ubi quærebatur, *an interfici poſſit?* Quod nos ex præcedentibus negamus, qualis enim ſcrupulus adfuit anteà, talis & adhuc major adeſt juxta hanc licentiam.

22. Reſtat adhuc una quæſtio: *An mandatum ſuperioris injuſtum exequi quis poſſit ſinè peccatô?* Hîc concurrunt duæ obligationes, una, quæ dependet immediatè ex legibus naturæ, altera, quæ debetur ſuperiori meo. Jàm ille contra conſcientiam facit, ſi obediverit, contra fidém principi datam, niſi obediverit. Benè, dicis, ſed obligatio erga DEum

um (qualis eſt, quæ fluit ex lege naturali) ſuperat obligationem verſus Principem. Verùm quam aſſertionem tu ipſe cum granô ſalis accipe. Arbitror enim, me in verbis Hobbeſii genuinam horum expoſitionem inveniſſe, qui ita diſſerit: *Peccatum meum eſt, quod faciens peccatum meum eſſe puto, quod verò peccatum alienum eſſe puto, poſſum quandoq; ſine peccatô meô facere. Nam ſi jubear facere, quod peccatum jubentis eſt, modò qui jubet, jure Dominus* (i. e. Princeps legitimus) *meus ſit, id, ſi facio, non pecco.*

23. Sequitur *Regale ſpeciale* imminens, ſeu quod intuitu *Juſtitiæ* obtinet. Circa hoc Civis officium continetur duabus legibus, quarum prima: *Legibus obtempera*, fluit enim hæc ex lege ſuprà poſitâ: imperanti eſt parendum; altera eſt: *Perfer pœnam meritam.* Cujus adeò ſenſus eſt, partim, ne quis reſiſtat voluntati legislatoris, ſi ex lege illum obligat 1. ad reparationem, 2. vel ad aſſecurationem vel 3. ad dolorem patiendum, adde Cap. præced. §. 31. partim ne fugâ ſibi conſulat, ſi quid, quod pœnam meretur, commiſſum eſt. Spectat huc facilis deciſio quæſtionum: *An crimen negare poſſit reus? & quid liceat advocato pro reô?*

24. Quod alterum Regale concernit, lex erit: *Cives id ex ſuis contribuant, quod ad juſtam defenſionem vel offenſio-*



Digitized by Google

*ſionem ſufficit*, nam ſi hoc detrectarent, facilè ſalus Reipublicæ à vi imminente alterâ læderetur. Reliqua quæ huc ſpectant, præterimus, quia exiguô negotiô ex præcedentibus colligi poſſunt.

25. Huc pertinet quæſtio, *an juſſu Principis rectè quis militet in bellô injuſtô?* Quam eôdem modô tollimus, ac factum eſt in §. 22. Ubi iterum verba Hobbeſii allegare placet, qui ita l. c. pergit: *non enim, ſi militavero juſſu Civitatis, putans bellum injuſtè ſuſceptum eſſe, idcircò injuſtè fecero, ſed potiùs ſi militare recuſavero, cognitionem juſti vel injuſti, quæ pertinet ad civitatem, mihi arrogans.* Si itaque hæc verba cum iis ex d. §. 22. confers, ſine dubiô elegantiſſimum Hobbeſii ingenium ſimul noſcere neceſſe erit.

26. Hæc ita in genere de officiis Civium dicta ſufficiant, ſequitur ut ſpeciatim duobus quaſi verbis animadvertamus illas obligationes, quæ certæ parti Civium competunt, quod accidit apud illos, qui ad *functionem* aliquam regiminis publici adſciſcuntur, quos jam aliquoties *magiſtratus* appellavimus, quorum officium in genere hâc lege includitur. *Magiſtratus ſeſe temperent in functionibus ſuis ſecundùm id, quod ipſis demandatum eſt.* Indè probè videndum eſt, ne peccetur partim in exceſſu vel defectu partim, ſed quòd ita potius actiones dirigantur, ut ne aliquis, qui ipſorum auxilium juſtô modô implorat, damnô adficiatur.

27. Ta-

27. Talibus verò Magiſtratibus in cauſis dicendis, imò indiſtinctè in omnibus exercitiis functionum ſuarum debita præſtanda eſt à reliquis Civibus obſervantia atque obedientia, & ſi fortè occaſio fert, ut apud illos comparere & eorum pronunciata audire debeant, quòd iisdem ſeſe accommodare velint, quaſi ab ipsô Principe mandata fuerint.

28. Succedunt etiam *collegia* & Societates aliæ, quas omnes alii eleganter *corpora ſubordinata* appellant, ubi quidem nullam novam legem inculcare debemus, quàm quæ Civibus indiſtinctè competit, niſi quòd ſpecialiter in controverſiis in ejusmodi collegiis provenientibus ſeſe habeant juxta ſtatuta à Principe illis vel præſcripta vel conceſſa.

29. Reſtat nunc ut paucis etiam diſpiciamus, quot modis quis *deſinat Civis eſſe*, ubi talem modum, quandò princeps moritur, anteà jam improbavimus, quia in Capite de affectionibus Reipublicæ monſtravimus, Rempublicam hôc modô nequaquam dilabi. Si itaque illa Reſpublica eſſe non deſinit, neque deſinunt illi Cives eſſe. Interim reliquos modos diſpeſcimus in *voluntarios & coactos.*

30. Ad modum *voluntarium* refero *migrationem,* quæ accidit, ſi Reſpublica una ſpontè relinquitur, illa verò fit partim, quandò *unum* vel *certa individua* Rempublicam deſerunt, partim, quandò *gregatim* egrediuntur. Quod priorem migrationem concernit, juſtitia ejus obſervatur præcipuè ex modô & legibus, quô aliquis in Civitatem eſt receptus. Si itaque migrare licet, anteà intentio magiſtratui erit notificanda, quia illius intereſt, noſſe numerum Civi-

Civium ſuorum. Item, indicet migraturus id illis, qui aliquod jus perfectum ab ipsô prætendere adhuc poſſunt, nam aliàs talis diſceſſus fuga potius eſſet, quâ mali debitores utuntur. *Gregatim* verò juſtè egrediuntur populi è Civitate, ſi ſalvis ſimul prioribus rationibus partim hoc non fit in *fraudem* & injuriam Principis, nam ſic obligationi non ſatisfacerent, quàm ipſi promiſerunt; partim ut demonſtrari poſſit, in Civitate operis ſuis nihil ſibi procurare poſſe, quô pactô per ſe æquius eſt, ut propter hanc mendicitatem Reſpublica ipſa ſibi proſpiciat. Hôc itaque modô cum aliis exiſtimo ſedem fortunarum à multis ſimul alibi quæri poſſe, ubi lautiùs æque ac commodiùs vivere poſſint.

31. At *violentô modô* aliquis Civis eſſe deſinit imprimis duobus modis, videlicet per *exilium* & per *deditionem*.

32. *Exilium* fit, quandò Civis è Civitate ob factum aliquod lege prohibitum ejicitur, qui modus pœna eſt, & jam ſuprà Cap. præced. §. 31. inter dolores morales relatus. Indè ex officiô §. 23. inculcatô, obligatus eſt, ut invitus etiam Civitatem deſerat, ſeque in ſuô exiliô ita temperet, ut ne animum habeat redeundi, niſi ad tempus ſaltem relegatus ſit, ſpectat huc differentia exilii *temporarii* vel *perpetui*.

33. Circa *deditionem* iterum hic obtinet *paſſiva* ſaltem, de quâ vid. Cap. præced. §. 42. Sed occaſione hujus vocis non poſſumus facere cum Grotiô, qui illam ex d. l. appellat *actum, quô Civitas, ſub quâ deget is, qui culpæ in extraneum reus eſt, permittit illum arbitrio læſi interpellantis*, quæ tamen expoſi-

tio termini nobis neque evidens, neque adæquat[a] eſt, quapropter melius erit, ſi dicemus, eſſe *actum, quô civitas jus, quod in ſuum Civem exercet, tradendo illum civem, etiam invitum offert alteri Civitati.* Iſta itaque deditio peragitur vel ex *delictô* Civis, vel ex *contractu* ejus. Ex *delictô* fit, ſi aliquid commiſit in Rempublicam alteram, propter quod juſtè is per bellum peti poteſt; Ex *contractu*, ſi civis injuſſu Principis ſui contraxit cum alterô pactum intuitu Reipublicæ, quod tamen non approbatur, tunc ad præſtandum intereſſe, alteri dandus eſt, quorſum refertur communiter deditio ſponſorum ex Cap. 29. §. 37.

34. Atque ſic facilis erit Reſponſio ad quæſtionem: *An Civis è Republicâ expelli poſſit?* Quam ex præcedentibus etiam affirmamus, ſi enim Civi relinquitur pro lubitu migrare è locô, cur hoc non ſimul licebit Civitati, præprimis, ſi princeps juſtas ſimul rationes prætendere poterit.

35. Hæc ſufficiant de officiis & juribus, quæ regulariter de Civibus præſumuntur, jam ad ſtatum *limitatum* accedendum eſt, ubi non nova aliqua dicenda ſunt, ſed hîc ſemper *Cives ſeſe temperent in juribus ſuis, ſecundùm leges fundamentales legitimè præſcriptas.* Ut verò hâc parte nulli parti fiat injuria ex § 44. Cap. præced. pacta illa fundamentalia ritè interpretanda ſunt. Interim hæc ipſa nobis occaſionem dant, ut *apertè* profiteamur, multa quandoque

doque in talibus formis licita eſſe, ita ut etiam ſuos principes juſtô modô ad leges eas obſervandas obligare poſſint. Nam in tali formâ rectè populus in conſideratione Principis ſui pro unâ ſtat perſonâ, imò obtinere jam poterit, cæteris paribus, diſtinctio inter Majeſtatem *realem & perſonalem*; de quâ ſuprà.

36. Obtinent adhuc inſuper in Republicâ limitatâ, cui addere debes Reſpublicas mixtas & ſyſtemata, duo jura Civium egregia, quæ ex legibus fundamentalibus vel expreſsè vel per conſequentiam bonæ interpretationis eliciuntur, & ſunt jus *pactorum publicorum & jus belli*.

37. Quoad *pacta publica* repete, quæ diximus Cap. 15. §. 35. ubi talis regula erat propoſita: *Omnes perſonæ publicæ poſſunt condere pacta publica, non verò omnes perſonæ privatæ.* Quæ adhuc ſubſiſtit, limitatur tamen in ejusmodi ſtatibus limitatis, quibus addo ſimul Reſpublicas mixtas & ſyſtemata fœderatorum, nam poteſt quandoque accidere hôc modô præter ſupremum imperantem, in Republica adhuc alias perſonas publicas eſſe, quibus tunc ſemper pacta talia, etiam ad obligandum imperantes, ſi promiſſis non ſtant, pangere licitum eſt.

38. Quoad *jus belli* eadem ratio obtinet, & ſtatus hoc juſtè ſuſcipiunt, ſi illis datur ad iſtud occaſio, imò contra ipſum Principem, ſi ſecundùm normam præſcriptam ſe non gerit, inchoatur, tentatis tamen primò mollibus mediis. Interim de iſto bello confer Grotium in Capite de bellô ſubditorum in ſuperiores.

# Cap. XXVII.

## *De jure Gentium in Pace.*

I.

SEquitur, ut inveſtigemus tandem effectum illum, quem pluralitas Rerumpublicarum generavit, quemque appellavimus ſuprà *Societatem gentium*, ubi reſponſio ad quæſtionem, *an talis ſimul ſperanda fuiſſet, ſi una manſiſſet Reſpublica?* ex Cap. 21. §. 13. evadit facillima, ſi enim una manſiſſet Reſpublica, tunc de Societate gentium ne quidem diſputaſſent populi, nam certè, illi nos deriſiſſent, ſi ſcire potuiſſent, fore populos, qui de rebus nihili & ſolis notionibus ſeipſos planè devoraverint.

2. Quia verò nunc harum gentium plures ſunt, ſimul ſequitur, ut *in naturam* hujus ſocietatis inquiramus, ubi occaſionem dabunt dicta in Cap. 6. §. 35. 36. Quæritur itaque: *an rectè poſſit appellari Societas?* Nos debitô modô affirmamus, proponamus anteà definitionem Societatis, quæ ita erat; quod ſit *unio duorum vel plurium hominum ad certum finem & utilitatem.* Hic verò anteà quærendi ſunt illi homines, nam Reſpublicæ per ſe talem Societatem efficere nequeunt. Sed qui illi ſint? reperti ſunt ſtatim in principe, qui perſonam Reipublicæ ſuæ repræſentat, ideò non malè à nonnullis Reſpublica definitur, quod ſit *perſona moralis compoſita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem*

*tem communem uti poſſit.* Sic itaque Principes vivunt inter ſe tanquam Socii, finem verò habent duplicem, ab unâ videlicet parte, ut *tranquillitas communis* obſervetur, ab alterâ verò ut una *ab aliâ, pro re aliquâ, acciperet*, quod neceſſarium videtur, quos duos fines Principes & conſervare & procurare poterunt.

3. Si itaque de fine conſtat, ſequeretur etiam ut de juribus & officiis horum Sociorum diſpiciamus, ſed antequàm hoc facimus, pugnare debemus, ex quali fonte illæ duæ ſpecies ſint deſumendæ, ubi repetemus ea, quæ de jure gentium ſuprà Cap. 7. §. 16. breviter diſſeruimus, jam enim tempus eſt, ut iſtum §. paulò latius explicemus.

4. Scilicet negavimus ibidem I. Jus gentium eſſe ſpeciem *juris humani*, nam jura humana ſupponunt legislatorem hominem, legislator debet eſſe ſuperior, gentes verò (ſub quô vocabulô ſemper perſonam §. 2. deſcriptam intelligimus) ſunt æquales, & nullum hominem habent ſuperiorem, qui illis leges præſcripſiſſet. Ita provocas ad *jus* aliquod *voluntarium*, quaſi nimirum gentes inter ſe aliquod pactum condidiſſent. Ego verò quæro: *Ubi eſt iſtud pactum, cum gentes adhuc non de tali convenerunt?* Dicis, pactum inierunt ſaltem tacitum, & tanquam normam actionibus ſuis præſcripſerunt. Ego porrò. *Pactum ſine lege non obligat*, nam nulla eſt obligatio, ubi nullus eſt ſuperior. II. Negavimus eſſe ſpeciem *inter jus humanum & divinum*, nam ſi per ſe non jus humanum eſt, poterit nec partem ſaltem juris humani habere. III. Negavi-

mus etiam, eſſe peculiare *jus divinum*, quia ultra jus Naturæ & poſitivum ſpecies tertia non datur, vel quia inter jus Naturæ & gentium nulla eſt differentia. Sed dicis, hoc erit probandum.

5. Imo ego id probavi d. l. in verbis: *illud jus naturæ ex unâ lege fundamentali non tantùm privatos, ſed & Principes inter ſe, ad juſta facienda obligabit.*

6. Quandò verò illis Sociis leges naturales præſcribendæ ſunt, quæritur anteà, quomodò hîc res commodè incipienda ſit, ubi præprimis duo facienda ſunt tempora, videlicet *tempus pacis & tempus belli*, hæc enim duo diſtincta genera, in quorum unô ſemper neceſſariò vivere debent gentes, ita ſunt diverſa, ut absque injuriâ tempus pacis *ſtatum ordinarium*, tempus belli verò ſtatum *extraordinarium* appellare debeamus.

7. Quod itaque tempora *pacis* concernit, obtinent adhuc in Societate gentium illæ leges, quas in officiis generalibus quorumlibet inculcavimus. Indè, quia jam res acta eſt, non opus habemus, ut ſingulas leges iterum repetamus. Sed ſufficiat iſta ſaltem: *Gentes inter ſe vivant ut boni ſocii.* Qui autem boni Socii ſint, jam expoſitum eſt Cap. 7. §. 22. nimirum ille ſic dicitur, qui vivit ſecundùm leges ſocialitatis.

8. Itaque ſi caſus aliquis obvenit inter gentes, qui ad tempora pacis applicari poterit, evolvendum erit caput illud ex præcedentibus, ad quod caſus iſte referendus eſt.

9. In

9. In univerſum autem *jus* & *obligatio* gentium vel *perfectè* vel *imperfectè* ſeſe exerunt. Jus gentium *perfectum* eſt, quod unus princeps poſtulat perfectè ab alterô, quale v. g. eſt, quod oritur ex pactô, & è contra *obligatio perfecta* eſt, quâ princeps alteri, qui prætendit in ipſum jus perfectum, perfectè obligatur. Jus *imperfectum* dicitur, quod imperfectè poſtulat unus princeps ab alterô, & *obligatio imperfecta*, quando Princeps jus imperfectum, quod à Principe poſtulatur, recuſare poteſt, confer Cap. ſeq. §. 6.

10. Hîc ſanè, quoad jus & obligationem perfectam, nullum reſtat dubium, quin illa gens, quæ jus perfectum habet, alteram ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ cogere poſſit, adde iterum Cap. 28. Reſtat tamen adhuc disquirendum, quid obtineat, *ſi jus poſtulatur ſaltem imperfectum?* Acriter ſanè circa caſus, ex hâc quæſtione fluentes decidendos, inter JCtos morales diſceptatum eſt. Sed quantum ego ſcio, ſubſtiterunt illi Domini in ſolis concluſionibus iſtis, de quibus controverſia erat, parum ſoliciti de principiô & regulâ aliquâ univerſali, circa quam omnes convenirent, & ex quâ poſtmodum communi ore pronunciaretur, quid circa caſum juſtum vel injuſtum ſit. Imò & hoc ſcio, cogitaſſe illos quandoque de tali regulâ, ſed quam inverſo more ab actione aliquâ Juris Romani mutuarunt, quamque ad caſum applicarunt, cum tamen, ut jam diximus, in talibus quæſtionibus centones legum humanarum & præprimis Juris Romani vim legum nunquam habuerint.

11. Ergo nos aliâ viâ ambulabimus, diximus, inter gentes valere ſaltem leges juris naturæ generales, diximus etiam ibidem jus naturæ, poſtulanti jus imperfectum, non relinquere regulariter poteſtatem cogendi alterum, ſi id, quod petitur, recuſatur, nam alter etiam imperfectè obligatus erat ad gratificandum. Indè jam noſtram aſſertionem huic legi includemus: *Gentes, poſtulantes jus imperfectum, ne cogant ad iſtud ſe invicem, ſi recuſatur.*

12. Simul verò ſuprà addidimus, quandoque jus imperfectum parere obligationem perfectam, hocque probavimus per requiſita ibidem adpoſita. Jam eadem adhuc obtinent. Nimirum inter gentes ex jure imperfectô fit perfectum. I. quandò Reſpublica una ſine eô, quod poſtulatur ab alterâ, interiret. II. ſi illa, à quâ quid poſtulatur, eô commodè poterit carere. III. & niſi ſimul tale damnum ipſa exindè ſentiret. IV. quod etiam ab eâ ſolâ non ab aliâ iſtud conſequatur.

13. Si hæc quatuor requiſita, *quæ conjuncta eſſe debent*, notabis, facilis jam erit reſponſio ad quæſtiones curioſas, ab aliis propoſitas, quales ſunt I. *de tranſitu per terras alienas.* II. *De acceſſione ad littus.* III. *De denegato matrimonio.* IV. *An uni poſſit negari, quod omnibus conceditur?* & quæ ſunt ſimiles.

14. Sed hoc quæritur adhuc, *An princeps unius jurisdictionem in territorio alterius acquirere poſſit*

per

*per præſcriptionem?* quod nos negamus, nam illud, quod conceſſum eſt ad tempus aliquod, factum fuit ſaltem ex humanitate, ex quà alter nunquam, quia requiſita jam dicta deficiunt, jus aliquod extorquere poterit, neque licebit jam argumentari ex jure privatô, ibi enim, quod accidit, fit ſaltem ad coërcendam negligentiam ſubditorum. Indè, ſi quis talem licentiam in alterius territoriis exercere cupit, pactis opus erit.

15. Reſtat ut diſpiciamus breviter, *quibus fundamentis nitatur præcedentia inter gentes?* Ubi ad quæſtionem hanc decidendam jam anteà negavimus, quòd diviſiones Rerumpublicarum illam non efficerent, nam fieri poterit, & fit etiam, formas nonnullas limitatas, præcedere formis abſolutis. Itaque aliô modô in rem inquiramus. Scilicet per ſe una gens non præfertur alteri, ſumma enim per naturam inter ipſas eſt *æqualitas* tam ratione *juris*, quàm *poteſtatis & dignitatis*. Sed recepta tamen eſt poſtmodum inter gentes diverſitas *præcedentiæ*, non ut denotaret inæqualitatem juris & imperium unius in alteram, ſed ſaltem inæqualitatem dignitatis atque exiſtimationis.

16. Indè fluit ſtatim, quòd iſta præcedentia immediatè non metienda ſit ſecundùm diſpoſitionem æquitatis, ſed quòd ad hanc inſtitutum potius humanum, ab ipſis gentibus placitum, concurrat.

17. Nam ſi naturaliter loqui amamus, ita obtineret præcedentia, ut illa anteiret alteri, quæ *potentior* habetur, potentiæ deindè ſuccederet *antiquitas*, nam quicquid prius eſt, antecedit poſterius.

Remanet ergò pro inſtitutô humanô *pactum* tam tacitum quàm expreſſum. Ex quô arbitror etiam præcedentia inter gentes obſervatur.

18. Quandò verò accidit, ut duæ gentes æquales, atque æqualem locum prætendentes, conveniant, tunc æquiſſimum eſt, ſi nulla pars cedere vult, ut medium aliquod inveniatur, per quod ad minimum in præſenti actu *ſine aliquo præjudicio* controverſia componatur, illud autem communiter eſt *Sors*, vel aliud, quod gentibus placebit.

## Cap. XXIIX.

## *De Jure Gentium in Bellô.*

I.

AD probè intelligendum id, quid juris in iſtô *ſtatu extraordinario* deprehendatur, neceſſarium nobis videtur, quærere anteà, *quid bellum ſit?* Belli autem nomen Grotius duxit à *Duello*, ſed uſus vocabulorum non idem eſt. In genere quidem ſunt *certamina per vim*, ita, ut in ſpecie *duellum* ſit certamen *inter privatos*, *Bellum* certamen *inter Gentes*. Sed quia inſuper in Reſpublicas intravit certamen ſubditorum cum ſuperioribus, non adæquata manet hæc explicatio. Ideoque malo bellum appellare, *ſtatum extraordinarium, qui exarſit per vim certantium, quà tales ſunt.*

2. Nec cogitare debes, bellum an *ſtatus ordinarius* ſit, neſcis, ſi affirmas, quid forma belli ſit, luſtra regiones iſtas ubi belligeratur, confer talem ſtatum cum ſtatu

ſtatu pacis, profectò mihi concedes, diverſam hos duos ſtatus inter ſe habere faciem.

3. Neque hærebis in voce *certantium*, communi nomine iſti *hoſtes* dicuntur, hoſtis autem eſt, contra quem jam arma capta ſunt, vel, ille inter gentes pro hoſte habetur, cui aut bellum eſt indictum, aut cum quô jam certamen, licèt leve, fuit.

4. Interim de juſtitiâ *Duelli* multa diſſerere non debemus, cum ex præcedentibus jam conſtet diſtinctio ſtatus *civilis* & *naturalis*. Quippe in ſtatu naturali tam juſta offenſio quàm defenſio licita eſt. Non verò licita eſt in ſtatu Civili ſeu Reipublicæ: ibi certantes nullum habent ſuperiorem, hîc verò ſuperior jus dicit cuique competens.

5. Belli partitio hæc eſt, quod I. ſit *Offenſivum* vel *defenſivum*, quæ diſtinctio duobus modis cognoſcitur, partim, quatenus conſideramus *jus ad bellum*, partim, quatenus *partes* conſideramus *ut certantes*. Priori modô *offenſivum* eſt, quô extorquentur debita & jura perfecta, quæ abnegantur, aut ubi injuſtè erepta recuperantur, cautioque in poſterum quæritur. Vel *defenſivum*, quô defendit ſe gens contra alterius offenſionem, & retinere laborat, quæ de jure ſua ſunt, atque ſic offenſor & defenſor ſimilitudinem habent cum Actore & reô inter privatos. Sed poſteriori modô, ſeu morali æſtimatione res ſecus eſt, nimirum ille dicitur *offenſor*, qui primus incepit bellum, licèt vulgariter dictus, defenſor ſit, & *defenſor* appellatur ille, contra quem primò certamen motum eſt, quanquam aliàs offenſor fuerit. Sic non inconveniens eſt, ut aliquis ſimul defenſor & offenſor eſſe poſſit.

6. Bellum II. eſt vel *juſtum* vel *injuſtum*. Juſtum *bellum* idque *offenſivum* eſt, quod oritur ex prætenſione juris perfecti, & *defenſivum*, quod oritur ex denegatione juris imperfecti. Bellum *injuſtum* idque *Offenſivum* eſt, quod ex prætenſione juris imperfecti, & *defenſivum*, quod ex negatione obligationis perfectæ exarſit, confer omninò Cap. præced. §. 9. ad 14. & hîc §. 9.

7. Sed neque prætereundus eſt ille juſtus belli prætextus, qui oritur ex *intereſſe* Reipublicæ. Cujus intuitu mentem meam duobus quaſi verbis explico, ſcilicet tale *intereſſe juſtum* eſt, ſi per id non offenduntur jura naturalia, *injuſtum* eſt, quandò illa ipſa jura cum illô pugnant. Sic intereſſe juſtum eſt, quandò Princeps auxiliatur Principi, qui terras proximè illum poſſidet, ſic enim impellitur, ne eô ſuppreſsô, alter fieret potentior, qui deindè ipſum etiam devorare poſſet. Sed hoc inſuper notandum venit, quod intereſſe ſtatus non per ſe pariat jus perfectum, ita, ut unus princeps alterum ad id obtinendum cogere poſſit, nam multa nobis utilia ſunt, ad quæ tamen alterum cogere nequimus. Indè eſt, quòd intereſſe ad jus perfectum Cap. præced. §. 9. referre non potuerim, nam ſi qua gens tale ab alterâ perfectè poſtulare vult, non niſi ex pactis hoc poſtulare debet.

8. Ab hâc diviſione pullulant multæ quæſtiones illuſtres, quarum præcipuæ hæ ſunt I. *An metus ſit cauſa juſta belli?* quod negamus, nam licet quis munimenta exſtruat, milites colligat, & quaſi ad craſtinum bellum ſe præparet, non tamen ſequitur,

alte-

alteram gentem propterea bellum indicere poſſe; nam cuique liberè relictum eſt, in territoriis ſuis conſtituere, quod lubet, absque notâ aliquâ offenſionis. Quô pactô alteri genti ſimul remanet, an ſe etiam parare & jure ſuô uti velit. II. Indè facilè judicandum eſt, qualis belli cauſa ſit *cupido regnandi & detrahendi ſtudium.*

9. III. Etiam quæritur; *Annon bellum ex utrâque parte juſtè geratur?* Summatim res huc redit, una pars nititur prætextibus naturalibus, altera verò ſuis legibus fundamentalibus ſeu intereſſe ſuæ Reipublicæ, hîc, ſi tale intereſſe ex §. 7. juſtum eſt, quælibet gens juſtè arma capit. IV.* Simul addendum eſt, *juſtam* belli cauſam fieri injuſtam, ſi injuſta intentio ſubeſt, quod accidit quandoque in quæſt. 2. §. 8.

10. Hîc inſuper notanda venit diſtinctio Grotii in cauſas belli *juſtas* & *ſvaſorias*, ubi ex ſolis ſvaſoriis bellum non rectè geritur, quod tamen optimè geritur, ſi cauſa ſimul accedit juſta, v. g. ſi unus princeps alteri ſuccurrit ad veram religionem conſervandam, qui per tale auxilium etiam gloriam ſimul quærere poterit. Ejusdem farinæ eſt alia Grotii diſtinctio in cauſas *juſtas* & *juſtificas* ſeu utiles, ubi etiam ex ſolâ utilitate, ſi juſta cauſa abeſt, bellum non licitè geritur.

11. Bellum III. vel eſt *publicum* vel *privatum* (aut ſi mavis *Civile* vel *non Civile*) ſed cave, denominationem deſumas à perſonis publicis & privatis, nam ſic confunderes bellum cum duellô. E contra verò bellum *publicum* eſt, quod geritur inter gentes, *privatum*, quod geritur in Republicâ inter ſub-

di-

ditos & imperantem. Atque ſic non opus habemus, ut cum Grotio addamus bellum *mixtum*, quippe quod & jam ab aliis ipſi negatum eſt.

12. Bellum IV. dividitur in *ſolenne* & *minus ſolenne*, quæ vocabula quidem non ſolennia belli te edocebunt, ſed *ſolenne* appellant, ubi bellum geritur autore eô, qui ſummum habet imperium, & ubi ritè eſt indictum, *minus ſolenne* dicunt eſſe, quod denunciatum non eſt, & quod à privatis geritur. Equidem quod indictionem concernit, agemus de eâ mox, hoc tamen jam dicimus, quòd ea, ſi abeſt, non novam belli diviſionem conſtituat, nam ſi ex minutiſſimis etiam bellum ſit dividendum, omnes pagellæ, huic capiti deſtinatæ, agerent de belli partitione. Deindè, quoad alterum membrum perſonæ belligerantes faciunt vel bellum *publicum* vel *privatum*, ideoque non opus eſt, ut terminos multiplicemus.

13. V. Bellum eſt vel *proprium* vel *auxiliare*, ubi ex terminis conſtat, cujus farinæ hæc partitio ſit. Cæterum à ſcriptoribus prolixè reſpondetur ad quæſtionem: *pro quô bellum licitè ſuſcipiatur?* Nam hoc manifeſtum eſt, non tantùm pro *ſe* & *ſuis ſubditis* geri poſſe, ſed & *pro aliis*. Ad bellum tamen pro aliis juſtè ſuſcipiendum hoc ante præſupponendum eſt, ut ille, cui auxilia mittuntur, *juſtam belligerandi habeat cauſam*, nam ſi injuſtum quid prætendit, bellum etiam meum auxiliare erit injuſtum. Deindè, ſi hâc parte juſtus adeſt prætextus, ille, qui auxilia fert, ſuppetias ex juſtô titulô dare ſimul debet, iſte verò titulus conſiſtit in *vinculô idoneô*,

*per quod in gratiam hujus alterum hoſtiliter tractare poteſt*, quorſum ſpectant I. *Socii*, in quorum fœdere hoc comprehenſum eſt. II. Poſt Socios veniunt *amici*, quibus peculiari benevolentiâ jungitur. III. Præcipuè verò juſta auxilia feruntur illis, qui nobiſcum ſunt unius Religionis, propter quam ab aliis offenduntur. IV. Sed an quis arma poſſit capere pro *ſubditis alienis, ut ab injuriis imperantis liberentur*, cum aliis mihi videtur tutiſſimum exiſtimare, *non aliô caſu alienorum ſubditorum defenſionem licitè ſuſcipi, quàm 1. quo ipſi immanem ſuperiorum ſævitiam armis rectè abs ſeſe poſſint amoliri, 2. ſi nobiſcum ſunt in communitate Religionis, propter quam ab imperante circumaguntur.*

14. Quod *originem* belli attinet, omnes juris gentium doctores mecum conſentiunt, non repugnare iſtud cum æquitate juris naturæ, nam ponamus, unam gentem ab alterâ fuiſſe læſam, quomodò poſſet reparari injuria? quæcunque modò ſit, ſi altera ſeſe non accommodat, niſi per *vim propriam*. Ubi in civitatibus non amplius eâ opus eſt, quia per implorationem judicis tanquam ſuperioris noſtri, facilè adverſa pars ad juſtitiam adigitur. Quia verò gentes *naturali æqualitati* adhuc renunciare noluerunt, ſequitur, quod nullus hîc obtinere poſſit alius ſuperior, qui alteram cogeret, quàm *ferrum & gladius*. Nam *pœna* locum non habet inter gentes, indè *vindicta* ſeu *vis coactiva* reſtat, ubi una ſe vindicat, & alteram ad ſatisfaciendum cogit: Indè eſt, quòd anteà ad vim coactivam ſimul ſatisfactionem requiſiverimus, quia iſta per vindictam comparatur.

15. Sed

15. Sed ſi fortè hanc rationem adhuc non adprehẽdis, tecum loquar per inductionem, concedis, credo, nemini jus competere, ut te lædat (hic per læſionem intelligo, ut antea dictum, omne damnum, quod contra leges fit) concedes etiam, alterum te lædendo, injuſtè agere. Imò concedes, te contra alterum defendere, vel alteri quod tuum, auferre poſſe, ſi nullus ſuperior adeſt. Indè pro certô etiam ſequetur, quia hæc omnia inter gentes offendis, *quod bellum juſtum ſit*.

16. Ex dictis non inconveniens erit, ſi omnia una lex complectitur, quæ ita ſeſe habet: *Bellum liceat.*

17. Quia verò certum eſt, ſtatum hunc extraordinarium cum ſuis conſequentiis, ſi ſemel exarſit, magis deſtruere homines, quam augmentum eorum promovere, ideò anteà ſemper gentes videant, quomodò pacificis mediis lites futuras componere poſſint: indè hæc lex erit prioris limitatio: *Pax præferatur bello.*

18. Quomodò autem hâc parte gentes ſeſe commodè habeant, non difficilè eſt quærere, quia regulariter per *conventiones* ſpeciales hoc peragitur, quandò vel *ipſæ*, vel per ſuos *legatos* in locô certô conveniunt, ubi controverſia componenda ſit. Simul etiam ad hoc pacis auxilium multum contribuunt illi, qui in bellô intermedii ſunt, ſeu *arbitri*, qui conſentientibus partibus, ſententiâ ſuâ litem dirimunt, quorum ſimul officium eſt, ut neque uni parti aliquid detrahant, neque alteri quiddam addant, confer Cap. ſeq. §. 66.

19 Sed

19. Sed nec tertium medium, quô bellum poterit præveniri, prætereundum eſt, quod jus *Repreſſaliarum* vocant, nam ſi quædam gens juſtè prætendit ab alterâ ſatisfactionem, eamque aliis mediis acquirere nequit, tunc etiam per violentam executionem in Cives vel bona Civium ſibi proſpicit, hâc intentione, ut id, quod detractum eſt, à ſuâ Civitate illis ſit refundendum. Equidem impugnatum ivêre nonnulli hanc licentiam per rationes aliquas, quas ex abuſu hujus protulerunt. Si verò in æquitate ſubſiſtunt gentes, magis licitæ ſunt repreſſaliæ, quàm bellum ipſum.

20. Antequam itaque bellum oritur, convenit, ut una pars alteri hoc inſtitutum denunciet, non ex intentione, ut ſe ſimul ad iſtud parare poſſit, qui enim finem hujus denunciationis hunc eſſe credunt, neſciunt, quid ſibi velit regula: *Melius eſt prævenire, quam præveniri*, nam ex hôc ſaltem fundamentô ille princeps deridendus eſſet, qui ſic contra principia bellica ſolenniter cum hoſte ſuo, more pugilum, pugnam inchoare vellet.

21. Nos indè aliô modô rem definiemus. Rectè quidem *indictio* appellatur *denunciatio belli*, ſed malè applicatur. Vera cauſa ejus eſt, ut *ille, qui offendere vult, alterum certum faciat, quòd adverſus ipſum ex hâc vel illâ ratione bellum ſtruat.*

22. Si itaque pugnabimus, an ſemper ex æquitate naturali neceſſarium ſit, ut tali modô procedant gentes, tunc absque peccatô hoc negare poſſumus. Nam ſi una gens jam pro certô ſcit intentionem illam, quam habet altera adverſus ipſam, præprimis

R ſi

ſi etiam defenſionem ſimul quærere incipit, non opus erit, ut talis ſolennitas indictionis adhibeatur, quippe defenſio ſignum certum edit, quòd non niſi per bellum ſatisfactio ſit ſperanda. Ejusmodi autem caſu, ſi nulla denunciatio præcedit, tum demum bellum incipit, quando ſaltem minutiſſima injuria præceſſerit.

23. De cæterô Grotius hanc Indictionem in *puram* & *conditionatam* dividit, ubi & nos ſubſiſtimus, quanquam terminos ſecundùm noſtrum guſtum non explicet. Ideoque *pura indictio* nobis eſt, quando formulâ hâc utitur ille, qui bellum denunciat: *Vobis jam denunciatur bellum propter hanc injuriam, quam vindicabimus.* Poſt talem formulam ſtatim bellum incipit, & illi, cui bellum denunciatur, jus competit incipere iſtud, antequam ille, qui denunciavit, hoſtilia inchoat, nam iterum obtinet regula: *Melius eſt prævenire, quam præveniri.*

24. *Conditionata* indictio accidit, quando iſtâ phraſi utitur denuncians. *Vobis indicabitur bellum, ſi injuriam nobis illatam non reparabitis*, hîc bellum non incipit, ſed executio protrahitur ad aliud tempus, ubi demum nova indictio pura accedere ſolet, ſed quæ & omittenda eſt, quandò gens altera jam ſcit, quid ſequetur, niſi in tempore fiat ſatisfactio.

25. Indè neceſſarium erit, tertiam indictionis ſpeciem, quam Grotius omiſerat, ſimul addere, quam appellamus *indictionem poſt tempus.* Quæ ex hâc formulâ cognoſcitur: *Vobis, niſi injuriam reparabitis, poſt annum indicabitur bellum*, poſt hanc contra ſtylum eſſet, ſi adhuc ſequeretur nova

indi-

Digitized by Google

indictio, quia formula eſt ſufficiens cognoſcere intentionem alterius. Sed ille, cui bellum hôc modô denunciatur, non jus habet bello alterum prævenire, niſi tempus extiterit, quia ante tempus præfinitum adhuc ſecura pax eſſe debet. Aliter tamen ſeſe res habet in denunciatione conditionatâ; hîc enim circumſtantiæ ſunt ponderandæ, an alter conditionem poſt breviſſimum, an poſt aliquod tempus implere vellet, quod quàm optimè cognoſcitur ex præparationibus, quæ bellum præſens præcedere ſolent.

26. Sed nunc *ſolennia* gentium, quibus in indictionibus ipſæ utebantur olim, præterimus, quia illæ ad naturale jus nihil faciunt, quia fluunt ſaltem ex institutô & impoſitione propriâ, inde ſequitur ſimul, quòd illa vera indictio ſit, licet id ſimul omiſſum fuerit, quod ejusmodi actui addere ſolebat gens. Sic apud Græcos indictio procedebat per *caduceum*, apud alios populos per *ſagmina*, vel *haſtam ſangvineam*. De *jure fecialium* confer ſcriptores hiſtoriæ Romanæ.

27. Ab indictione tamen differt *belli proclamatio*, quæ fit ſaltem in utilitatem civium, ut iſti ſciant, quem hoſtem habeant, quomodò ſimul ſibi proſpicere debeant, imò, quòd omni ex populô relictum ſit, illum ſimul hoſtiliter habere, qui hoſtis communis ſit.

28. *Quot modis* autem *bellum incipiat*, non difficilis quæſtio eſt, breviter, bellum vel incipit poſt *indictionem puram*, vel ſi *levis ſaltem injuria facta eſt*. Indè belli initium non quidem ab eô tempore numerare debemus, ubi exercitus gentium ſe invi-

cem jam circumagunt, aut ubi urbes & agri capiuntur.

29. Quandò verò nihil aliud ſupereſt quàm bellum, tunc & neceſſarium erit, ut partes belligerantes ita ſeſe habeant, ut ne videatur, ac ſi beſtiæ & bruta animalia in ſe ſævirent, ſed ut ſemper tale temperamentum adhibeatur, ut exindè eluceat, homines illos eſſe, qui belligerant. Indè ſponte ſuâ fluit, *quod & in mediò bellô partes ad certas leges ſint adſtrictæ, ſecundùm quas id, quod juris eſt, efficere debeant.*

30. Antequam autem ulterius progredior, inquirendum eſt anteà in finem *belli*, quem nonnulli dixerunt eſſe *pacem*, quem non quidem nego, nego tamen quòd finis principalis ſit, ſi enim ob pacem duntaxat bellum gererent gentes, tunc vera eſſet hypotheſis Hobbeſii, ſtatuentis æqualitatem importare indolem belli, & ita bellum eſſet ſtatus gentium ordinarius. Ideò nos aliô modô procedamus, ſcilicet diſtingvimus bellum tam defenſivum quàm offenſivum in juſtum & injuſtum. Finis principalis *belli juſti* in *offenſivo* eſt proſecutio juris perfecti, in *defenſivo* denegatio obligationis imperfectæ. Finis belli *injuſti offenſivi* eſt prætextus juris imperfecti & tandem vana gloria; & *defenſivi* eſt denegatiò obligationis perfectæ, confer dicta §. 6. ad 10. Tandem ſequitur finis intermedius, qui eſt *pax.*

31. Si itaque de fine conſtat, quærendum nunc erit *de jure in bello*, ubi ante omnia præoccupare debemus, quod Jus Naturæ *bellò injuſto* nullum alium ponat terminum, quàm ut ille, qui tale bellum gerit,

*pur-*

Digitized by Google

*purget actionem ſuam injuſtè commiſſam per juſtitiam aliquam ſubſequentem*, ut nimirum damnum alteri datum reſtituat, quô illum affecit. Imò alter non expectare, debet priusquam illud reparetur, ſed ipſe ſibi ſufficit, ut damnum ex æquô æſtimet,& ab hoſte poſtulet, quia hoc deducitur ex capite de damnô intermittendô. Quod ſi verò jam ortum ſit tale bellum, tunc & ipſe, qui iſtud gerit, ad juſtum temperamentum belli obſtrictus eſt, de quô mox.

32. Remanet ergò ut bellum *juſtum* conſideremus, ubi verò iterum diſtincti formandi ſunt conceptus. Duplex ponamus genus belli, unum, *in quô ſaltem offenditur, & nulla expectanda eſt defenſio*, alterum, *ubi ſimul defenſio accedit.*

33. Priori modô omne jus includimus legi: *In bellô tantum liceat, quantum ad jus adquirendum ſufficit.* Sic ſi morali æſtimatione id læſa pars ſumſit, quod ad illam ſpectaret, ſubſiſtendum erit, quia ſic altera magis læderetur, quàm illa læſa eſt. Ad æſtimationes damni etiam referendæ ſunt impenſæ illæ, quæ ad bellum adſtruendum factæ ſunt.

34. Quandò verò, ſicut plerumque fit, *defenſio ſimul accedit*, tunc non, ſi bellum ſemel exarſit, quærendum eſt de ſpeciali jure defenſoris vel offenſoris, verùm indiſtinctè dicenda obtinent.



Digitized by Google

35. Sed videamus anteà, quid ſcriptores morales de licentiâ bellicâ locuti fuerint, ubi primum ponamus Grotium, qui in capite, quantum in bellô liceat, tres regulas generales propoſuit, quarum prima eſt: *Ea, quæ ad finem ducunt in morali materia, æſtimationem intrinſecam accipere ab ipſô fine, quare quæ ad finem juris conſequendi moraliter ſunt neceſſaria, ad ea jus habere intelligimur.* Secunda eſt: *Jus noſtrum non ex ſolo belli principio ſpectandum, ſed ex cauſis ſubnaſcentibus.* Tertia: *Ad jus agendi multa conſequi indirectè & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet.*

36. Sed hîc Grotio non negamus ſtatim regulas ipſas, confer enim easdem cum inſtitutô noſtrô §. 39. tunc ipſe fateri debes, noſtras aſſertiones cum illis minimè pugnare, negamus tamen Grotio diſtinctam methodum, niſi enim aliter res diſponeretur, exiguum fructum ab iisdem expectare poſſemus.

37. Alii, qui rem obiter ſaltem luſtrarunt, relinqvunt fontes æquitatis naturalis, & ſubſiſtunt duntaxat in aſſertione: *licentiam in bello multas gentes ſine fine & modô exercuiſſe*, quod verò non in quæſtione eſt, nam exindè ne ad minimum quidem concluſiones formaremus. Sed in dictis tamên locis, iſti refugiunt ad leges illas, quæ frequenter à Ducibus militibus præſcribuntur. Verùm & iterum quærimus, quid, his deficientibus, liceat.

38. Ut itaque ſecurè procedamus, arbitramur, adhuc legem §. 33. poſitam valere, ita ut ſemper in Concluſionibus ad illam etiam recurrendum ſit, cum hôc tamen additamentô, ut certi ſimul doceantur

tur

tur fontes, ex quibus jus belli, cui defenſio acceſſit, demonſtrari queat. Iſti verò fontes ita debent eſſe comparati, ut neceſſariò ex lege illâ deduci poſſint, ac ſi lex ipſa præcepiſſet. Nam aliàs aſſertiones deſumtæ eſſent à poſteriori, & ſic dubium, an jus naturæ licentiam bellicam præceperit.

39. Fontes autem includo duabus regulis, quarum I. bimembris eſt, & ita ſeſe habet; *Si id, quod mihi debetur, non aliter, ac per vim violentam acquirere poſſum, licet mihi eâ vi arcere eum, quali alter uti vult, qui jus meum denegat;* & alterum membrum: *Si id, quod meum eſt, non aliter, ac per vim violentam conſervare queo, licet mihi eâ vi arcere eum, quali alter utitur, qui id, quod meum eſt, extorquere vult.* Quæ fluit præcipuè ex §. 14. 15. Secunda regula eſt: *quæ ad finem conſequendum ſunt neceſſaria, ad ea facienda mihi jus competit.* Quæ regula ſimul facilem patitur expoſitionem, repete enim ex §. 30. finem belli, eumque

confer cum præſenti regulâ, tunc ſponte ſuâ fluet, aſſertionem noſtram non fuiſſe fruſtraneam.

40. Ex dictis itaque non inconveniens erit, quandò pro licentiâ in bellô talem formamus legem: *Vim Vi repellere licet.* Sic cum violentiâ repetit ille jus ſuum, quod ſibi denegatur ab alterô, ſic ille rem ſuam rectè defendit adverſus alterum, qui eandem ſibi auferre ſtudet.

41. Sed quemadmodum in antecedentibus occaſione pœnæ juſtam *proportionem* requiſivimus, ita & jam, ubi de vi propriâ coactivâ agimus, hanc proportionem ſimul conſiderare debemus. Nam licentia ex lege appoſitâ ita temperata eſſe debet, ut ne nimius indè luceat exceſſus. Quapropter neceſſum erit, ut hoſtes ſe ità habeant, ne ſimul peccent in legem §. 33. poſitam, qualis reſtrictio licentiæ rectè à Grotio *Temperamentum* dicitur. Exindè, ſi placet, talis lex ad limitandam legem §. anteced. poſitam efficitur: *In bellô vim adhibere liceat cum temperamentô.*

42. Iſtud autem licentiæ bellicæ temperamentum tribus præcipuè modis ſeſe exerit, vel enim reſpicit ad *perſonas* hoſtium, vel ad *res* hoſtium, vel denique ad *fidem* hoſti debitam.

43. Antequam tamen ulterius progredimur, expendenda eſt non exigua diſtinctio Grotii, & nonnullorum ſuorum interpretum, in *licentiam internam & externam.* Licentiam *internam* appellant eam, quæ ſecuritatem parit in conſcientiâ, *exter-*

*nam*

Digitized by Google

*nam* verò licentiam imperfectam. Quandò itaque hanc diſtinctionem ſecundùm vera ſua principia examinamus, vi[illegible]s ſtatim, quòd licentia externa planè è jure [illegible]æ ſit proſcribenda, *non enim jam ſcribimus id, quod ſit, ſed quod fieri debet.* Interim vera cauſa hujus licentiæ imperfectæ debetur ipſi Grotio, poſtquam enim ille teſtimonia hiſtoricorum & aliorum ſcriptorum ad exornandum opus ſuum collegiſſet, non omittere voluit, quod ad materiam licentiæ imperfectæ collectum accommodari poterat, ex quô præcipuè locum unum vel alterum concinnavit.

44. Ergò, relictâ licentiâ externâ, quoad internam ſaltem luſtrabimus temperamentum intuitu *perſonarum*, ubi ex ſuprà dictis ſtatim diſtingvimus inter perſonas hoſtium, quæ *nocere* vel *non nocere* poſſunt. *Innocentes* maneant immunes, ita, ut ne minimâ quidem injuriâ afficiantur, quales ſunt indiſtinctè *fœminæ, infantes, pueri* & aliæ perſonæ. Item huc referuntur illi, qui *ſacra* aut *literas curant*, *mercatores*, *agricolæ* & ſimiles. Sic facilè eſt probare: *ſtupra à militibus commiſſa eſſe contra jus naturæ.*

45. *Nocentes* ſunt iterum duplicis generis, vel enim *moraliter* nocent, quales ſunt *cives*, qui pecunias ad bellum gerendum adminiſtrant, vel *phyſicè*, quales ſunt *milites*, qui in ipsô negotiô ad nocendum occupati ſunt. Inter hos referuntur etiam aliæ perſonæ, quæ non ſunt milites, quandò nimirum phyſicè nocere ſtudent, quales v. g. etiam eſſe poſſunt Cives, fœminæ &c.



Digitized by Google

46. Quod itaque *milites* concernit, poſſunt illi interfici, quamdiu hoſtes ſunt, illi enim inſtrumenta ſunt, per quæ alter offenditu[illegible] jus ſuum quærere vel defendere prohibetur. Sic quandò concurrunt tales, poteſt unus alterius internecionem ſine peccatô intendere. Præcipuè verò hæc licentia valet, quandò coëunt exercitus ad certamen tam in acie quàm expugnationibus, ibi enim cum tali animô pugnandum eſt, ac ſi una pars alteram prorſus interimere vellet, aliàs enim fontium ex §. 39. exiguus expectandus eſſet effectus.

47. Indè ad quæſtionem ſimul facilè reſponderi poterit: *quali nece hoſtes afficiendi ſint?* Ubi non opus erit, ut determinetur, an ſolùm gladii, bombardæ, tormenta &c. requirantur, nam & aliis viis unus alterum tollere poterit, modò adhibeatur diſtinctio, ne videlicet innocentes graviter exindè lædantur. Sic ſuô modô licitum eſt hoſtem corrumpere *venenô*, hoſti adventanti fontes venenô inficere, modò temperamentum non excedatur.

48. Item quæritur: *An percuſſoribus verſus hoſtem uti liceat?* Hìc Grotius præter neceſſitatem diſtingvit inter tales homines, qui fidem datam violant vel non violant. Sed cum aliis exiſtimo, hanc nihil obeſſe licentiæ. Nam licet argentum vel promiſſa noſtra alterum reverà ad perfidiam moverint, nobis tamen perfidia velut proprium peccatum imputari non poſſe videtur, quia in præſens per hoſtilem ſtatum commercia juris nobis cum illô, qui nunc hoſtis eſt, abrupta ſunt, & ille nobis licentiam adverſus ſe in infinitum dederit. An verò talis percuſ-

ſor a

Digitized by Google

ſor, qui fidem violat, peccet? alia quæſtio eſt, quam nullus fortè tanquam juſtam pronunciabit.

49. Quòd ſi verò *Cives* producimus, non meretur ſtatim eorum læſio moralis internecionem, ſed hîc æquiſſimum eſt, ut, quantum fieri poterit, prohibeatur, ne principi legitimo onera ſolvantur, ſed quæ potius ipſe, qui invadit, poſtulat, ſic enim mediis privatur alter ad bellum continuandum. Quandò autem interdictiones & alia media nihil operantur, tunc ſecundùm circumſtantias violentia erit adhibenda.

50. Quia plerumque meritis licèt hoſtibus vita rectè condonatur, videndum porrò eſt: *quid juris ſit in hoſtem captivum?* ubi ante omnia iterum præmitto diſtinctionem inter *nocentes & innocentes*, quippe poſteriores, ſi qui capti ſunt, ſinè omni læſione è cuſtodiâ mittantur, niſi ex circumſtantiis & intervenientibus rationibus neceſſitas contrarium poſtulet. Sed *nocentes* captivì, qui in pugnâ capti ſunt, niſi illis fides ad vitam ſervandam data ſit, (tunc enim ex captivis fiunt dediti) occidi poſſunt iterum, quandò graves ſunt victori, mèlius enim eſt, eos necare, quàm dimittere, ut rurſus de novô noceant.

51. Interim, ſi ſpecialiter rem contemplamur, non inconveniens erit, diſtinctè conſiderare, quid ſibi velint vocabula *captivi*, *victi* atque *dediti*, nam his preſſius cognitis faciliores evadent noſtræ concluſiones. Et *victus* quidem dicitur, qui ab hoſte ſuppreſſus eſt, *captivus*, qui non ſolum victus ſed & captus eſt, & unô vocabulô ſervus belli appellatur,

latur, *deditum* nominamus, qui ſeipſum alteri, ut malum futurum præveniret, dedidit. Sed vocabulum victi laxiorem ſimul producit ambitum, nam victi etiam dicuntur illi, qui per arma ſub jugum acti ſunt.

52. Itaque quoad *belli ſervos*, ut ne peccetur contra temperamentum licentiæ, probè iterum diſtingvenda ſunt individua. Si enim ſervus eſt phyſicè nocens ſeu miles, obtinet aſſertio ſuprà §. 50. dicta, ſi verò eſt moraliter talis ſeu Civis, qui etiam ſervus belli, quandò moraliter lædere non deſinit, fieri poteſt, æquiſſimum eſt, ut illi id extorqueatur, per quod nocuit, vel in poſterum nocere poterit, quapropter temperamentum egreditur ille, qui talem ſine aliis circumſtantiis concurrentibus interficit.

53. His indè circa belli ſervos obſervatis, facilè erit, reprimere vel admittere concluſiones illas Grotii, quas de talibus ſervis in opere ſuô in duobus capitibus *de jure in captivos, & de temperamentô circa captos* protulit. Ubi videbis ſimul, multa ibidem eſſe immiſta, quæ ex noſtrâ hypotheſi potius de victis & deditis affirmanda ſunt. Et ſi præterea loca aliqua ſunt, circa quæ cum ipsô diſſentimus, tunc concilianda nobiſcum ſunt per diſtinctionem vulgarem juris naturæ & juris voluntarii, quod tamen nunquam vim legum inter gentes habuit. Ita nullum peccatum eſt, ſi talis ſervus civiliter apud nos tractatur, præcipuè, quandò dux quidam vel alius præfectus belli captus eſt. Et quod accedit, commodum quandoque adferunt, ſi ſervantur, quia unus captivus pro alterô captivô pro moribus permutari ſolet. Quæ tamen & alia omnia inſtituta humana ſunt, neque immediatè ex jure naturæ proveniunt.

54. Tem-

Digitized by Google

54. Temperamentum circa *victos* tunc præcipuè accidit, quandò una gens per vim juſtam ſubjugat provinciam vel civitatem, ubi victor in victos imperium acquirit, in quô tamen ſe ita temperare debet, ac ſi nunquam hoſtis fuerit. Quid hîc porrò juris ſit, repete dicta in Cap. 24. §. 6. ſeqq.

55. Temperamentum circa *deditionem* inveniemus in diſtinctâ conſideratione hujus ipſius deditionis. Ubi commodè hanc divido in deditionem *activam & paſſivam*. De *paſſivâ* jam habuimus ſuprà, reſtat ut diſpiciamus, quid ſibi velit altera. *Activa* deditio eſt, *quâ quis ſe, ſuaq; in alium transfert*. Nolo verò cum Grotio dicere, quòd per eam intelligatur actus, quô populus vel pars populi in arbitrium potentioris ſe ſuaque transfert. Cauſam diſſenſus noſtri videbis ex ſequentibus.

56. Alibi idem Grotius hanc ſubdividit in *puram & conditionatam*, illam vocat, cum quis ipſi hoſti de ſe arbitrium permittit, ac ita ſe ſubditum facit ei, cui ſe dedit, ac in illum ſummam poteſtatem transfert, omnia dedito jure ſaltem externô eripiendi, etiam vitam & libertatem perſonalem. Hanc appellat, quæ aut ſingulis conſulat, ut in quâ vita ſalva, aut corporum libertas, aut & quædam bona excipiantur; aut etiam univerſitati, ſi videlicet quædam particulæ libertatis civilis retineantur. Ut verò hanc Grotii diviſionem paulò accuratius expendamus, operæ pretium erit, aliam diviſionem deditionis activæ præmittere.

57. Scilicet anteà probè conſiderandum eſt, cui fiat deditio, hôc enim modô duplex ea evadit, vel

enim

Digitized by Google

enim *hoſti* fit, vel *non hoſti*. Quis hoſtis ſit, conſtabit ex præcedentibus, ille quippe talis eſt, cui vel bellum denunciatum eſt, vel adverſus quem jam bellum exarſit, confer omninò §. 28. Interim de deditione, quæ fit non hoſti, agemus in Cap. ſeq.

58. Reſtat ergò ea, quæ *hoſti fit*. Nam in hâc admittere poſſumus eam diviſionem, quam ex Grotio §. 56. retulimus. Neſcimus tamen, an ipſe Grotius eas rectè deſcripſerit. Quô pactô nos deditionem *conditionatam* appellamus, quæ hoſti fit ſub conditione. Qualis autem conditio ſemper eſſe debeat, non ita juſtè determinare poſſumus, ſufficiat, quòd per eam proſpiciatur communiter corporum libertati æque & immunitati, bonorum conſervationi, &c. Et *puram* appellamus, quæ fit ſinè aliquâ conditione, duntaxat in gratiam illius, cui fit iſta deditio, wenn man ſich auff Gnad und Ungnad ergeben muß. Atque ſic nihil nobis commune eſt cum Grotio, qui in applicatione quandoque deditionem puram cum conditionatâ ex ſuis deſcriptionibus miſcuit.

59. Nunc verò quæritur: *An etiam deditio pura ex jure naturæ defendi poſſit?* ubi affirmativè reſpondemus, ſtipati regulis §. 39. citatis, ex quibus tu ipſe reſponſionem dabis. Morali enim æſtimatione idem eſt, an quis invitus captus & ſervus belli fiat, an verò quis ad talem deditionem adactus ſit, utrôque enim modô jus victori competit, quod dictô §. & deinde §. 52. expoſuimus.

60. Quandò autem de deditionis *conditionatæ* juſtô temperamentô quæritur, tunc nihil aliud dicen-

cendum erit, quàm ut dedito ſecundùm ea, quæ acta ſunt, fides habeatur, neque ut ille ullô modô lædatur, vel quaſi ſervus belli æſtimetur.

61. Accedimus ad temperamentum intuitu *rerum.* Res autem hoſtium appellamus omne id, quod non eſt perſona, ubi tamen iterum licentiam externam à dicendis proſcribimus, & ſubſiſtimus ſaltem in licentiâ internâ, cui anteà certæ leges præſcriptæ ſunt, ex quibus jam facili labore concluſiones ſpeciales formare poſſumus. Priusquam verò ad illas progredimur, non incommodè diſtingvimus inter res hoſtium *capiendas & captas*, niſi enim hæc diſtinctio, licèt exigua tibi videatur, præcederet, parùm felices in concludendo eſſemus.

62. Itaque circa res *capiendas* repete primò legem ex §. 33. & fontes noſtros ex §. 39. His quippe cognitis, juſta evadet noſtra aſſertio, quam ita ponimus: *Si quis aliquid ulterius præter id, quod ad illum ſpectaret, eripit, judicatur ad cautionem neceſſariò fuiſſe ereptum.* Item; *Si quis opum fiduciâ injuriam alii intulerit, eò victò, recte opes detrahuntur, ut in poſterum ſit modeſtior.*

63. Sic quemadmodum jus naturæ non determinat, quæ & quot res in bellô, cui defenſio acceſſit, capi-

capiendæ ſint, præſumitur ad *coërcendos hoſtes* optimum eſſe, ſi illæ & tot res capiantur, quæ & quot capi poſſunt. Hôc enim modô alter eò citius cogitur ad ſententiam ſuam dicendum, quomodò læſo ex juſtô pariter & æquô ſatisfacere velit.

64. Circa *res captas* ante omnia probè obſervandum eſt, per ejusmodi adprehenſionem adquiri tantum jus ſeu dominium, quod valeat adverſus quemvis tertium, non verò adverſus illum, cui res illa erepta eſt. Sed ut capiens acquirat dominium, valiturum etiam adverſus eum, cui res erepta fuit, neceſſum eſt, ut accedat hujus cum alterô pacificatio & transactio. Citra hanc enim priori domino jus remanere intelligitur, ad rem iſtam, quandocunque vires ſuperfuerint, hoſti iterum extorquendam.

65. Hæc intelligenda ſunt tam de rebus *mobilibus* quàm *immobilibus*, nemo enim effectus dictos circa tales res nobis negabit. Sed reſtat tamen diſtinctio inter res *corporales* & *incorporales*, ubi iterum de prioribus, ſeu corporalibus nulla amplius controverſia eſt, fuit tamen intuitu rerum incorporalium.

66. Verùm in deciſione hujus quæſtionis non poſſum non exiſtimare cum aliis: *rem incorporalem ſeu jus adquiri à victore non niſi cum ſubjectô, cui jus iſtud inhæret.* Quod ſubjectum iterum dicunt eſſe vel *perſonæ ipſæ*, quæ captæ ſunt, vel *res aliæ* captæ. Cum *rebus* acquiruntur illa jura, quæ illi rei inſunt ex pactô, ut appellant, *reali*, non verò *perſonali*. Res ex priori pactô manent penes rem, à quocunque poſſeſſore teneantur, quod tamen de po-

ſterio-

ſteriori ſecus eſt. Sed jura, quæ ſpectant ad *perſonas*, tum demum adquiruntur, quandò cum perſonâ vel poſt eam capiuntur: ſic rege captô, non ſtatim ſimul captum ejus regnum eſt.

67. Quia verò quandoque in bellô contingit, *ut res capta ſervandò ſervari nequeat*, conveniens eſt, *ut illa*, ne hoſti emolumentum afferat, *corrumpatur*. Dependet hæc aſſertio ex fontibus §. 39. poſitis. Ut autem temperamentum circa vaſtationem ſervetur, non malè diſtingvimus res, quarum uſus deſtinatus eſt *ad cultum & in honorem DEI, & quæ in hominum ſunt commerciô*. Priores intactæ manere debent, aliàs enim violaretur obligatiò verſus DEum, quandò id, quod ipſi ſacratum eſt, auferatur. Alias quæſtiones ſpeciales reſervabimus ad tempus aliud.

68. Quoad poſteriores juſtum temperamentum inſtituitur, ſi id corrumpitur atque deſtruitur, quod hoſti iterum prodeſſe poterit. Ubi verò antè omnia, ne rebus abuterentur, cognoſcendum erit, an? & quomodò? res illæ commodè ſervari poſſint, ne hoſti partæ maneant. Quod temperamentum, ſi obtineri nequit, ſinè peccatô efficit, ut vaſtetur atque corrumpatur id, quod prodeſſe poterit. Sic frumentum, imò alia eſculenta & potulenta, ſi ſecum duci non tempus eſt, rectè vel cremantur vel aliis viis corrumpuntur. Contra verò res illæ intactæ maneant, quæ & ſalvæ hoſti prodeſſe nequeunt.

69. Interim magis inutilis controverſia eſt, quam movit Grotius, *quando res capta cenſeatur?* Quis enim negabit, hoc demum contingere, quan-

S dò

dò rem ille, qui cepit, ita detinet, ut recuperandi ſpem probabilem alter, niſi per ſubſequentem vim, amiſerit. Deindè idem Grotius diſtingvit inſuper inter res *mobiles & immobiles*, ubi in rebus mobilibus hoc ita procedere dicit, ut captæ dicantur, ubi intra fines, id eſt, præſidia hoſtium perductæ fuerint. Nobis verò æquius videtur eſſe, ſi duntaxat ſtatuamus: *Rem mobilem fieri hoſtis ſtatim, ſi phyſicè capta dicitur.* Verùm de rebus *immobilibus*, ubi & agri, de quibus etiam Grotius loquitur, pertinent, ità ſeſe explicat: *Eum demum agrum captum cenſeri, qui manſuris munitionibus ita includitur, ut niſi iis expugnatis parti alteri palam aditus non ſit.*

70. Sed nobis videtur in veritatem rei ex aliô fundamentô inquirendum eſſe. Scilicet aliud eſt, *cepiſſe rem*, aliud verò *rem captam poſſidere*. Sic *capta* res etiam immobilis tum cenſetur, ſi illam hoſtis ingreſſus eſt, & tale ſpatium captum dicitur, quale ingreſſus eſt. Inde ſi ingreſſus ſum ſaltem regionem aliquam, non ſtatim capta intelligitur regio tota. Sed tam diu *posſidetur* res, licet mobilis vel immobilis ſit, quamdiu ſervando ſervari poterit, ſi enim prior dominus rem iſtam iterum eripit alteri, tunc & deſinit poſſeſſio.

71. Porrò quærunt alii: *Quid, ſi exercitus hoſtilis non perpetuò ſubſiſtendi, ſed transeundi tantùm, aut ad tempus commorandi aut nocendi Reipublicæ fundum alterius ingreſſus fuerit?* Tunc quidem captus intelligitur fundus, imò & poſſeſſus: Sed donec ſaltem exercitus eidem inſidebat. Relictô

ctô eô, deſinit poſſeſſio. Atque ſic facilè ad alias concluſiones, indè fluentes reſponderi poterit, modò non tali animo aggrediamur laborem, quaſi petenda ſit deciſio earum, ex jure Romanô, & quaſi jus gentium exindè explicetur, quod & jam fecerunt multi alii, imò & paſſim ipſe Grotius, recurrentes præcipuè ad titulum de adquirendâ vel amittendâ poſſeſſione.

72. Quia de rebus captis locuti fuimus, reſtat, ut paucis ſimul videamus, *cuinam res illæ captæ adquirantur?* Quam quæſtionem Grotius operosè deduxit, imò & alii. Nos ſaltem ſubſiſtimus in aſſertione: *per ſe rem captam adquiri illi, cujus virtute bellum geritur.* Conſtat enim jus belli eſſe penes eum, qui ſummum habet imperium, imò conſtat, bella ab iis ſuſcipi ad proſequendum atque extorquendum jus, quod illis competit. Itaque milites, ſi aliquid capiunt ex rebus, quæ hoſti ſunt, capiunt principi, & præter ſtipendium nihil debetur, niſi quod ipſis conceditur ex liberalitate principis, aut ob præſtitam inſignem operam, aut ad incitandam ipſorum fortitudinem.

73. Indè non licebit militibus, prædas ex hoſticô agere, aut quamcunque rem ſibi eripere hoſti, ſine permiſſu ſummi imperii, quippe cujus eſt, per ſpeciales ordinationes definire, quousque iſti prædandi & acquirendi licentiam debeant vel non debeant exercere, & deindè, an tota præda? & an pars ſaltem? & quæ præda illis ſit relicta?

74. Interim alii, qui mirum in modum confuderunt diſpoſitionem juris naturæ, cum licentiâ legum ſpecialium humanarũ, per tres diſtinctiones omnem

controverſiam componere voluerunt, diſtingventes ab unâ parte, inter res, quæ capiuntur, *mobiles* & *immobiles*: ubi *mobiles* ſtatim, ſinè lege & præcedente mandatô principis conceſſerunt militibus, ita ut illi easdem in uſus proprios conſumere poſſênt, ſinè injuriâ principi propterea inferendâ. *Immobiles* autem adſcripsêre illi, cujus juſſu belligeratur. Sed hîc non opus habemus, ut multis argumentis illis reſpondeamus, ſufficiat noſſe, talem diſtinctionem noſtram adſertionem non tollere poſſe, ſed quæ hanc potius ſuperat, ſi argumenta in contrarium ſtruere volumus-

75. Secunda diſtinctio ſumitur à *militibus*, quos in *mercenarios* & *non mercenarios* diſpeſcunt. *Mercenarii*, dicunt, contenti eſſe debent eô, quod illis à principe ſolvitur, *non mercenarii* autem, ſeu qui ſinè ſtipendiô ſerviunt, capere poſſunt, quod illis obvenit, ut etiam aliquod emolumentum in illos è bellô redundet. Verùm, quis negabit, hanc diſtinctionem meram diſpoſitionem humanam ſapere. Equidem non pugnat cum jure naturæ, ſi nos militem in mercenarium & non mercenarium dividimus, ſed propterea non ſequitur, quod talis deinde concluſio immediatè ex iſtô jure fluat, qualem iſti poſuerunt. Imò non poſſumus immediatè exindè de hâc militum diſcrepantiâ multa diſſerere, quia ejus fundamentum eſt natura alicujus Reipublicæ. Sic apud nos non ſinè deſtructione Reipublicæ noſtræ colligeret princeps ſolos milites non mercenarios, quales tamen optimè colligi poterant in veteri Republicâ Romanorum.

76. Tertia

76. Tertia diviſio debetur præcipuè Grotio, qui diſtinxit *actus bellicos* in *publicos*, qui occaſione & mandato ſupremi ducis peraguntur, & *privatos*, quos injuſſu ejus milites ſuſcipiunt, quæ diviſio Grotii, quanquam nobis præ reliquis duabus formoſior videatur, non omni caret dubiô. Rectè enim intuitu hujus alii monuerunt: *partem juris belli eſſe, deſignare, quinam hoſti nocere debeant, & quandò, & quousq́;.*

77. Hæc ſufficiant de temperamentô poteſtatis, quæ hoſti competit verſus perſonam & res hoſtium, quatenus hoſtes ſunt. Sed fit quandoque in bellô, ut hæc poteſtas ſimul extendenda ſit ulterius ad illos, *qui quidem per ſe non hoſtes ſunt, fiunt tamen quaſi tales per ſubſequentiam.* Accidit iſtud, quandò illi hoſti vero id ſubminiſtrant, quod ad bellum gerendum aliquid vel multum contribuere poteſt.

78. Ut verò, quale hâc parte temperamentum adhibendum ſit? videatur, alii diſtingvunt inter ea, quæ hoſti ſubminiſtrantur. Dicunt enim, id, quod porrigitur hoſti, ad bellum gerendum vel *idoneum* eſt, ut milites, arma, pecuniæ, naves &c. vel *non idoneum* eſt, & etiam citra bellum alteri neceſſarium videtur, quales ſunt merces, frumentum & ejusmodi genus rerum.

79. Imò Grotius circa hanc quæſtionem cautè procedere voluit, timidus enim & dubius erat, quid ſcribere deberet, atque ſic præter neceſſitatem diſtingvit inter res, quæ 1. in bellô tantùm uſum habent. 2. quæ in bellô nullum uſum habent, 3. & quæ tam in bello quàm extra bellum uſum habent. Sed ex

hâc triplici rerum diviſione ſtatim tu vides, quod magis ea tendat ad confuſionem hypotheſeos, quàm ad determinandum id, quod in bellô juris eſt.

80. Nobis inutiles videntur eſſe hæ diſtinctiones, quippe notandum primò eſt ex antecedentibus, juxta belli leges licere non ſolum munitiones hoſtium, portus, urbes, naves, ſed & viros atque mercedes, frumenta &c. præripere aut perdere. Eôdem modô, & ex iisdem fundamentis licebit genti præcavere, ne rebus quibuscunque, aliundè illatis, vires hoſtis ad bellum continuandum adaugeantur, vel ne ille ex his rebus ad ſuam ſuſtentationem quid lucrari poſſit. *Licebit indè omnia ea intercipere, quæ genti indiſtinctè idonea videntur, quæq; altera gens hoſti porrigit.*

81. Hoc verò ſimul diſpiciendum erit, ſcilicet quæritur: *An habeat gens juſtam belli rationem adverſus eam, quæ talem rem ad bellum gerendum idoneam alteri ſuppeditat?* quod negamus, ſi ea ſubminiſtrat duntaxat ad lucrandum pretium, quod pro re ſuppeditandâ datur, hîc enim ſufficiat eam eripuiſſe, quandò ſic permutata hoſti adfertur. Imò negamus, ſi ex pactô generali ad talem rem, ſi poſtulabitur, ſubminiſtrandam, altera obligata eſt. Facilè tamen tale pactum contrarium efficiet, quandò nimirum circumſtantiæ & clauſulæ ſpeciales pacto inſertæ ſvadent, bellum contra talem ſuſcipiendum eſſe. Sic & affirmamus etiam quæſtionem, ſi non obſtante admonitione, gens una permittit hoſti, ut ex ſuis terris colligeret, quod ad bellum gerendum idoneum eſt.

82. Præ-

82. Præter hanc poteſtatem adhuc una licentia in bellô ſupereſt, quæ tendit ad rem alterius, qui hoſtis meus non eſt. Nam quæritur, *an jus habeat gens una in bellô ad rem alterius, qui non eſt hoſtis?* Sed videamus, quid Grotius circa hanc quæſtionem ſcribat; *rem alienam*, dicit, *ex quâ certum mihi periculum imminet, citra culpæ alienæ conſiderationem invadere poſſum, non tamen dominus fieri, id enim ad eum finem accommodatum non eſt: ſed cuſtodire, donec ſecuritati meæ ſatis cautum ſit.* Adde hîc. §. 92. 93.

83. In hâc aſſertione Grotii & nos ſubſiſtimus. Eam verò probamus ex fonte, ſuprà §. 39. poſitô, ubi talem regulam habuimus, *quòd ad finem conſequendum ea ſint neceſſaria, ad quæ facienda jus mihi competat*: quam ſi confers cum præſenti quæſtione, facilè concedes, quod cum Grotio affirmavimus.

84. Tandem accedimus ad tertium membrum temperamenti, quod obtinet in reſpectu ad *fidem hoſti debitam*, ubi, ſi repetimus anteà fontes §. 39. locatos, omne quod in hâc materiâ notandum venit, includimus verbis: *Dolô & fraude adverſus hoſtem licet uti, modò perfidia pactorumq; & datæ fidei violatio abſit.* Nam ſi armis hoſtem ſuperare non poſſumus, cur non licebit illum tollere vi vulpinâ. Neceſſariò tamen regulæ addidimus limitationem, contingit enim in bellô, ut hoſti quan-

doque fides habenda ſit; hîc ſanè injuſtè ſe gereret illa gens, quæ contra fidem datam aliquid ſuſciperet, quod nunc ex utrâque parte ſpecialius videbimus.

85. Non verò hîc multis pugnabimus cum iſtis, qui inani more diſceptarunt, quid ſibi velit vocabulum *ſtratagematis?* Nos ſinè omni dubiô ſtratagema appellamus *dolum, qui adhibetur in bellô ad hoſtem circumveniendum.* Quia autem dolus tam *verbis* quàm *factis* accedit, ſpontè ſuâ intuitu *factorum* ceſſant dicta in Cap. XII. de damnô intermittendô, & Cap. ſeq. de promiſcuis officiis humanitatis, ubi ſemper contrario aliquo hoſtis tam per vim apertam quàm doloſam affici poterit.

86. Intuitu *verborum* multa Grotius in Cap. *quantum in bellô liceat*, protulit, quia operæ pretium eſſe exiſtimavit, ut totum hunc locum curatius perpoleret. Nos ſubſiſtimus in concluſione noſtrâ ex §. 84. ex quâ tam *mendacium* quàm *falſiloquium*, tam *ſimulationem* quàm *diſſimulationem* verſus hoſtem, cæteris paribus, licitam eſſe ſtatuimus. Ceſſat quippe inter hoſtes omnis illa obligatio, ad quam effundendam aliàs in ſtatu pacificô gentes inter ſe obſtrictæ ſunt.

87. Imò, ſi id, quod commodum aliquod per talia ſtratagemata adfert, producimus, non poſſumus non exiſtimare: *hoſtem poſſe commodè & aſtutè, citra notam peccati alicujus, hoſti falſa & omnia genera ſtratagematum proferre, fictisq; rumoribus terrere, aut detrimenti quid eidem inferre, licet reverà ſecus ſit.*

88. E contrariô, ſi quæritur: *Quomodò hoſti fides ſit habenda?* Tunc objectum probè conſiderandum eſt, illud autem erit nihil aliud, quàm *pactum* aliquod, ſinè eô enim inutiliter quæritur, an hoſti fides ſervanda ſit? ſi verò jam aliquid de juſtô temperamentô intuitu hujus quæſtionis dicendum eſt, obſtaret quidem ab initiô defectus iſte communionis inter gentes, communisque obligationis, ad quam ſervandam aliàs in ſtatu ordinariô obſtrictæ erant, ita ut & hîc liceret ſecundùm fontes ex §. 39. præſente occaſione hoſtem aliquô afficere, quod contra fidem datam ſit: ſed nihilominus argumenta ex ipsâ ratione petitâ, & in ſtatu Gentium extraordinariô præcipiunt legem generalem: *fides hoſti data, eſt ſervanda* confer omninô Cap. ſeq. §. 39. ſeqq. ubi paulò ſpecialius in eam inquiremus.

89. Hîc, quoad *bellum ſolenne* ex §. 12. ſubſiſtimus, *minus ſolenne* appellavimus ibidem analogum belli, & rectè quidem, quia in eô dicta non ita deprehendimus, tale eſt bellum *latronum & piratarum*, de quibus jus naturæ nihil aliud inculcat, quàm quæ diximus in §. 31. cauſa enim hujus belli injuſta eſt, quam latrones & piratæ præ ſe ferunt. Interim ſi eos aggreditur cum violentiâ gens una, arbitror, demum valere ea, quæ de juſtô temperamentô fuſius anteà diſſeruimus. Cæterum inter belli analoga referunt nonnulli *violentas* illas *coactiones principum*, quæ contra ſubditos ſuos quandoque v. g. ad exuendam hanc vel iſtam religionem ſuſcipiuntur.

90. Ab illis, qui bellum gerunt, diſtingvuntur illi, qui iſti bello non impliciti ſunt. Quia verò occaſione belli multa patrantur in eos à belligerantibus, convenit, ut & duobus verbis exponam, quousque id fieri licitum ſit. Illi autem, qui bello impliciti non ſunt, appellantur à Grotio *medii* in bellô, & ab aliis *neutrales*.

91. Omne autem id, quod jure neutralitatis obtinet, includimus cum Grotio verbis: *Belligerantium officium eſt, ut à pacatis nihil ſumant, niſi in ſummâ neceſſitate, cum reſtitutione pretii.* De neceſſitate infrà agemus in Capite ultimô libri hujus, ubi probabimus ſimul, etiam contra legem juris naturæ licere quandoque facere aliquid, quod legibus juris naturæ adverſatur.

92. Eadem & jam locum habent, nam licebit in neceſſitate belli illud ſuſcipere vel efficere, quod neceſſitatem iſtam tollere poterit. Neque in quô ea conſiſtat? longè quærendum erit, nam belli neceſſitas vel reſpicit *ad conſervationem meam* vel ad *reprimendum hoſtem*, ſeu ut mihi detur occaſio ad id exequendum, quod mihi conceſſum erat anteà ex §. 39. confer omninò hîc. §. 82.

93. Sed ut videas temperamentum intuitu hujus licentiæ in eum, qui neutralis eſt, totum Grotii locum hîc adponam, qui ita loquitur: *Supervacaneum videri poſſet, agere nos de his, qui extra bellum ſunt poſiti, quandò in hos ſatis conſtet, nullum eſſe jus bellicum. Sed quia occaſione belli multa in eos, finitimos præſertim, patrari ſolent, prætextâ neceſſitate, repetendum hîc breviter, quod diximus* 

*ali-*

*alibi, neceſſitatem, ut jus aliquod det in rem alienam, ſummam eſſe debere: requiri præterea, ut ipſi domino par neceſſitas non ſubſit: etiam ubi de neceſſitate conſtat, non ultra ſumendum quàm ea exigit: id eſt, ſi cuſtodia ſufficiat, non ſumendum uſum: ſi uſus, non ſumendum abuſum: ſi abuſu ſit opus, reſtituendum tamen rei pretium.* confer §. 82. 83.

94. Contra verò mediorum ſeu *neutralium officium* eſt, omne id facere, quod eos mediô quaſi locô conſervet. Ideò, ut & hîc videamus, quid juris ſit, valebunt verba: *Neutralem nihil debere facere, quó validior una pars belligerans fieret alterâ*, ita, quod uni conceditur, alteri non negandum erit, aliàs juſtam haberet pars læſa cauſam, bellum propterea inchoandi.

95. Reſtat ut & ad ſpeciem illam accedamus, ubi res vel perſonæ captæ in bellô iterum recuperantur, quem modum appellant *poſtliminium*, ubi tamen probè diſtingvenda ſunt jura ipſa, valdè enim Grotius circa hanc materiam, imò alii JCti, jura naturalia cum humanis, & ex his præcipuè cum jure Romanô confundentes, erravére ita, ut multi juris Gentium doctores in materiâ poſtliminii hunc errorem non exuerint. Nos relictis juribus humanis ex ſolô jure naturæ quæſtionem tollemus.

96. Scilicet poſtliminiò redeunt vel totus *populus*, ſeu, ſi ita loqui mavis, *totus aliquis ſtatus*, vel particulariter ſaltem *perſona* una vel altera, aut *res* aliqua.

97. Cir-

97. Circa *perſonas* alii maximè æquitati naturali congruere arbitrantur, *ut per bellum capti, ubi manus hoſtium quôcunq; modô evaſerint, neq; illis fide datâ ſint obſtricti, atq; ad ſuos redierint, non modò priſtinum ſtatum, ſed & omnia ſua bona ac jura recuperent.* Nulla enim in hôc ſtatu extraordinariô gentium adeſt ratio, per quam evinci poſſit contrarium ejus, quod hîc alii, ducti ex naturali æquitate, ſtatuerunt.

98. Pergunt porrò: *quod res attinet, quamdiu bellum durat, ſi hoſtibus iterum ſint ereptæ ſive per nos ipſos, ſive per noſtros cives aut milites, eas ad antiquos dominos redire par eſt, non immobiles tantùm, ſed & mobiles, modò liquidò à nobis poſſint dignoſci.*

99. Hic verò rationem hujus adſertionis iterum petemus ab illis, qui iſtam ſtatuerunt, ita enim porrò eruditè loqvuntur: *Nam cùm civitati incumbat, quantum fieri poteſt, bona civium defendere; ejusdem quoq; erit, quantum in ſe eſt curare, ut quæ ipſis erepta ſunt, recuperentur. Neq; obſtat, quod illa à militibus ſint erepta. Hi enim miniſtri ſunt civitatis, & quæ adquirunt, civitati, non ſibi propriè adquirunt. Cùm autem iniqvum ſit, ut iſta bona civibus erepta ſibi adquirat civitas, nihil aliud ſupererit, quàm ut ea priſtinis dominis reſtituantur.*

100. Quoad poſtliminium integri populi, iterum alii ita ſtatuunt, (cur enim non illos producemus, ſi egregiè loqvuntur) *Integer autem populus,* pergunt, *ſi vel propriis viribus, vel Sociorum armis jugum hoſtile excuſſerit, ſinè dubiô libertatem & ſtatum antiqvum*

*qvum recuperat. Quòd ſi autem aliqua pars bonorum, quæ anteà ad illum pertinuerant, adhuc ſub poteſtate hoſtis remanet, ad illam recuperandam prætenſionem retinet, quamdiu bellum pace nondum fuit compoſitum, ſed ſi tertius aliquis ſuô nomine hoſti ſubactum anteà populum bellô eripuerit, hic dominium tantùm mutabit, neq; libertatem recuperabit. Idem quoq; de parte alicujus populi eſt dicendum. Quod ſi pars populi vindicetur, ab illo populo, cui tantiſper avulſa fuit, aut iſtius Sociis, antiquo iterum corpori conjungetur, & in priſtinum locum ac jura redibit. Quanquam & cum Sociis ita conveniri poſſit, ut ipſi retineant, quod quondam noſtrûm hoſti eripuerint. Sed & ſi propriô auſu præſidia hoſtilia dejecerit, ad antiqvum corpus revertetur, nec peculiarem conſtituere civitatem pretendit; cum civitas iſta ſuo juri ad iſtam partem non renunciaverit.*

## Cap. XXIX.

## *De Jure Gentium circa Conventiones.*

I.

IN ſtatu tam pacis quàm belli gentes non raró, ſed omni die conventionibus certis ſociari videmus, quâ ratione neceſſum erit, ut paulò altius inquiramus ſimul in præſenti capite, quid intuitu harum conventionum juſtum vel injuſtum ſit.

2. *Quid*

2. *Quid ſit Conventio?* habuimus anteà Cap. 15. §. 2. imò expoſuimus ibidem §. 3. ad 37. *quotuplex ea ſit?* quæ omnes diviſiones adhuc valebunt. Nam gentes vel *ſimultaneè* vel *conditionatè* conveniunt. Valent etiam apud illas conventiones *gratuitæ* & *oneroſæ*; pacta deindè *tacita* vel *expreſſa*: pacta porrò, quæ pretia rerum *non præſupponunt* vel *præſupponunt*, juxta Cap. 16. circa quæ omnia non magna difficultas reſtat. Reſtat tamen circa conventiones *publicas* vel *privatas*.

3. Verùm nos affirmamus, pacta tam *publica* quàm *privata*, quatenus anteà ex Cap. 15. § 35. deſcripſimus, hîc contrahi poſſe. Gens enim cum Gente pacta privata init, licèt non ſemper tendant ad implendum commodum publicum ſeu Reipublicæ, ſed ſaltem ad utilitatem aliquam domeſticam. De pactis publicis nemo movebit controverſiam.

4. Sed Societati Gentium adhuc plures ab aliis additæ ſunt diviſiones Conventionum. Sic conventio vel *naturalis* eſt, vel *præter-naturalis*. *Naturalem* appellant, per quam nihil aliud conſtituitur, quàm quod jam anteà juris naturalis erat, *præter-naturalem*, ubi aut officiis juris naturalis aliquid ſuperadditur, aut ſaltem præcepta juris naturæ, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinandum illuſtrantur. Hîc cum aliis exiſtimo, diviſionem hanc ad quæſtiones decidendas parum vel nihil facere poſſe. Quanquam olìm apud Ethnicos, ut alii rectè arbitrantur, majorem uſum habuerit, quia iſti licitum eſſe putabant, latrocinia in eos exercere, qui nullo fœdere conjuncti erant.

5. De-

5. Deindè Conventiones ſunt vel *æquales* vel *inæquales*. Quæ diſtinctio tamen duplicem patitur expoſitionem, ab unâ parte intuitu *partium*, quæ conveniunt, ab alterâ, intuitu *rei*, quæ promittitur.

6. Sic *paciſcentes* faciunt *æqualem* conventionem, quandò neutra pars deterioris eſt conditionis, & *inæqualem*, ſi una pars deterioris conditionis habetur v. g. in deditione quæ fit non hoſti. *Res*, de quâ convenitur, *æqualem* reddit conventionem, ſi æqualia utrinque promittuntur, & *inæqualem*, quandò æqualis proportio non obſervatur.

7. Porrò communiter etiam diſtingvitur inter Conventiones *Reales & perſonales* gentium, ubi *perſonales* dicunt eſſe, quæ cum rege intuitu ipſius perſonæ fuerunt initæ, & cum ipsô ſimul extingvuntur, *reales* verò appellant, quæ non tam ipſius regis, populive rectorum, quàm ipſius regni aut Reipublicæ intuitu ſunt initæ, ac perdurant extinctis licet rectoribus populi, penes quos adminiſtratio Reipublicæ tempore conventionis initæ erat.

8. Hîc ſanè, ſi obtinebimus, hanc diſtinctionem ex æquitate juris naturæ valere poſſe, facilè erit reſpondere ad quæſtionem aliquam ponderoſam: *An nimirum Conventio pacta exſpiret mortuô principe?* Ad quam quæſtionem tollendam videbimus anteà, quid ſibi velit dicta diſtinctio.

9. Nonnulli concedunt iſtam, ſed ſub certa limitatione, nimirùm diſtingvunt inter rempublicam limitatam & abſolutam, (ſeu ut iſti ex ſuâ hypotheſi loqvuntur, inter monarchiam ab unâ, & ariſtocratiam atque democratiam ab alterâ parte) ſtatui

quip-

quippe limitato diſtinctionem negant, affirmant tamen in ſtatu abſolutô.

10. Verùm & iſte procedendi modus non omni caret dubiô, quia exindè ad quæſtionem propoſitam ita reſpondendum eſſet, ut conventio, principe mortuô, exſpiret, quandò forma eſſet abſoluta, non verò exſpiret, ſi eadem deprehendatur limitata. Quod tamen falſum eſt, quia quæſtio etiam non rarò in ſtatu limitatô affirmanda, in abſoluto neganda videtur. Exempla enim promta ſunt.

11. Nos conſiderabimus jam neque formam neque materiam alicujus Reipublicæ, ſed ſubſiſtemus ſaltem in diſtinctionibus Conventionum, quas anteà habuimus. Ex quibus nulla alia litem tollet, quàm quæ conventionem faciebat vel publicam vel privatam.

12. Atque ita ad quæſtionem nos reſpondemus, exſpirare conventionem, principe mortuô, ſi illa fuit privata, non tamen exſpirare, ſi publica eſt, ſeu pacta in utilitatem ſtatus. Quorſum etiam ſpectant ea, quæ poſuimus anteà Cap. 24. §. 1. *Indè conventio perſonalis oritur ex conventione privatâ, realis autem ex pactô publico.*

13. Sed, dicis, *grave tamen eſt dignoſcere juſtè, an conventio publica, an privata à gentibus fuerit inita.* Imò ego dicò, grave hoc eſt, verùm habemus nos medium aliquod, quod fortè omne dubium tollere poterit. Equidem, ſuprà Cap. 15. §. 35. poſuimus, quid conventio publica vel privata ſit? Sed dicta non tollunt ſcrupulum, quæ conventio juſtè publica vel privata appellari debeat. Itaque

que aliô modô litem inchoabimus. Scilicet habetur princeps tanquam bonus paterfamilias, de quô præſumitur, ut omnia, quæ ſuſcipit, tendant in commodum ſuæ familiæ. Eôdem modô hîc concludendum eſt. Præſumitur in dubiô princeps egiſſe aliquid, ut caput Reipublicæ, quod tendat in utilitatem ejus, niſi expreſsè diſpoſuerit contrarium. Eôdem modô in dubiô conventio habetur publica, niſi vel per talem ſpecialem clauſulam vel per alias circumſtantias probetur privata.

14. Regeris porrò: *etiam multa pacta publica allegare poſſum, quæ exſpiraverint, principe mortuô.* Verùm tu meminiſſe debes, vel talibus conventionibus clauſulam fuiſſe adjectam: *valere pactum duntaxat per dies vitæ*, vel leges fundamentales in formâ limitatâ diſpoſuerunt, *exſpirare pacta per mortem principis.* Sic enim inſtitutum humanum limitavit diſpoſitionem æquitatis.

15. Hæ dictæ diviſiones omnes Conventionum non aptæ ſunt, ut ad id determinandum, quod juris naturalis eſt, ſufficerent, quâ ratione nos adhuc aliam quæremus, quam facile inveniemus, quandò modò ad priora recurrere volumus. Diximus ſuprà Cap. 27. §. 6. duplicia eſſe tempora, in quibus vivunt gentes, unum tempus *pacis*, alterum *belli tempus*: Exindè formamus novam diviſionem conventionum, quæ vel *in ſtatu pacis* vel *in ſtatu belli* panguntur, quæque ad futurum ordinem nobis dat occaſionem.

16. Antequam verò ulterius progredimur, expendenda eſt prius vulgaris Grotii diviſio conven-

tionum. Ubi primò rectè easdem diſpeſcit in *publicas* & *privatas*. Sed inſignem tamen committit errorem in ſubdiviſione conventionis publicæ, ita quippe loquitur: *Publicas conventiones, quas Græci συνθήκας vocant, dividere poſſumus in fœdera, ſponſiones, pactiones alias.*

17. Hic de fœdere & ſponſione dicemus mox, reſtat pactio, de quâ ita loquitur: *Reſtabat hîc dicere aliquid de pactionibus, quas duces & milites non de eo, quod ſummi eſt imperii, ſed de re privatâ ſuâ aut ſibi commiſsâ faciunt: Sed de his agendi opportunior erit locus, ubi ad ea, quæ in bello accidunt, perventum erit.*

18. Sed quis non videt, contraria loqui Grotium, primò enim peccavit, quòd retulerit inter conventiones publicas pactiones privatas, quod innuunt verba: *ſed de re privatâ* &c. Deindè commiſsô hôc, incidit in aliud, nimirum promittit hic, ſe agere velle infra de talibus pactionibus, ubi ad ea, quæ in bellô accidunt, perventum erit, & reſpexit ſinè dubiô ad caput: *de fide minorum poteſtatum in bello*, cujus tamen contenta nos referimus ad ſponſionem, & omnis cordatus inter conventiones publicas. Hunc tamen errorem ſoli oblivioni hujus ſummi viri adſcribimus, tantùm enim §. hunc conſcripſerat ad adſtruendam connexionem, non verò ad controverſiam aliquam tollendam, quem deindè in relegendô ut parvi momenti, fortè omiſerat.

19. Interim hæc Grotii meditatio anſam nobis dat, ut rei paulò accuratius inſideamus. Nimirum, ut mentem noſtram breviter explicemus, conventio

con-

contrahitur vel *juſſu & autoritate imperantis*, vel *ſine juſſu ejus & absq; autoritate publicâ.* Priori modô appellatur *fœdus* & *pactio*, poſteriori modô *ſponſio.* Strictius indè uſurpatur vox ſponſionis, quam ex uſu juris privati, ubi omnem promiſſionem, quæcunque modò ſit, denotat.

20. Reſtat verò adhuc dubium circa differentiam *fœderis & pactionis*, ubi nonnulli ad eam tollendam unum vel alterum poſuerunt, quæ tamen nobis haud placere poterunt, quia lis ipſis eſt tantùm circa terminos, non ut uſus aliquis practicus indè hauriendus ſit. Itaque non peccabimus, quandò hæc duo vocabula realiter non diſtincta eſſe ſtatuimus, & ſi qua detur differentia, ex uſu ſcriptorum venit, ut *fœdus* appellemus Conventionem, quæ contrahiter in pace, *pactionem* verò Conventionem, quæ in bellô pangitur.

21. Quandò itaque ad *pacta pacis* accedimus, tunc intuitu *fœderis* ſeu conventionis, autoritate ſummi Imperantis contractæ, non adeò nova dicenda ſunt, quia iterum ea obtinent, quæ anteà intuitu pactorum Cap. 15. demonſtravimus; repetemus ſolùm ex §. 30. dicti Cap. legem, quæ hæc eſt: *Fides in fœdere data eſt ſervanda.* Nam aliàs turbaretur profectò finis horum ſociorum, quem duplicem poſuimus anteà Cap. 27. §. 2.

22. Sic oriuntur illuſtres nonnullæ quæſtiones, quarum prima eſt: *An princeps fidem in fœdere datam poſſit revocare, ſi iſtud pugnabit cum utilitate Reipublicæ ſuæ?* Ubi ab initiô, ſtipatus præcipuè ex

dictâ lege, diceres, quòd hoc juſtè facere non poſſit, fides enim frangeretur. Nobis tamen, & rectè quidem, videtur contrarium ſtatuendum eſſe, quia enim omne pactum fieri præſumitur, juxta antecedentia, in utilitatem Reipublicæ, ita conſequenter tacita clauſula tali pacto ineſt, ut nimirum in tantum valeat, in quantum non inſigne malum accreſcere poterit. Indè, quandò hoc metuitur, pactum non ſolum evadit invalidum, ſed & princeps ex officiô ſuô, quô obſtrictus eſt Reipublicæ ſuæ, obligatur, ut ab illô recedat; Limitationes in exemplis videbis.

23. Secunda eſt: *An illa pacta valeant, quæ contraxit Princeps ille, cui regale fœderum per leges fundamentales ademtum eſt?* Ubi ſtatim reſpondemus, quòd non, niſi enim ſtatus vel ordines conſentiant, non obligati ſunt ad illud exequendum vel efficiendum, quod in tali pactô cautum eſt. Neque altera gens propterea bellum movere poterit, quia ſcire debuiſſet, cum illô non paciſcendum eſſe, qui ad talem actum omni poteſtate deſtituitur.

24. Tertia eſt: *An unius partis perfidia alteram liberet ab obligatione?* Quàm ſuô modô cum Grotio affirmamus, optimè enim dicit: *Nam capita fœderis ſingula conditionis vim habent, ſed hoc ita verum eſt, ne aliter convenerit: quod fieri interdum ſolet, ne ob quasvis offenſas à fœdere diſcedere liceat.* Quæ tamen omnia, ut alii rectè monent, ita capienda ſunt, ut altera pars non teneatur præſtare, quod capiti ab unâ parte neglecto reſpondebat, & ne ſimul poſitiva aliqua noxa alteri inferatur, cætera quippe in pactô ſalva manere debent.

25. Quar-

25. Quartò, ſi duobus conjuncti ſumus fœdere, quæritur: *Quis Socius alteri in contradictione ſit præferendus?* Hîc verò diſtingvemus anteà, vel enim *uterq; Sociorum* cum aliis bellùm gerit, vel id gerunt Socii *inter ſe.* Priori caſu utrisque Sociis iſtud, quod in fœdere conventum fuit, ſervare debemus. Sed poſteriori caſu placet anteà cum Grotio diſtingvere, inter bellùm, quod gerit Socius unus, *juſtum* vel *injuſtum*, ita enim loquitur: *hîc primò ſciendum eſt, quod & ſuprà diximus, ad injuſta bella nullam eſſe obligationem. Quare qui fœderatorum juſtam habet belli cauſam, præferendus, ſi cum extraneo res ſit, etiam ſi cum alio fœderato.* Poſteà & talem addit clauſulam: *Sed id ita verum, niſi convenerit hoc quoq;, ne adverſus eum auxilia mittere liceat.* Pergit porrò: *Quod ſi fœderati inter ſe committantur cauſis utrinq; injuſtis, quod accidere poteſt, utrâq; parte abſtinendùm erit.*

26. Sed quid ſi uterque juſtam habet belli rationem? Hîc Grotius ita diſſerit: *Quod ſi fœderati bellent, juſtâ quisq; de causâ, ſi utriq; auxilia mitti poſſunt, puta in milite aut pecuniâ, mittenda erunt.* Verùm nos Grotio hanc concluſionem ſtatim non negamus, loquitur enim ille ex capite de pactis ſervandis, atque exindè inſurgit his verbis: *utriq; auxilia mittenda eſſe.* Re tamen accuratius inſpectâ, arbitramur nos, in effectu hanc aſſertionem ſinè maximâ confuſione in bellô procedere haud poſſe. Quomodo enim pars una belligerans finem belli conſequi poſſet, ſi ſemper aliquis adeſſet, qui alteri ad ulterius defendendum ſe vires ſubminiſtraret, imò

 ille,

ille, qui offenſor eſt, haberet ſic media ad offendendum, ubi ille, qui ſe defendit non facilè permitteret, ut hoſti ſuo auxilia mittantur, ita oriretur certò bellum omnium contra omnes. Aliud tamen eſt dicendum in fœderibus aliis, quæ ad bellum non reſpiciunt, ibi enim dicta Grotii concedere poſſumus.

27. Quô pactô nos melius eſſe exiſtimamus, *ſi nulli parti, licèt omnes juſtè belligerent, auxilia mittantur.* Ratio quippe hujus ſtatus tale aſſertum ſecum portat. Sed dicis, *ſic obligatio tua non impletur?* Imò ego dico, non impletur quidem obligatio illa particularis, quæ orta erat inter me & Socios meos, ſed impletur tamen (non faciendo id, quod promiſſum eſt,) obligatio generalis ex fundamentali lege juris naturæ pullulans. Adverſatur enim eidem juri, & conſequenter genio moratiorum hominum ſtatuere velle, obligari ad aliquid, ex quô ſequeretur malum aliquod peſſimum, & quod moraliter planè impoſſibile eſt.

28. Pergit Grotius dictô locô: *at ſi ipſius, qui promiſit, præſentia requiritur, quæ individua eſt, ratio poſtulat, ut præferatur, cum quo antiquius eſt fœdus.* Quod tamen Grotii aſſertum de fœdere auxiliari, quorſum ſpectabant præcedentia, niſi multis diſtinctionibus obfuſcatum, intelligi nequit.

29. Interim verba Grotii ſequentia ad aliam meditationem nobis occaſionem dare poterunt, ita enim loquitur: *Sed addenda exceptio, niſi fœdus poſterius ultra promiſſionem aliquid habeat, quod quaſi dominii tranſlationem in ſe contineat, puta, ſubjectionis aliquid. Nam & ſic in venditione dicimus*

*mus priorem præferri, niſi poſterior dominium transſtulerit.* Ex quibus nos ita concludimus: *ſi ex fœderatis unus eſt Vaſallus, vel deditus, vel protectioni meæ ſubjectus, præferendus eſt ille, ſi juſtè belligerat., alteri.* Nam ita ex duplici obligatione mihi ſubjecto atque addicto magis obſtrictus ſum, quàm ad auxilia mittenda ei, qui æqualis eſt. Neque hîc etiam aliquid ad deciſionem facit diſtinctio, quod fœdus prius vel poſterius fuerit.

30. Quintò cum Grotio quærimus: *An fœdus aliquod tacitè renovatum intelligatur?* Ad quam negativè reſpondemus. Nos cum aliis ita loquimur: *Non ideò ſolùm negamus, quòd nemo præſumatur ad novum onus temerè ſeſe adſtringere, ſed etiam, quia iſthoc modo de ejusdem duratione conſtare non poſſit. Unde ſi qui poſt illud finitum exercentur actus, pro benevolentiæ magis, quàm renovati fœderis indiciis habendi erunt. Nam ſimplex utiq; amicitia etiam poſt finitum fœdus ſubſiſtit.*

31. Sequitur *ſponſio*, quæ ex eâdem lege §. 21. judicanda eſt, ac fecimus in fœdere, hîc enim ſponſio ab eô non diſtingvitur. Quid autem circa ſponſionem in ſpecie juſtum ſit, videbimus ex quæſtionibus ſequentibus.

32. Ante omnia itaque ſupponendum eſt, officium, quod afficit miniſtros illos, qui ſinè mandatô principis ſponſionem contrahere cupiunt, eſſe, *ut ne præter neceſſitatem aliquid concedant alteri, ad quod non ita obſtricti neq; coacti ſunt, imò, ubi non præter rationes conſenſus ſummi Imperantis præſumitur.* Tale enim pactum Sponſio eſt, quod ad

multa incommoda, præprimis ſi peccatum fuit à ſponſoribus in juſtum hoc temperamentum, facilè occaſionem dare poterit.

33. Indè anteà omnis movendus eſt lapis à ſponſore, ut pangat ſaltem ſponſionem *ſub conditione*, valere eam, ſi ratihabebitur à ſummâ poteſtate. Atque ita tam princeps quàm ſponſor, ſi ratihabitio non ſequitur, ab omni obligatione liberi ſunt.

34. Verùm gravior reſtat difficultas intuitu ſponſionis *puræ*, ea enim tunc demum licita eſt, ſi *ſumma adeſt neceſſitas*, & alter non niſi purè talem permittit, citra adjectam conditionem ratihabitionis faciendæ à ſummâ poteſtate.

35. Sponſione tam purè quàm ſub conditione initâ, *ad id obligati ſunt* ſponſores, ut omnem adhibeant diligentiam, ut *ratihabeat* ille ſponſionem, in cujus utilitatem iſta videbatur fuiſſe contracta. Quæ, ſi in purâ ſponſione ſequitur, res acta eſt, ſi non ſequitur, tunc in ſequentibus controverſiam tollemus.

36. Quæritur anteà, ſi ſponſor peccaverit contra temperamentum in ſpondendo, *ad quid obligatus ſit Princeps, ſi iſtam ſponſionem ratihabere nolit?* Sanè ab initiô dicendum eſt, quòd præſumatur in dubiô, per ſponſionem obligari ſummam poteſtatem, & alteri etiam competere jus perfectum ad poſtulandum id, quod ei ineſt. Itaque ut ab hâc præſumtione ſe liberet ſumma poteſtas, ſufficit *ſponſores dedere*.

37. Hæc *deditio paſſiva* eſt, eaque fit ex contractu, confer Cap. 26. §. 33. quaſi ad præſtandum interes-

tereſſe quod ex ſponſione ſitâ eâque non ratihabitâ altera pars ſenſerit, de quâ plurima Grotius ex hiſtoriâ veteri præcipuè Romanorum, ubi hæ tres, Caudina, Numantina atque Luctatiana celebres ſunt, adduxit exempla. Si itaque imperans ſeſe non ſolvit ab obligatione eâ, quâ obſtrictus eſſe alteri videbatur, dedendus eſt ſponſor, quippe ille tranſit è Civitate priori, & venit in poteſtatem ejus, cui deditur, qui ipſe videat, quomodo capienda ſit ſatisfactio ab eô, cujus fidem ſecutus inanibus pactis deceptus eſt.

38. Quandò verò & officium ſummi Imperantis hâc parte producimus, quæritur porrò: *annon obligatus ille ſit ad ſponſionem ratihabendam?* Ubi diſtingvimus ſtatim inter ſponſionem, in quâ egreſſus eſt ſponſor temperamentum vel non egreſſus eſt. Priori modô peccaret ſanè imperans, ſi in favorem alicujus privati ratihaberet factum aliquod, quod commodo Reipublicæ ſuæ adverſatur. Sed poſteriori modô, ſi rem ex æquô & bonô æſtimare volumus duabus viis obligationem implet. Vel enim ratihabere & implere debet id, quod in ſponſione actum eſt, ſi verò citra notam maximi detrimenti hoc facere nequit, convenit, ut teneatur, ad rem in priorem ſtatum, qualiter ante ſponſionem erat, reſtituendam, ut fortuna ſequens controverſiam dirimat.

39. Accedamus ad *conventiones gentium in ſtatu belli*, ubi præprimis recurrendum erit ad ea, quæ ſuprà in Capite de jure Gentium in bellô §. 88. diſſeruimus, exindè enim ea, quæ huc ſpectant, deciſionem recipiunt, adjunctis ſimul deindè eis, quæ anteà

Cap. 15. circa pacta obtinebant. Verùm ex ſuprà dictis ad ſequentia decidenda repetimus ſolùm legem: *Fides hoſti data eſt ſervanda.*

40. Interim, ſi Grotium ſequi amamus, poſſumus non incommodè ad interpretanda ſex illa Capita, quæ de fide bellicâ conſcripſit, univerſum eorum ſenſum his diſtinctionibus includere. I. *Fides* in bello eſt vel *expreſſa* vel *tacita*, ubi de fide tacitâ Grotius in ejusmodi terminis loquitur: *Silentio quædam conveniri non malè à Javoleno dictum eſt, quod & in publicis & in privatis & in mixtis conventionibus uſu venit. Cauſa hæc eſt, quòd conſenſus, qualitercunq; indicatus vel acceptatus, vim habet juris transferendi.* Ex his Grotii verbis concludo, differentiam hujus diviſionis fundatam eſſe in conſenſu, qui ſuprà Cap. 15. §. 3. 4. 5. dividebatur in conſenſum expreſſum, tacitum atque præſumtum, ita & in præſenti materiâ fidem hoſti debitam adhuc ſpecialius dividimus in *expreſſam*, *tacitam* & *præſumtam.* Sic facilè eſt probare, *quod fides debeatur illis in bellô, qui colloquium poſtulant*, adeſt enim conſenſus præſumtus, ut tum collocutores nihil patiantur, debent enim inter ſe ab omni perfidiâ vacare.

41. II. Fides in bellô eſt vel *publica* vel *privata.* Fides *publica* eſt, quæ oritur ex pactô, bellum, & ſtatum belli concernente, fides *privata* eſt, quæ oritur ex pactô non ſtatum belli, ſed conditionem v. g. militis concernente.

42. Quoad *fidem privatam*, non dubitare debemus, quaſi *non obliget ea in bello ad ſervandum*, 

*quod*

*quod actum eſt.* Et pro ſterili habetur illa objectio aliorum, qui apud Grotium arbitrati ſunt, *pacta publicè cum hoſtibus inita fidem adſtringere, at quæ à privatis fierent, non item.* Sed mallem adjeciſſent huic adſertioni rationem aliquam, ut videatur, ex quibus principiis eandem nobis perſvadere voluerint, verùm quam & ipſi fortè producere prohibentur. Nos ex eôdem Grotiô adverſus talia ſtatuentes ita loquemur: *Si ita ſtatuatur, quòd detur cædibus occaſio, libertati impedimentum: Nam & illa caveri ſæpe, & hæc obtineri à captivis, fide privatâ ſublatâ, non poterit.*

43. Quandò itaque de licentiâ talium pactorum conſtat, quæritur nunc: *quousq; ſeſe extendat poteſtas privatorum circa fidem privatam?* Ubi nos ità reſpondemus, quòd permiſſum ſit pangere aliquid cum hoſte, de quâcunque re tale pactum ſit, modò non aliquid tali pacto inſit, *quod non concedendum ſit hoſti, ſinè damno aliquo illius, cujus juſſu bellum geritur.* Atque ſic facilè judicandum eſt, quomodo ad quæſtiones huc pertinentes reſponderi poſſit, quales ſunt præcipuæ: *De fide datâ circa reditum in carcerem. In certum locum non redeundi. Intra certum tempus non militandi. Contra hunc vel iſtum non militandi.* Et quæ ſunt aliæ.

44. Hìc ſimul quæſtio alia venit ſolvenda, quam egregiam Grotius appellat: *An privati, ſi in fide præſtanda negligentes ſint, à ſuis poteſtatibus cogendi ſint eam implere?* Et cogendos verius eſſe reſpondet Grotius. Nos hoc ita procedere arbitramur, ſi legitimè & ſinè offenſione ſummi Imperan-

tis

tis fides data fuerit, nullus enim alius eſt, qui ad obligationem implendam talem hominem cogere poteſt, quam ille, in cujus degit territoriis, qui ſuus legitimus princeps eſſe præſumitur.

65. Imò, nos ulterius progrediemur, quippe ſtatuimus etiam: *Alteri jus competere perfectum ad cogendum eum principem; ut ſubditum ſuum ad fidem ſervandam adſtringat.* Talis enim, de quô jam quæritur in miniſteriô fuit ſui principis, in quô ejusmodi conditionem paſſus eſt, ex quâ obſtrictus erat, ad id pactum cum alterô ineundum. Imò præſumitur, finem hujus pacti tendere in utilitatem illius, qui morali æſtimatione hujus cauſa fuit

46. Fides *publica* duplicem habet reſpectum vel *ad perſonas*, quæ conveniunt, ubi aut *pactio* aut *ſponſio* iterum oritur; Vel *ad materiam*, circa quam conveniunt belligerantes, ubi fides publica proficiſcitur ex pactô vel *manente bello*, vel quô *bellum* finitur. Ad prius pactum retulit Grotius *Inducias, Commeatum & captivorum redemtionem.* In poſteriori pactô egit de *pacis pactione*, *de ſorte*, *de certamine condicto*, *de arbitrio*, *deditione*, *obſidibus*, *pignoribus.*

47. Hîc de pactione & ſponſione ſpeciatim aliquid peculiare dicere non poſſumus, quia omnia fluunt ex anteà §. 39. poſitis, de fide hoſti ſervandâ, exinde enim omnes quæſtiones decidendæ ſunt. Nam quæ circa ſponſionem in ſpecie obtinent, illa juxta ſuprà dicta adhuc valebunt. Reſtat itaque materiale fidei publicæ in bellô, ubi nobis ea, quæ Grotius diſſeruit, ad novas meditationes occaſionem

nem dederunt. Ad quas verò decidendas pro fundamentô iterum ponimus legem eam, ex d. §. 39.

48. Ante omnia autem quæritur: *An pacta, manente bellô, ſeu ad ſtatum belli tollendum non ſpectantia ſint valida?* Hîc cum aliis, qui eruditè circa hanc quæſtionem loqvuntur, exiſtimo, quod manifeſtum ſit, naturæ repugnare, in tali ſtatu, quale bellum eſt, admitti poſſe eadem. Nam implicat ſanè, poſtulare velle, ut alter fidem ſequatur & nihilominus profiteri, me velle iſtius hoſtem manere. Hoſtes autem ſunt, ut ex capite de bellô adhuc conſtabit, qui quâcunque viâ nocere volunt. Inde proteſtatio de non uſurpandâ adverſus alterum hoſtilitatis licentiâ, factô videtur eſſe contraria.

49. Sed inter cultiores tamen gentes non tantùm in favorem fortitudinis bellicæ, ſed & ad obtinendum iſtud temperamentum belli, de quô anteà occupavimus, receptum eſt, ut & in pactis talibus, bellum non tollentibus, fides ſervetur. Talium pactorum alii hæc recenſent: *Inducias paucarum dierum aut horarum ſepeliendis mortuis. Pactum de concedendô tranſitu per noſtra præſidia.* Item, *ut certis locis, certis hominibus, aut certis rebus planè parceretur. Ut certô tempore hoſtilitas non exerceretur. Ut certa inſtrumenta nocendi non adhiberentur.*

50. *Inducias* quod cernit, non incommodè appello eas, *Conventionem, per quam manente bellô ad tempus aliquod bellicis actibus, vel omnibus, vel aliquibus abſtinendum eſt.* Sic non opus habemus, ut diſputemus prolixè cum illis, qui ſtatuerunt, ſi

cer-

certum tempus, puta in annos 50, 40, &c. additum fuerit, quòd talis conventio non induciæ, ſed pax appellandæ ſint. Nam facilis ad hoc erit objectio, ſi enim in terminis duntaxat diſconvenimus, concederem omnia, ſecura enim pax per tale tempus eſſe debet, ſi verò in re nobiſcum diſcrimen erit, quod tamen non arbitror, commodè diſſentientibus reponere poſſumus, adverſari naturæ pacis, illam eſſe poſſe temporaneam, niſi enim pacem naturâ ſuâ æternam ſtatueremus, ſtatim prolaberemur in primum falſum Hobbeſii, ſtatuentis, bellum eſſe ſtatum naturalem ſeu ordinarium inter homines.

51. Ut autem videamus, qualis ſit inter *pacem & inducias* differentia, ſaltem ſufficiat dixiſſe jam, inducias non componere controverſiam inter belligerantes, & ita tollere jus perfectum & prætenſionem unius in alterum, nam per inducias etiam jus iſtud, propter quod bellum motum eſt, adhuc firmum manet. Indè & poſt inducias novâ indictione non opus eſt. Aliud tamen eſt in pactô pacis, hîc enim omne jus præcedens per illud tollitur.

52. Interim, ſi de *principio temporis* circa inducias quærimus, non opus habemus, ut cum Grotiô multis philoſophemur, quaſi ab illô die menſura temporis non incipere dicenda ſit, ubi induciæ factæ ſunt. Magis enim naturalius eſt, ut ſcribamus, incipere easdem eôdem die, quô placebant. Seductus tamen eſt Grotius ab exemplis, nonnunquam enim inter gentes expreſsè placitum fuit, ut inciperent craſtinô die non hodie.

53. Quia

53. Quia verò quandoque induciæ non ſtatim ubique, ubi opus eſt, publicari poſſunt, obiter addendum eſt, illos non peccare contra obligationem ictam, quibus non adhuc publicatio earum facta eſt, non enim per omnem ditionem eôdem momentô palam fieri poterit. Quare ſi aliquid contra inducias factum fuit, non illos contra fidem datam feciſſe dicendum erit.

54. Porrò & conſpicua quæſtio eſt: *quid liceat tempore induciarum?* Grotius reſpondet, *illicitos eſſe omnes actus bellicos, ſive in perſonas, ſive in res, id eſt, quicquid vi fit adverſus hoſtem: id enim omne per induciarum tempus fit contra jus Gentium.* Ubi & nos ſubſiſtimus, modò ab *actibus violentis* diſtingvamus *actus non violentos.* Stantibus quippe induciis, illud facere non prohibentur partes, quod ad bellum continuandum aliquid contribuere videtur, modò non ſit actus violentus. Sic ſeſe in locum tutiorem recipere, aut munitionibus circumdare, auxilia & commeatus procurare non prohibitum eſt, quia nulla hîc adeſt violentia. Aliud tamen eſt, ſi hæc expreſsè interdicta fuerint.

55. Verùm ſi nihil interdictum eſt, gravius adhuc eſt disquirere: *quid faciendum ſit, ſi altera pars explorare vult operas, novaq; munimenta alterius*, item: *ſi auxilia adveniunt, an admittenda ſint ab altero?* Ubi nos, præcipuè ex §. 48. reſpicientes hîc, quòd inauditum ſit, manente bellô, alteri illud permittere, quod ad bellum continuandum & commodum in eô captandum aliquid contribuere poterit, ſtatuimus, non officere induciis, ſi & mediô

tem-

tempore ædificans prohibet, ne alter ſpeculetur, quod exſtruitur, vel ſi unus non admittit illud, quod in futurum adverſus ſe prodeſſe poterit, qualia certè auxilia ſunt.

56. Si *fides induciarum* ab alterâ parte *rumpatur*, pars læſa iterum juſtè ad arma redire, nec finem induciarum expectare poterit. Dependet hæc aſſertio ex iis, quæ diximus ſuprà, ubi quæſivimus: an perfidia unius partis liberet ab obligatione ejus alteram?

57. Ab induciis differt *jus commeandi*, quod eſt privilegium quoddam, quod mediante bellô conceditur hoſti ab hoſte, ad præſtandum ſecurum itum & reditum per loca hoſtilia. Qualia privilegia apud nos appellantur *Salvi - Conductus*.

58. Circa *captivorum redemptionem* iterum nihil aliud dicendum eſt, quàm ut pretium iſtud ſolvatur alteri, quod promiſſum fuit. Neque etiam ab alterâ parte valet reſciſſio, ſi captus poſteà intelligitur locupletior, quàm credebatur.

59. Seqvuntur Pacta, *pacem reducentia*, quorum præcipuè numeramus *pacta pacis*, ubi iterum recurrendum erit ad Cap. 15. exindè enim pleræque quæſtiones huc ſpectantes deciduntur. Imò recurrendum etiam eſt ad caput, de juribus ſummorum imperantium, quia & hoc multum hîc contribuere videtur. Sic enim facilè eſt probare; *pacis factionem ſpectare in ſtatu abſoluto ad ſolum principem, & in limitato quandoq; ad ſolos ſtatus aut proceres Reipublicæ*, item: *An pacta pacis infirmentur per exceptionem metus?* item: *An cum rebellibus pax validè ineatur?*

60. *Finis*

60. *Finis* hujus pacti eſt, ut deſinat bellum, & iterum fiat pax. Indè quærimus nunc: *An pacem jam factam rumpere poſſit gens una?* Ubi Grotius hoc tribus modis contingere dicit. Primò, quandò gens una facit id, quod omni paci ineſt, nimirum, ſi vis bellica inferatur, ubi nulla nova ſubeſt belli cauſa. Secundò, quod rumpatur pax faciendo vel non faciendo contra id, quod in pace dictum eſt, ad quod genus probè cognoſcendum interpretatio pactorum adjungenda eſt. Tertiò, pacem ſolvi, faciendô vel non faciendô id, quod ſpecialis pacis natura repudiat, puta ſi fit aliquid contra amicitiam.

61, Hîc primum & ſecundum modum concedimus Grotio, negamus tamen tertium, meminiſſe enim debemus, quod diximus anteà Cap. 27. §. 10, 11, 12, 13. ubi quæſtionem decidimus, an? & quomodò jus imperfectum perfectè poſtulari poſſit? quæ dicta, ſi huc applicabis, facilè nobiſcum negabis Grotio, quod negabat dicta quæſtio.

62. Si verò, ut videtur, Grotius hanc amicitiam ſimul paci inſertam fuiſſe intellexit, tunc utique omnia Grotio concedimus. Exemplum cape in quæſtione: *An contra amicitiam ſit, ſuſcipere eos, qui ex alterâ ditione in alteram migrare volunt?* Ubi quidem ſtatim oppida & magnos cœtus excludimus, tales enim recipere non licet. Sed ſi de paucis vel aliquibus quæritur, ſtatim reſpondemus, quòd non contra amicitiam ſit ſuſcipere migrantes, *non enim naturalis tantum*, dicit Grotius, *ſed & favorabilis eſt illa libertas.* Licet in pactô cautum ſit:

*Omnem eſſe debere amicitiam inter partes.* Verùm ſi ſpecialiter hoc in pace placuit, tunc ſanè iſta amicitia tranſiit in jus perfectum.

63. Sequitur S*ors*, *certamen condictum* &c. qui tamen modi bellum finiendi, non adeò ſunt frequentes, neque procedunt ita generaliter, ut pacta pacis. Ideò diſtinxerunt nonnulli inter ea, quæ finiunt bellum *actu ſuo*, qualia pacta pacis ſunt, & quæ id faciunt *conſenſu ad aliud relatō.*

64. De Sorte ità loquitur Grotius: *Sortis aleæ ſubjici belli exitus licitè non ſemper poteſt, ſed tum demum, quoties de re agitur, in quam plenum habemus dominium. Nam ad ſubditorum vitam, pudicitiam & ſimilia tuenda, civitas & ad bonum civium tuendum, rex arctius obligatur, quàm ut omittere poſſit eas rationes, quæ ad ſui & aliorum tutelam maximè ſunt naturales. Attamen ſi verâ æſtimatione, qui injuſtô bellô impetitur, tanto ſit inferior, ut reſiſtendi nulla ſpes ſit, videtur ſortem offerre poſſe, ut certum periculum incertum evadat. Hoc enim eſt de malis minimum.*

65. *Certamen condictum* eſt prælium, quod definitô numerô hoſtis condicit hoſti. Ut verò ſciamus, quid jam dicendum ſit de eô, inquirendnm eſt in ejus finem. Ubi tamen non ſtatuere debemus, quaſi ille juſtam habuerit cauſam belli, qui Victor fuit, quia & victus eam prætendere poterit. Sed dixiſſe ſufficiat, *finem* ſolum eſſe, *cauſam belli finiendi.* Protereà ſequitur, quod talia certamina rara ſint, quia rarò gens una omnem fortunam bellicam ad unicum tale certamen ſeponere ſolet, deindè

&

& alii jam obſervarunt, difficilem habere inſpectionem, uter in ejusmodi præliis victor cenſeatur, quia hîc non obvenire poterunt ſemper certa indicia ad docendam hoſtium fugam.

66. Seqvuntur *Arbitri*, quorum duo genera facit Grotius; unum ejusmodi, ut, ſive æqvum ſive iniqvum quid pronuncient, parere debeamus. Quod genus tamen non immediatè dependet ex jure naturæ, ſed pactum aliquod ipſarum gentium præcedere ſolet, quodque dicitur *Compromiſſum*. Alterum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat, confer Cap. 28. §. 18. Alii diſtinctionis gratiâ priores appellarunt *Arbitros* ſtrictè ſic dictos, poſteriores verò *Arbitratores* ſeu *mediatores*.

67. Verùm, dicis, ſic plena manet libertas pronunciandi apud Arbitros ſtrictè ſic dictos, quia jam dixiſti, partes ab horum ſententiâ recedere non debere? Imò ego tacitam ibidem ſubintellexi limitationem: Non tantùm enim arbitrator non-compromiſſarius, ſed & arbiter compromiſſarius *ſecundum æquitatem* pronunciare debent.

68. Ab arbitris diſtingvit Grotius *Arbitri ſumtionem*, cum quis ipſi hoſti de ſe arbitrium permittit, quæ *deditio pura* eſt. Sed nos arbitramur inſuper, & deditionem conditionatam hûc ſpectare poſſe. Nam non ſolùm per deditionem puram, ſed & conditionatam bellum finitur adde Cap. præced. §. 55. ſeqq.

59. Reſtant ex §. 46. *obſides & pignora.* Quæ duo quidem non principalia illa ſunt, quæ bellum finiunt, ſed propttereà eadem Grotius adjecit, quia



Digitized by Google

acceſſiones pactorum ſunt, & modi cavendi ſecuritati pacis. Sed nos dicimus ſimul, quòd non ſolùm bellicis pactis, ſed & illis, quæ tempore pacis panguntur, accedant. Quô pactô mallem appellare acceſſoria conventionum, quæ contrahuntur inter gentes.

70. *Obſides* ſunt certa individua, quæ firmandæ obligationis causâ dantur. Reliqua, quæ circa obſides notanda veniunt, fluunt ex lege de fide ſervandâ.

71. Sed quæritur tamen à Grotiô inſuper: *quale jus ſit in Obſides?* & ita reſpondet. *Interfici obſidem poſſe diximus per jus Gentium externum, non etiam internô jure, niſi par ipſius culpa accedat.* Hîc ex ſuprà dictis obligationem juris externi negamus Grotio, verùm quoad obligationem juris interni ſeu legis naturalis eidem aſſentimur. Obſes quippe datur alteri in ſecuritatem pacti, quod ſi non ſervatur, cogendus quidem obſes eſt, ut obligatio adimpleatur, quod variis modis ſecundum conditionem obſidis fieri poterit. Nam ſi occidatur, exſpiraret obligatio alterius, qui non obſtrictus eſſet, ut ſeſe ab eâdem liberaret, priusquam ipſi obſes reſtituatur. Imò, ſi certus eſt ille, non adquiri poſſe iſtud, quod promiſſum fuit, non ad mortem obſidis properandum eſt, ſed potius videndum, ut iſte luat, vel, ſi hîc nihil extorqueri poterit, per bellum vel repreſſalias petatur, quod debetur. Omnia alia erunt dicenda, ſi obſides ipſi aliquid deliquerint, tunc enim concedemus alteri jus vitæ in eos, quod etiam agnovit Grotius alibi hiſce verbis: *non occidendos obſides, niſi ipſi deliquerint.*

72. Por-

72. Porrò quæritur: *An Civitas Civem in obſidem cogere poſſit?* Nos certè affirmamus, nam ex regali Imperantium communi adhuc notum eſt, poſſe Cives ſuos ad finem & intereſſe ſtatûs obtinendum juſtè cogere, jam, quia horum implementum præſumitur, ſi neceſſitas poſtulabit, Civis, præcipuè ſi ab alterô poſtulabitur, cogatur, ut eat tanquam obſes in cuſtodiam. Sed tenetur tamen Princeps ad repenſandum ei incommodum, quod per hoc tempus ſenſerit. Spectat huc diſtinctio inter illos, qui obſides fiunt vel *ſuâ voluntate* vel *civitatis imperiô.*

73. De aliâ quæſtione, videlicet: *An obſes in aliam cauſam rectè retineatur?* ita Grotius loquitur: *Odioſa autem eſt obſidum obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex factô alienô venit. Ideòq; ſtricta interpretatio hic locum habet, quare in unam cauſam dati, in aliam retineri non poterunt, quod ita intellige, ſi aliud quid ſine obſidum acceſſione promiſſum ſit. At ſi in aliâ cauſâ fides jam violata ſit, aut contractum debitum, jam poterit obſes retineri, non ut obſes, ſed eô gentium jure, quô ſubditi ex factô imperantium detineri poſſunt καὶ ἀνδροληψίαν, quod ipſum tamen, ne fiat, caveri poterit, adjectô pactô de reddendis obſidibus, ubi id, cujus nomine dati erunt, impletum erit.*

74. Omnia hìc plana ſunt, modò Grotius ſecuram præſcripſiſſet cautionem illis, qui id metuere poterunt ab alterô. Nam clauſula illa in pactô expreſſa de reddendis obſidibus, non tam firma eſt, quomodò videbatur Grotio, quippe tali pactô ſemper iſta per ſe tacitè ineſt. Quâ ratione nos cum

aliis arbitramur, arctius obligari alterum ad reddendos eos, ſi pacto adjiciatur expreſſa cautio: *de non retinendis obſidibus in aliam cauſam.*

75. Interim datur quandòque obſes à captivô, ut liberetur iſte ad pretium colligendum, quod ad ſuam redemptionem conventum eſt, eô verò captivô mortuô, obſes liberatur, nam in illô, dum moritur, jus pignoris exſtinctum eſt.

76. De *pignoribus* ita pergit Grotius: *Pignora quædam communia habent cum obſidibus, quædam propria. Commune, quod & ex aliô jam debitô retinentur, niſi obſtet data fides. Proprium, quod, quæ de iis eſt pactio, non tam ſtrictè ſumitur, quàm illa de obſidibus: neq; enim æquale eſt odium. Res enim natæ ſunt, ut teneantur non & homines.*

77. Hîc & nos ſubſiſtimus, exiſtimamus tamen fore melius, ſi primò dicamus, quid proprium ſit pignoribus, & deinde addamus ſaltem, reliqua omnia communia eſſe cum obſidibus, ubi nulla ſubeſt limitatio ex proprio pignoris.

78. Hîc ſubſiſtit Grotius, & cum eô plerique commentatores ſui, verùm video, hodiè inter gentes maximè quæri de *jure prætenſionum* & *juribus rerum dependentium*, ideò neceſſum eſſet, ut & hîc noſtram ſententiam aperiamus, quæ hiſce duntaxat verbis conſtabit, *quòd jura illa metienda ſint ſecundum bonam interpretationem eorum pactorum, ex quibus aliquid prætenditur.*

79. Itaque reaſſumenda iterum eſt materia interpretationis, ubi repetenda ſunt anteà, quæ paſſim, præcipuè verò in Cap. 11. §. 16. ad fin. & Cap. 16. §. 17. ad fin. poſſuimus.

80. Nam

80. Nam ſi obſcuritas obvenit *circa verba* tantùm, tunc ad declaranda ea ibidem dicta ſufficiunt. Si verò cum verbis circa *rem ipſam* dubium eſt, an in caſu pactum vel extendendum vel reſtringendum ſit, tunc & præter regulas interpretationis declarativæ progrediendum erit ad ſpecies reliquas bonæ interpretationis.

81. Sic in genere ad ritè & benè interpretanda pacta (imò in omni interpretatione) dicimus nihil aliud, quàm *ut interpres probè calleat naturam rei, de quâ quæritur.* Sic v. g. quandò inter gentes in pactô aliquô dubium obvenit, quale genus interpretationis eligendum ſit, videndum erit ante omnia, an iſtud pactum pertineat ad ſtatum belli an pacis. Si ad ſtatum belli referendum eſt, evolvendæ ſunt illæ concluſiones, quas in dictô capite & in pactis bellicis demonſtravimus.

82. Deindè ad hanc adquirendam interpretationem multum faciunt *regulæ illæ Topicæ*, de quibus alii eruditè ſcripſerunt.

83. Probè ita cognitis concluſionibus iſtis, bonus Interpres horum pactorum antè omnia videat, *an conjecturæ adſint, quæ illum vel ad interpretationem extenſivam vel declarativam ducant, vel an nullæ harum adſint.* Poſteriori modô ſubſiſtat duntaxat abſurdi vitandi cauſa *in ſolâ interpretatione declarativâ:* ubi præter ſuperiores regulas hæc ſimul inculcari poterit: *Verba ſunt intelligenda ex proprietate.* Indè nunquam hîc à verborum propriâ ſignificatione recedendum erit. Verùm ex Grotio iterum arbitramur, propriam vocabulorum uſurpa-

tionem non ex Grammaticâ, ſed ex uſu populari derivandam eſſe, ſecundum conſvetum illud: *quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.*

84. Si verò circa tale genus interpretationis verba hanc popularem proprietatem ſtatim recipere non poterunt, tunc iſta verba *obſcura* ſunt. Obſcuritas autem verborum præcipuè accidit, ſi iſta ſunt *obſoleta, noviter conficta, peregrina, ambigua.* Quomodò his præcurrendum ſit, expoſuimus per regulas Cap. 16. §. 21. ad fin.

85. Quòd ſi tamen *conjecturæ* ſvadeant aliud genus interpretationis, tunc ante omnia graviter quæritur: *quid faciendum ſit interpreti, ut juſtè procedat?* Sed hîc neminem vidi, qui tam felix fuiſſet, ut aliquid nobis perſvaſiſſet, quod nullô dubiô careat.

86. Equidem Grotius & quàm plurimi Doctores regulam propoſuerunt uſitatiſſimam: *Quò quidq; plus habet favoris, eò laxius accipiendum, quò longius abit, eò ſtrictius*, vel ut vulgariter dicitur: *Favorabilia ſunt latius, odioſa reſtrictius interpretanda.* Alii tamen oſtenderunt eruditè, non univerſalem eſſe regulam, ex multis enim exemplis hoc ab illis mutuabimur. Quid ſi in fœdere pacis conventum ſit, *Captivos utrinq; reſtitui?* Et una pars, quæ longè plures captivos detinebat, pro ſingulis ſingulos velit reddere, altera verò omnes pro omnibus: ex dicta regulâ hæc poſterior pro ſe afferet, favorabile eſſe negotium, cum ad pacem ineundam ſit directum, adeòque extendendam eſſe locutionem; prior verò urgebit, odioſum ita pactum eſſe, quæ par-

partem alteram plus alterâ oneret, atque adeò in ſe non habeat utilitatem. Aliud exemplum de lege, *frumenti exportationem* prohibente, ubi quis *farinam* exportaverat, tacebo.

87. Neque etiam valebit, ſi pacta diſpeſcere volumus, in ea, quæ *ineuntur tempore pacis vel belli*, ita, ut priora ſint extendenda, poſteriora verò reſtringenda. Quia aliquoties Grotius in eâ ſententiâ fuiſſe videtur, quaſi conventiones bellicæ ſtrictè interpretandæ ſint. Nam quis negabit & extenſivam in bellicis, reſtrictivam in pacis conventionibus obtinere poſſe.

88. Nos, extra omnes partes conſtituti, exiſtimamus, regulam Grotii de favorabilibus non ita, ſine ulterioribus meditationibus in medio relinquendam eſſe. Quamquam eandem Grotius perquam generaliter poſuerit, ita, ut in generali ſignificatione, uti jam probatum eſt, vix ad omnes caſus applicari poſſit. Nihilominus obtinebimus, quandò hîc, in ſolis pactis, omnem autoritatem legislatoris alicujus rejicientibus, reſpicimus, *primò* ad *materiam*, nam, *prout ſubſtrata materia poſtulat, ſenſus verborum vel eſt extendendus vel reſtringendus.*

89. Sed quia hæc regula neque omne dubium tollere poterit, ideoque *ſecundò* perſonæ ipſæ *paciſcentes* producendæ ſunt, ubi duæ regulæ ex regulâ generali favorabilium & odioſorum nobis ſurgunt, quarum prima ſenſum verborum extendit, ſcilicet: *In omni pacto interpretatio fit pro illo, cui aliquid per iſtud eſt reſtrictum.* Nam præſumitur in dubiô illud ejus liberæ diſpoſitioni fuiſſe re-



Digitized by Google

lictum, quod non expreſſum eſt. Regulæ tamen adjunge limitationem: *Niſi expreſſa æquitas & diſpoſitio naturalis ſuadeant contrarium.*

90. Altera regula, quæ ſenſum reſtringit, ita ſeſe habet: *In omni pacto interpretatio fit contra illum, in cujus utilitatem pactum ictum.* Iterum enim in dubiô præſumitur, eum non intellexiſſe id, de quô quæritur, & ſimul pœna hujus eſt, quia mentem ſuam debuiſſet clarius exprimere. Addere poteris limitationem regulæ præcedentis. Dicis, poterit accidere, ut utrique contrahentes utilitatem habeant ex pactô. Benè, inquam, & præſumitur *ſingularem* fore utilitatem illius, qui urget iſtud, ut pacto inſit.

## Cap. XXX.

# *De Jure Gentium circa Legatos.*

I.

NIhil adhuc ex jure Gentium reſtat, quàm obligatio illa, quæ debetur Legatis, ubi nos quærimus ſtatim, an jus Legatorum pertineat ad jus Gentium voluntarium, quorſum hæc materia ſemper adhuc relata eſt, *an verò immediatè ex jure naturæ demonſtrari poſſit?* Grotius, & quamplurimi cum illô poſuerunt iſtud inter jus voluntarium, ita enim Grotius loquitur: *Reſtat veniamus ad obligationes, quas ipſum per ſe jus illud Gentium, quod voluntarium*

Digitized by Google

*rium dicimus, induxit: quô in genere præcipuum eſt caput de jure Legationum.*

2. Quemadmodum autem jam aliquoties obligationem aliquam juris voluntarii negavimus, ita & negamus jam, imò negarunt alii. Quô pactô potius omne jus, quod circa legatos obtinet, petendum erit ex diſpoſitione juris naturæ, reliqua, quæ tamen huic capiti ſimul certis de cauſis inſeruimus, juri Gentium voluntario relinquentes. Sed à terminô incipiendum erit.

3. *Legatum* appellamus *Miniſtrum, qui à Principe ſuo mittitur ad principem alium in certum finem.* Alii, qui id addunt, quod apud Gentes, præprimis Europæas, circa legatos obſervari ſolet, ita terminum explicant, quod Legatus ſit *Miniſter ſtatus, quem Princeps unus, cui regale legationis non ademtum eſt, mittit ad alium principem, ut apud illum Sanctam ſuam perſonam juxta præcedens mandatum præbeat, annexô ſimul ad fidem & honorem habendum ſpeciali commiſſionis ſuæ teſtimoniô.* Atque ſic conſtat, non omnem miniſtrum principis alicujus eſſe legatum, quia ad hoc munus ſplendidiſſimum certus isque ſpecialis requiritur *character*, quique dicitur apud Politicos *Repræſentatio*; ex hâc ratione, quia per talem characteris fictionem repræſentat perſonam ſui Principis.

4. Quòd ſi verò latius accipimus vocabulum *Legati*, tunc ex impoſitione moratiorum gentium eos diſpeſcimus in Legatos, *quibus repræſentatio competit*, & *quibus non competit*. Ille autem Princeps, ad quem quis miſſus eſt, videre poterit hoc ex ſcri-

ptô, ut appellant, creditivô, quod ſtatim poſt adventum ſuum legatus edere debet, imò quod ipſe Princeps poſtulare poterit.

5. Hæc legatorum diviſio peperit inter eos, qui repræſentativum habent, intuitu *præcedentiæ & honoris* (non verò inviolabilitatis, ut videre poteris ex §. 91. ſeqq.) duplicem ordinem, ita ut nonnulli referendi ſint inter Legatos *primi ordinis*, ceu ut nos appellamus, unter die Botſchaffter des erſten Rangs / aliqui verò inter Legatos vel Miniſtros *ſecundi ordinis*, unter die Miniſter des andern Rangs.

6. Omnem utilitatem hujus diſtinctionis quoad *præcedentiam* regulæ includo: *quod legatus primi ordinis, præferatur Legato ſecundi ordinis, licet poſterioris Princeps præcedat Principem prioris.* Ita Rex Galliæ verſus Viennam mittit duntaxat Legatos ſecundi ordinis, quia ibidem Legatus Regis Hiſpaniæ præferretur illi.

7. Utilitas quoad *honorem* reſpicit partem *ad illum, ad quem Legatus miſſus eſt*, partim *ad Legatos inter ſe.* Ubi ſemper Legatus primi ordinis magis honorandus eſt, quàm Legatus ordinis ſecundi.

8. Non peccabimus verò, quandò occaſione hujus præcedentiæ atque honoris, qui intuitu Legatorum adhibendus eſt, paulò latius ex jure voluntariô nonnulla repetimus, in eum præcipue finem, ut videas, qualia inter Gentes moratiores, & præcipuè Europæas officia humanitatis ſolita ſint. Omnes enim, qui ſaltem obiter luſtrarunt civilitatem aulicam, unô ore profeſſi ſunt, quòd facilè ſola ea conſtaret ex ceremoniis Legatorum.

9. Inte-

Digitized by Google

9. Interim anteà ſtatim obſervandum erit, quòd dicenda intuitu civilitatis hujus non ita fluant ex jure naturæ & obligatione naturali Gentium, ut, ſi intermittantur, jus naturæ ab ipſis violatum fuerit. Nam quis tam peregrinus erit, ut ſtatueret, violaſſe principem leges naturales, ſi eam civilitatem à gentibus introductam denegaret legato alterius. Quanquam enim ex pactis tacitis inter Gentes aliquid fuerit conſtitutum, nunquam tamen id ipſum ita obligavit, ut gens úna adverſus alteram propterea prætendere potuerit jus aliquod perfectum.

10. Quia verò inter Principes, præprimis noſtros, ea Civilitas ita firmiter introducta eſt, ut, intermiſsâ eâ, non raro à negotiis maximi momenti receſſerint, non ultimum requiſitum ad conſervandam amicitiam, tranquillitatem & ad obtinendum finem Societatis hujus eſſe videtur, quandò introductæ illæ Ceremoniæ obſervantur. Itaque pro generali regulâ ponimus: *Quòd omnis Civilitas intuitu legatorum inſtituenda ſit ſecundum conditionem tam principis, à quo mittitur, quàm illius, ad quem mittitur, tam ſecundùm conſvetudinem aulæ receptam, quàm ſecundùm actus illos, qui celebrantur.*

11. Vides indè, quòd ad adquirendam notitiam hujus civilitatis non duntaxat libri requirantur (imò ego mallem eos, præter libros hiſtoricos, planè excludere) ſed quòd ſola praxis & vita aulica iſtam comparare debeant. Aulæ autem, quia variant, ita cum iſtis mirum in modum variant ipſæ Ceremoniæ. Sic non expectabis à nobis monita ſinè limitatione, ſed talia potius, quibus tu exceptiones hujus vel alterius aulæ addere poteris.

12. An-

12. Antequam verò ſpecialiter aliquid delineamus, præmittendum adhuc eſt, quòd Legati intuitu harum ceremoniarum ſit Officium, *ut principalis ſui exiſtimationem omnibus modis conſervet.* His poſitis, quilibet Legatus videbit, *ut honor ſemel exhibitus, alio tempore illi iterum exhibeatur.* Quæ cautela fluit ex regula §. 10.

13. Ne autem Princeps ille, ad quem miſſus eſt Legatus, excedat temperamentum, ita, ut ex nimiô honore dignitati ſuæ aliquid detrahatur, legato verò detur occaſio, iſtud, quod actum ſemel fuit, trahi in conſequentiam; Æquiſſimum eſt, ut *honorem temperet* tam intuitu legati primi, quàm ſecundi ordinis; quam cautelam & Legati inter ſe obſervare ſolent.

14. Quia tamen plerumque accidere ſolet, ut nihilominus præter ſolitum Legatus ſplendidiſſimè habeatur, diſtinctio placuit inter actus *privatos & publicos* Legationum, ita, ut ex eô, quod in actu *privato*, ſeu propter quem non miſſus eſt Legatus, factum fuit, nullum jus ſequatur, & exempla promta ſunt infinita, quibus veritatem hujus limitationis illuſtrare poſſem, talis quippe differentia inter actus legationis publicos & privatos eſt, licèt aliàs actus iſti privati inter publicos referendi ſint.

15. Ductu hujus differentiæ inter actus Legationis, etiam obſervandum eſt, *quòd legati, licèt ad actum privatum invitati fuerint, non ſemper comparere debeant*, & quanquam videatur ab initiô quaſi ille princeps, qui illos invitaverat, injuriâ eſſet affectus, placitum tamen eſt inter gentes, ut nonnul-

læ

Digitized by Google

læ circumſtantiæ ab iſtâ incivilitate illos eximerent, quarum præcipuæ ſunt, *lis intuitu præcedentiæ cum legato alterius principis* & *actus religioſi*, ſi legatus eſt diverſæ religionis. Non deſunt tamen exempla, ubi legatus v. g. Gallus, in precibus Evangelicorum comparuit, prætendens, ſe æſtimaſſe actum tanquam ſolennitatem politicam.

16. Alia Civilitatis genera poſſumus commodè in duas claſſes diſpeſcere, quippe aut aliquid obſervandum erit *intuitu principis*, cui legatus mittitur, vel intuitu *Legatorum inter ſe*.

17. Priori modô iterum diſtinctè procedendum erit, vel enim *debetur aliquid legato*, vel *legatus debet aliquid Principi*. Iſtud autem, quod à principe proficiſci ſolet, ſummariter in eô conſiſtit.

18. Si *advenit* legatus, ſolenniter ſuſcipitur, antequam in urbem venit, qualis honos definitô numerô definitâque qualitate perſonarum ſecundum dignitatem tam legati, quàm principis, qui legatum mittit, computari ſolet. Modus verò introducendi dependet præprimis ex receptâ & introductâ conſvetudine aularum, quæ propterea maximè variat. Sic ubi mos introducendi non viget, neque legatus cogere poterit principem, ut ſolenni ritu ſuſcipiatur.

19. Ne verò altera pars de adventu legati ignorantiam prætendere poſſit, ſi legatus cupit ſolenni modô accipi, optimum eſt, ut ille per nuncios adventum ſuum vel ipſi principi vel locumtenenti alicui denunciet, ita enim nulla alia ſubeſt ratio denegati honoris, quàm quòd princeps civilitatem iſtam intermittere voluerit.

20. Poſt-

Digitized by Google

20. Poſtquam itaque advenerunt legati, ſolent ad illos mittere principes vel ſtatim poſt adventum vel demum die proximô adventus, *qui eos ſolenniter eorum nomine ſalutent*; quod dicitur apud nos, ſie laſſen ihnen die Staats-Viſite geben. Interim hi modi civilitatis frequentiores ſunt in aulis. Sed quò ſunt frequentiores, eò partiores exhibentur. Communi quippe conſenſu hâc parte diſtincti ſunt legati in *regios* & *non regios*, ita ut regii cum nonnullis aliis, quibus & legatos Belgicos & Venetos adnumero hujus honoris ſint participes, excluſis reliquis.

21. Etiam obſervant morem nonnullæ gentes, *ut legati ex impenſis earum vivant*, qui iterum non generalis eſt, imò ſi hîc vel illîc obſervatur, tunc vel determinatè vel indeterminatè hoc faciunt gentes, præprimis tamen in eô conveniunt, quòd legatum tam diu alant, quamdiu ad ſolenne colloquium non admiſſus eſt.

22. Hæ & aliæ ſolennitates, quæ in uſu ſunt dictis temporibus, peti poſſunt imprimis ab iis, qui ad eas obſervandas & efficiendas à principibus ſpecialiter poſiti ſunt, quique communiter *magiſtri ceremoniarum* appellantur. Ejuſmodi autem homines aulæ alicui ita neceſſarii ſunt, ut ipſi conſiliarii: & videtur ille princeps, qui talem miniſtrum non publicè alit, vel parum æſtimare haſce ſolennitates, vel mediocriter ſaltem ſalutari ſeu frequentari ab Ambaſciatoribus.

23 Reſtant quidem adhuc quàm plurimæ Ceremoniæ, ſed de quibus infrà ſuô modô agemus. Hic

dunta-

Digitized by Google

duntaxat quæritur; *an & legatus illum Principem, apud quem negotiatur, præcedere poſſit?* Cujus deciſionem petere iterum poſſumus ex ſpeciali obſervantiâ locorum. Interim hoc ortum eſt, quod legatus regulariter non præcedat illum principem, qui principalem ſuum præcedit. Quandò verò principalis principem eum præcedit, tunc in aulis nonnullis, præcipuè germaniæ parum æſtimatur iſta ſcrupuloſitas. Major tamen circa eam obſervantia eſt in Galliâ, (intuitu principum regiorum, denen Printzen vom Geblüthe/qui præcedere volunt legatos principum Germanorum) Italia & apud Duces Bavarienſem, Neoburgenſem, qui locum prætendunt præ legatis etiam regiis. Imò nonnunquam valet diſtinctio inter præcedentiam in *locô tertiô*.

24. Officium *legati generale* intuitu Ceremoniarum conſiſtit præter omnem honorem, qui principi exhibendus eſt, in accommodâ uſurpatione *titulorum*. Nam notum eſt, quòd iſte legatus, qui titulum debitum principi denegat, nunquam ad ſolenne colloquium admitti ſoleat. Interim non ſolum in defectu, ſed & in exceſſu peccare poterunt legati, ideo videant iſti, ne in nimiô honore ita excedant, ut poſteà in præjudicium ſui principalis aliquid trahi poſſit in conſequentiam.

25. In Galliâ tamen, imò in Italiâ & Hiſpaniâ exceditur raro intuitu titulorum, non enim aliter appellare poſſunt v. g. Galli perſonam regiam, quam *Sire*, principem regium, & extra Galliam principem abſolutum, *Alteſſe*, alium verò principem non regium, *Seigneur*. Verùm apud nos in Germaniâ

X res

Digitized by Google

res aliam induit faciem, ibi enim ita pertinaces ſumus & nobiſcum etiam legati exteri, ut quam plurimos principes, computatis ſimul Epiſcopis, appellemus ſaltem Eure Fürſtliche / interdum Hochfürſtliche Gnade und Würden: Aliquos verò appellemus ſaltem Jhre Durchlauchtigkeit / item Durchläuchtiger Fürſt / imò tam obſtinati ſumus, ut à poſitivô valdè diſtingvamus comparativum Durchlauchtigſter Fürſt & ab eô iterum Allerdurchlauchtigſter Fürſt. Quæ titulorum diverſitas fecit, quòd legati nonnunquam exceſſerint, ita ut Galli, putantes titulum *Seigneur illuſtriſſime* exæquari termino Durchläuchtigſt / in colloquiô unô vel alterô contradictionem excitaverint. Qualis autem ſcrupuloſitas eſt intuitu principum, talis & fuit principiſſarum occaſione, usque ex vocabulô Frau formavimus Fräulein / indè pro diverſitate harum fœminarum illuſtrium hæc prædicata earum orta ſunt: Partim, Gnädigſtes Fräulein / partim Durchläuchtiges vel Durchläuchtigſtes item Allerdurchläuchtigſtes Fräulein. Aliquis legatus, qui locutus fuit cum fœminâ illuſtri, excedere nolens, contra ſtylum noſtrum ſalutabat eam continuò Eure Durchläuchtige Gnaden.

26. Occaſione horum titulorum non præterire debemus controverſiam eam illuſtrem, quæ intuitu ipſius legati ante nonnulla tempora orta eſt. Quippe prætendebant legati, & ex illis tantùm illi primi ordinis, tam à principibus eorumque miniſtris, ad quos miſſi erant, quàm ab aliis legatis in eâdem aulâ degentibus titulum *Excellentiæ*. Quæ quidem *excellen-*

*cellentia* vix convenit cum noſtrâ, quâ erudito nonnullos honorare ſolemus, hæc enim tam latè inter ſe diſtant, ac fermè diſtat cœlum à terrâ. Hæc denotat exiſtimationem gradus, non perſonæ ut vulgò creditur, qui ipſis autoritate principis impoſitus eſt, per illam verò ſignificatur honos, qui debetur perſonæ legati, principem independentem præbentis, qualem loquendi modum eleganter includimus termino conſveto *Souverain*

27. Quia itaque ex impoſitione generali iſte legatus, qui *Veſtra excellentia* appellandus eſt, in perſonâ ſuâ præbet principem independentem, officium ejus eſt, ut omnibus modis eò nitatur, ut eôdem titulô honoretur. Illi quippe debetur propterea, ſi repræſentat talem principem. Ante tractatus Monaſterienſes titulus hic ad multa diſſidia undique dabat occaſionem, ſed nunc poſt eos magis communis eſt. Sic & legati Electorum eôdem titulô decorantur.

28. Illa civilitas, quam obſervant *legati inter ſe*, componitur partim ex *Viſitatione* tam *prima* quàm *reciproca*, von Abſtattung der erſten Viſite und Contra-Viſite, partim ex *Præcedentiâ*, quæ tamen non multis laborat difficultatibus, ille enim legatus præcedit alterum ex eâ æſtimatione, quâ principes inter ſe conſiderantur. Major tamen reſtat circa *Viſitationem*.

29. Itaque ut totum proceſſum breviſſimis verbis delineemus, generaliter receptum eſt, *ut legatus adveniens à legatis præſentibus viſitetur*. Qui ipſi legati in viſitandô talem ordinem ſervant, ut ille viſitet primus, qui ex principis ſuî imitatione præ-

cedat reliquos, quem ſequatur proximus, & ita porrò. Noviter adhuc acceſſit alia ſolennitas, ſcilicet legatus adveniens mittit ad legatos præſentes Secretarium, qui illis adventum ſuum inſinuet, quæ novitas debetur legatis Galliæ.

30. Non deſunt tamen nonnullæ exceptiones à regula: quarum præcipua eſt, quòd iſta obſervantia vigeat ſolùm inter legatos regios & regiæ dignitatis, quales certè ſimul legati Electorum ſunt, ita, ut reliqui excludantur. Nam dicunt priores, quòd res inaudita ſit, eos viſitare debere legatos principis, qui longè minori charactere, quàm regius eſt, ſint affecti.

31. Aliæ exceptiones ſunt, quòd duorum principum belligerantium legati ſe invicem viſitare non ſoleant. Imò præter viſitationem omnem fugiunt occaſionem, ne conveniant in locô aliquô tertiô, quòd tamen, ſi forte fieret, non efficit, ut hoſtiliter ſeſe habere debeant, quia vis iſta bellica parum congruit cum functionibus legatorum. Item excipimus à regulâ legatos principum proteſtantium, qui Nuncium Apoſtolicum adventantem, ſinè nota incivilitatis etiam non viſitant, quia iſti Papam non conſiderant tanquam caput Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed duntaxat tanquam principem ſecularem, cujus Nunciis, præcipuè legati Electorum, præcedentiam concedere non ſolent. Quanquam exempla allegare poſſimus, quòd inter ſe in locô tertiô perquam familiariter collocuti fuerint.

32. Peractâ Viſitatione, obligatus eſt alter ad *viſitationem reciprocam*, quæ eôdem modô inſtituitur

ac

Digitized by Google

ac fuit viſitatus. Sic qui viſitavit primus, ille & præ reliquis expectet viſitationem reciprocam, eum ſequatur ſecundus, huic ſuccedat tertius & ita porrò.

33. Pene obliti fuiſſemus ſubdiviſionis legatorum, quos juxta eorum diviſionem ex §. 4. 5. in duo genera iterum diſpeſcimus. Sic Legati ſunt vel *ordinarii* (aliis dicuntur perpetui) vel *extraordinarii*. *Ordinarii* ſunt, qui ad quamcunque rem curandam ad annum vel plures perpetuò in aulâ degunt, *extraordinarii* verò mittuntur ad functionem aliquam ſpecialem. Priores ſeu ordinarii appellantur communiter *Reſidentes*, & quandoque etiam *Ambaſciatores ordinarii*, poſteriores autem dicuntur *Ambaſciatores propriè dicti*, item etiam *Ambaſſadores extraordinarii*. Quanquam nonnullis ea diviſio tanquam ſublata diſpliceat.

34. Sic prima inter hos eſt differentia intuitu negotiorum, Reſidentes quippe ad omnia, Ambaſſadores verò ad aliqua negotia mittuntur. Secunda differentia eſt intuitu honoris, ut diximus anteà. Tertia differentia conſiſtit in diverſitate ſumtuum; Lautius enim alitur Ambaſſador à ſuô principe, quàm Reſidens.

35. Galli noviter tertium genus legatorum excogitarunt, quos appellant *Envoyés*, item *Extraordinair-Envoyés*. Tales autem dicuntur ita, qui ad negotia, ad imitationem Ambaſſadorum ordinariorum vel extraordinariorum ad alium principem mittuntur, qui tamen omnes aluntur duntaxat ut Reſidentes. Atque ita cauſa originis fuit, ut principes lucrarentur magnos ſumtus, quos Ambaſſadores extraordinarii requirunt.

 36. Du-

Digitized by Google

36. Dubii generis ſunt *Agentes*, nam nonnulli repræſentativô aliquô inſtructi ſunt, nonnulli verò non. Priores mallem appellare Reſidentes, poſteriores autem Agentes propriè ſic dictos. Hi à principe aliquô, quicunque modò ſit, tam independente, quàm ab aliô dependente mitti poſſunt ad quæcunque negotia obſervanda.

37. Ejusmodi farinæ eſt vocabulum *Plenipotentiarii*, hoc enim ſumitur vel tanquam prædicatum *acceſſorium* vel *proprium*. Si *acceſſorium* eſt, denotat partim Ambaſſadorem, partim Reſidentem &c. & ſic talibus legatis nullum novum addit characterem. Quandò autem ſumitur *propriè*, ſeu quandò legato nullus aliûs character datus eſt, eandem facit conditionem cum Agente propriè dictô, cum hâc tamen differentiâ, ut Agens curet quælibet negotia, Plenipotentiarius verò ea duntaxat, propter quæ miſſus fuit.

38. Cum charactere Plenipotentiarii congruit fermè character *Commiſſarii*, nullam enim differentiam in effectu video inter eos. Quandò plenipotentiarius ſumitur propriè, ſola lis eſt quoad terminos. Ejusdem notæ ſunt *Deputati*.

39. Accedimus ad *Conſules*, quos ita commodè deſcribimus, quòd ſint mercatores vel homines alii, qui rem mercatoriam probè callent, miſſi tanquam judices & arbitri ad controverſias illas componendas, quæ inter mercatores ſuæ nationis intuitu commerciorum oriri ſolent.

40. Neque præterire debemus *Secretarios legationum*, qui diſtingvuntur à Secretariis aliis, quos

&

& ſecumducere ſolent Ambaſſadores, verùm de quibus nobis ſermo non eſt, niſi quod referantur inter domeſticos legatorum. *Secretarii legationis* verò certum ſimul habent characterem, & talem, qualem habere ſolent Agentes. Hic cauſa eſt, quòd & abſentibus legatis ſine ſpeciali creditivô intereſſe principis ſui obſervare poſſint.

41. Hæc itaque varia genera legatorum, in genere ſic dictorum conſtituunt juxta ſuprà dicta vel legatos *cum repræſentativô*, quales regulariter Ambasſadores, Reſidentes, les Envoyés & nonnulli Agentes ſunt, vel *ſine repræſentativô*, ut regulariter Agentes, Plenipotentiarii propriè dicti, Commiſſarii, Deputati, Conſules & Secretarii legationis.

42. Ex repreſentantibus *primi ordinis* ſunt Ambaſſadores extraordinarii & *les extraordinaires Envoyés*, quanquam etiam aliquando numerentur inter reliquos, *ſecundi ordinis* ſunt Reſidentes, *les ordinaires Envoyés*, atque nonnulli Agentes. Ex quibus tam prioribus quàm poſterioribus unus iterum præcedit alterum. Quandoque etiam legati ſecundi ordinis ita latè ſumuntur, ut & reliquos absque repræſentativô ſub ſe comprehendant.

43. Hæc dicta ad alias meditationes nos ducere poſſunt, ubi ſtatim non inutilis quæſtio eſt: *an plures ſimul mitti poſſint legati?* Sed hîc, ſi de poteſtate quæſtio eſt, res omni caret dubiô, ſi verò de utilitate quærimus, accuratiores arbitrantur, quòd melius ſit, mittere unum, res enim magni momenti patiuntur partim compendioſum negotium, partim unum individuum, quia aliàs, ſi plures ſunt, unus deſtruit, quod alter fabricatus erat.



Digitized by Google

44. Non tamen ſine omni exceptione regulam dicimus, ſi enim legatus jam miſſus videtur principi ſuo ſimplex, vel negotii incapax, item, ſi videtur perfidus, cautè ipſi adjungendus eſt alter. Item, ſi negotium tractatur, quod literatos requirit, legatus verò unus literis & ſtudiis iſtis non incubuit, ex neceſſitate adjungendi illi ſunt alii, qui negotium, & caſum, propter quem miſſi ſunt, probè callent.

45. Dantur tamen & nonnulli caſus, ubi ſtatim melius eſt, ſi plures horum mittantur, quales præcipui ſunt. 1. Ad ſubſcribendum id, quod in pactô pacis actum eſt, 2. ad confirmandos articulos pacti per juramentum. 3. Ad actus feudales, qui modus præprimis apud nos in Germaniâ frequens eſt, 4. ad ſolennia nuptialia vel ſepulchralia, vulgò, zu Einſegnungen. 5. Et ad reliquos actus ſolennes, ubi ſplendidè omnia celebrantur.

46. Quandò verò plures miſſi ſunt legati, orta eſt inter Statiſtas controverſia, quomodò hîc diſponenda res ſit intuitu *præcedentiæ* & *honoris*. Verùm nos facilè iſtam componere poſſumus, modò ducamus illos, qui legatis controverſiam movent, ad Creditivum, ſi enim omnes, quotquot ſunt, unô inſtructi ſunt creditivô ejuſdemque qualitatis, non interrumpitur numerus, ita ut legatus alterius medium locum inter eos occupare non poſſit, licet enim plura adſint individua, nihilominus tamen morali æſtimatione virtute repræſentativi unum faciunt corpus, quod abſque læſione exiſtimationis in partes dividi nequit. Sed præcedentia inter legatos ipſos miſſos obſervatur ita, quomodo in Creditivô ſcripti ſunt, ut primùm locatus præcederet alterum.

47. Quòd

47. Quòd ſi verò, ut quandoque fit, quilibet legatus peculiare habet Creditivum, vel, etiam quod ſi in Creditivô unô unus deſignatur Ambaſſador primi, alter ſecundi ordinis, tunc certè ex ſuprà dictis legatus ordinis ſecundi interruptô ordine cedere debet legato tertii.

48. Alia quæſtio conſpicua eſt: *An unus legatus pro diverſis principibus negotiari queat?* Sed cur non reſpondebimus ſtatim per illud vulgare: *unus nequit ſervire duobus dominis.* Quod dictum apprimè uſum ſuum habet apud tales dominos, quales domini legatorum ſunt. Regulariter enim præſumitur intereſſe principum ita diverſum eſſe, ut ex negotiô, quod tendit in utilitatem unius, proveniret neceſſariò maximum detrimentum alterius, inde impoſſibile eſt, ut legatus tam pro unô quàm pro alterô commodè atque proſperè negotiari poſſit.

49. Sed dantur tamen caſus, ubi & unus poterit ſervire duobus, quos ſi preſſius paulò conſideramus, duobus modis concedimus. I. Si principes ita ſint diſtincti, ut intereſſe unius non officere poſſit intereſſe alterius, quale exemplum recens eſt, ubi Hagæ Comitis unus legatus tam regi Poloniæ quàm duci Halſatiæ commoda agebat negotia. II. Secundô modô concedimus, ſi unus legatus miſſus eſt intuitu ſolius alicujus pacti vel offenſivi vel defenſivi ad principem, quem omnes allicere volunt confœderati, hic enim intereſſe non eſt diverſum.

50. Non omittere debemus titulum alium legatorum, quos appellamus *honorarios*, qui omnes illi ſunt, qui ad ſplendidum negotium reddendum,

 non

Digitized by Google

non verò ad ipſos tractatus, quanquam iisdem ſimul inſint, mittuntur, ita nunquam legatus honorarius ſolus negotiatur, ſed adjunctum habet ad minimum adhuc unum, per quem omnia tractari ſolent.

51. Ex his reſponderi poterit ad quæſtionem: *an mulier illuſtris poſſit eſſe legatus?* ſed rari ſunt caſus ubi mulier aliqua miſſa fuerit ſub charactere legati ad principem alium, & ſi quæ etiam fuerunt, adjunctus illis erat vir quidam vel legatus alter, qui nomine earum ageret, atque ſic erant ambaſſatrices honorariæ. Hodiè quidem vocabulum *ambaſſadricis* notiſſimum eſt, ſed denotat duntaxat fœminam legati, non verò perſonam peculiaris characteris.

52. Item huc ſpectant *legati obedientiæ*, ſeu ut vulgò appellantur, *les Ambaſſadeurs d' obedience*, quales communiter illi dicuntur, qui miſſi ſunt ad actum aliquem peculiarem poſt negotium peractum, ita ut ad illum nihil contribuerint, niſi ut adſint tantum tempore ratificationis; vel ita dicuntur etiam, qui ſolennitati alicui inſunt, ex quâ non offenditur intereſſe principis, quales ſuprà §. 45. n. 4. & 5. recenſuimus.

53. Reſtant adhuc pauca prædicata alia, ſecundùm quæ nonnulli dubitarunt, an perſonæ iſtæ, quæ tali prædicatô ornatæ ſint, gaudeant etiam vocabulô legatorum, ut ſunt: *Protectores*, *Nuncii apoſtolici*, *Heroldi*, *Tubicines*.

54. Non deſunt, qui *Protectores* retulerint ad legatos, ſed mihi videtur contrarium, quod ut ſuô modô probem, præmittenda eſt explicatio vocabuli. Eſt autem *Protector* Cardinalis, qui vocatus à rege vel

vel principe loquitur pro ejus regnô vel regione in conſiſtoriô papali. Atque ſic iſta functio maximè diſtat à functione legatorum, ut iſti ſciunt, qui ſtatum curiæ Romanæ noſcunt. Quòd ſi verò & hæc ratio non ſufficiat, quæſo! dicas mihi? an Cardinalis Protector inſtructus ſit Repræſentativô, quod tu negabis. Jam autem omnis ille, qui iſtô caret neque referendus eſt inter miniſtros primi ordinis, & ſi ad ſecundum ordinem refers, tunc dignitas iſta Cardinalium illum reſpuit. Atque ſic potius proprium genus conſtituere videntur.

55. Aliud dicendum eſt de *Nunciis*, quanquam enim illi mittantur à Papâ, nihilominus & nos (nam de Romano-Catholicis nulla controverſia eſt) iſtos nuncios agnoſcimus ut perſonas, quæ à principe independente ad principem alium miſſæ ſunt, ſic enim politicè Papam conſideramus ut principem ſecularem.

56. De *Heroldis* & *Tubicinibus* multa diſſerere non debemus, quia & vulgus ſcit, quòd iſti locum in præcedente numerô legatorum occupare haud poterint, niſi abuſivè & ſtylô vulgari legatos eosdem appellare velis. Uſus horum eſt duntaxat in bellô, ubi tanquam tabularii & interlocutores habentur.

57. Multa ſcribuntur de *perſonis* legatorum, ſed quæ non peculiare quid in ſe continent, quia homo judicii fortè non dicit, quaſi ad functionem hanc infans, ſtupidus aut ruſticus adhibendus ſit, ita in hâc materiâ non quidem prolixi erimus. Hoc tamen non prætereundum eſt, quod dicenda apprimè ad omnes

omnes illos applicari poſſint, qui valedictis ſtudiis inanibus, aulæ & ſervitiis principum ſe mancipare volunt.

58. Itaque à *nativitate* incipiendum eſt, ubi fateri debemus, quòd illi, qui naturâ nobiles ſunt, ad functionem hanc valdè ſeſe accommodent, ſed propterea non excludendi ſunt etiam illi, quibus natura non ſic favit. Temporibus ſanè præſentibus, hoc munus non rarò, ſed quotidiè obeunt ſimul literati, & ſi dicendum, quod res eſt, iſti in procurandô intereſſe principis feliciores ſunt quandoque nobilibus. Item huc ſpectat, quòd & peregrinus, imò ſubjectus illius principis cui legatus mittendus eſt, ad hanc functionem non excludatur.

59. De *ætate* nihil definire poſſumus, quia quilibet princeps perſonam eligit, hôc charactere dignam. Nos exiſtimamus, quòd ad gerenda illa negotia parum congruat ſangvis frigidus, ita homo mediæ ætatis quotidiè eligitur. Notum tamen eſt exemplum Julii Mazarini, qui annô vigeſimô ſtatus miniſtrum cum laude egit.

60. Alia conſilia nonnulli dant, puta, ut *ſtudeat legatus, ut omnibus charus ſit*, ut in *ſumptibus ſuis ſeſe accommodet ſecundum portiones illas, quæ ipſi à principe ſuo exhibentur. Ut in negotiis ſit prudens. Ut in omnibus temperans.* Verùm quæ, & quàm plurima alia dependent magis ex arbitriô partim boni Oeconomi, partim boni Politici, imò partim boni Hiſtorici.

61. De *ſtudiis* legatorum etiam non multa verba facere debemus, quia per ſe clarum eſt, quòd ad fun-

functionem iſtam non Criticus aut Philologus, ſed homo, qui talia tractavit ſtudia, ex quibus aliquid in commodum hujus functionis lucrari poſſit, requiratur. Confer interim, quæ ſuprà diximus de ſtudiis elegantibus, Interim notus eſt Cardinalis Beſſarion, vir ſuo genere perquam eruditus, qui, tamdiu profeſſor græcæ lingvæ, & interpres Ariſtotelis erat, maximam ſibi conciliabat laudem, quâ ductus Papa, illum ſub charactere Nuncii mittebat verſus Lutetias Pariſiorum, qui, poſtquam ibidem adveniſſet, primò viſitabat Ducem Burgundiæ, deindè Regem Galliæ, prætendens, *quòd prior locô, prior tempore*, fortè enim dux proxime eum habitabat. Cum verò Rex, qui erat Ludovicus XI. & deinde Papa illum corrigerent: Eum feciſſe contra morem receptum; & rex quidem, adjectis hiſce verbis: *Reverende, barbara græca genus retinent, quod habere ſolebant:* ineptè reſpondit: Conſvetudinem iſtam pugnare cum Ariſtotele.

62. Quod *mercatores* concernit, non video, cur iſti à communione hâc ſint excludendi, præprimis, quòd ſciamus, principem tales ex illis eligere, qui præter negotia ſua ad aliud quid apti ſunt, quorum & apud nos non pauci reperiuntur, imò qui facilè exæquabuntur eruditis, ſic & hodiè in Italia pro Rege Galliæ perquam feliciter negotiatur quidam, qui ante annos mercaturæ dabat operam.

63. Jam ſequitur, ut videamus etiam, *qualis Princeps Legatos mittere poſſit.* Ubi ſtatim inter legatos ipſos diſtingvimus, nam de illis, qui nullô repræſentativô inſtructi ſunt, nobis quæſtio non eſt, quia eos quilibet principes, etiam alteri ſubjecti

mit-

mittere poterit. Remanent inde repræſentantes, de quibus etiam prænotandum erit, quod ille, qui mittere poteſt Reſidentem, mittat etiam Ambaſſadorem. Ut verò quæſtioni ſatisfaciamus, præmittendum breviter eſt, *notam* juris hujus eſſe, ut de Principe poſſit prædicari *Independentia.* Aliam notam adjiciunt nonnulli, ſcilicet quod princeps ille, qui prætendit mittere legatum repræſentantem, eam neceſſariò habeat poteſtatem, ejus perſonam, ſi injuriâ aliquâ efficeretur, omnibus viribus defendendi, vel eum, ad quem legatus miſſus eſt, obligandi, ut injuriam ipſi in perſonâ legati datam reparet.

64. Multæ aliæ quæſtiones hîc proponuntur ab aliis: puta, *an princeps ex regnô depulſus, legatos poſſit mittere?* Secundò, *an princeps, qui regnum abdicavit?* Tertiò: *an ille, qui viis & mediis injuſtis occupavit ſtatum?* Quas & plures alias commodiſſimè dicidere poſſumus, ſi modò diſtingvimus inter diſpoſitionem juris naturæ, & exempla juris voluntarii. Quid enim ex jure naturæ reſpondendum eſſet, illud patebit ex iis, quæ in materiâ Rerumpublicarum paſſim diſſeruimus. Verùm ab alterâ parte pleraque exempla patent, ubi apud nonnullos horum legati ſine diſputatione aliquâ admiſſi ſunt.

65. Neque amplius dubitare debemus, *an Vice-Reges & Vice-Principes ablegandi jus habeant?* quia iterum exempla juris voluntarii nota ſunt. Hæc duntaxat intercedit differentia, quòd legati iſti, qui mittuntur à Vice-Rege neque characterem habeant repræſentativi, neque locum aliquem inter legatos primi ordinis. Quod cauſa eſt, ut tales potius indiſtinctè Deputati vel Commiſſarii nominandi ſint.

66. De

66. De jure legationum, *quod principibus Germaniæ competit*, plenâ manu agemus alibi commodius.

67. Ex alterâ parte non difficilis quæſtio eſt, *ad quem legatus mitti debeat?* Nam, prout audiemus ex ſequentibus, principes inter ſe non poſſunt quotidiè præſentes colloquia inſtituere, ideò mittunt ſub charactere repræſentante tales perſonas, ut negotia nomine eorum ſuſciperent. Atque ſic facilè poſſumus reſpondere, quòd mitti ſoleant legati ad principes alios, non verò ad ſubditos principis alterius.

68. *Res illa, propter quam* mittitur legatus, in genere fluit ex fine illô, quem habent gentes inter ſe, ubi ſtatim ſeſe exerit officium legatorum, ut nimirum omnibus viis laborent, quomodò iſte non tantùm conſervari ſed & obtineri poſſit. Spectat huc diſtinctio inter *inſtructionem generalem*, quæ vult, ut omnis amicitia finisque in genere conſervetur, vel *ſpecialem* ſeu ad certum negotium ſpectantem, v. g. *mediationem*.

69. An *Inſtructio* in munere hôc neceſſaria ſit, non multis diſputare debemus, quia quilibet, reputans modò, quale hoc negotium ſit, nobis ejus neceſſitatem facilè concedet. Illa quippe eſt medium, cujus virtute legatus ſcit, quid ipſi faciendum ſit, quod intentioni principalis congruere debeat. Longè melius itaque faciunt legati, ſi hanc ipſam urgent, ut exinde in negotiis ſuis ſecurè procedant.

70. Poſt inſtructionem ſeqvuntur *literæ credentiales* ſeu *Creditivum*, in quô ipſi legato, antequam mittitur, deſignatur qualitas ſui characteris. Literæ

ræ ipſæ conſcribuntur vel in *concilio cancellariæ*, & tunc ſubſcriptæ ſunt à Secretario cancellariæ & obſignatæ ſigillô hujus concilii, vel in *locô principis*, im Fürſtlichen Cabinet, ubi ſubſcriptio ſequitur à principe ipſo. Hi duo modi variant, prout conditio fert illius, cui legatus mittitur, vel prout ibidem receptum eſt.

71. Quanquam aliàs Creditivum ſit accidens ſaltem legationis, ita, ut ſalvâ eâ abeſſe poſſit, nihilominus jam tranſiit iſtud hodiè quaſi in eſſentiale ejus, quia nullus princeps cum legatô, qui eô non inſtructus eſt, negotia inchoare ſolet. Inde vulgaris conſvetudo de *exhibitione* Creditivi.

72. Nunquam tamen aliquid certum circa eam exhibitionem conſtitutum eſt, quia adſunt exempla, quòd fecerint iſtud vel ante viſitationem, vel poſt eam, vel ante colloquium vel poſt illud.

73. Succedit *Mandatum*, quod in eo ab inſtructione differt, quòd inſtructio ſit quaſi mandatum tacitum, quod non edere debet legatus, ſed in commodum ſuum conſervat, mandatum verò ſit iſtud inſtrumentum, per quod legato in negotiis ſuſcipiendis & concludendis fides habeatur, quod proptereà, ſi poſtulatur, edere debet.

74. Ipſum mandatum vel *generale* vel *ſpeciale* eſt, ſed de ultimo jam obſervarunt alii, quod multis limitationibus & exceptionibus non debeat eſſe accumulatum, quia vix pars altera hôc modô ad negotia progredi ſoleat & quod protrahantur ea, imò legatus quotidiè novis mandatis egeat.

75. Quan-

75. Quandò hæc omnia geſta ſunt, progrediendum eſt ad *Tractatus*, ubi eò laborare debet legatus, ut, quantum fieri poſſit, immediatè cum ipsô principe, vel ſaltem in præſentiâ ejus cum aliis negotia habeat, ſed quia principes non rarò per certas rationes ipſis ſeſe ſubducunt, contenti eſſe debent, quandò vel cum illis, qui propterea à principe miſſi ſunt, vel cum eô, qui directorium aulæ habet, coëant. Ut in Galliâ adhuc & præcipuè temporibus horum Cardinalium de Richelieu & Mazarini: Vel apud Turcas in Divanô coram ſupremo Vicieriô.

76. Modus autem tractandi duplex eſt, vel enim *oretenus* omnia peraguntur, vel *in ſcriptis*. Si *in ſcriptis*, tunc iterum duo modi ſecundum conditionem negotii obſervantur, vel enim in *ipſis Tractatibus* occupati ſunt, vel agitur aliquid *extra eosdem*. Si oretenus, tunc res peragitur vel per aliquam *Conferentiam* cum miniſtris, vel per *Audientiam* coram principe. De quibus omnibus procedendi modis nunc ſpecialiter agendum erit.

77. Quod *Tractatus* concernit, numerantur horum tria membra, ſic enim ſeorſim ſpectanda ſunt *Præliminaria* tractatuum, *Tractatus* propriè ſic dicti, & deniquè *Ratificatio*, poſtquam tractatus propriè ſic dicti ſunt finiti.

78. *Præliminaria* conſiſtunt in ſolis complimentis, ceremoniis, competentiis &c. de quibus propterea nihil aliud dicendum eſt, quàm quod æquius ſit, ſi iſta, quantum fieri poſſit, abbrevientur. Aliàs enim tempus nobile labitur, atque ſic non rarò maximum alicui Reipublicæ accedere poterit detrimentum.

 79. His

79. His ritè compoſitis, legati progrediuntur ad *Tractatus* ipſos, ubi modus procedendi fermè convenit cum noſtrâ litigandi conſvetudine circa cauſas forenſes. Primò enim præcedit *Propoſitio*, hanc ſequitur *Exceptio*, iſtam *Replicatio*, denique *Duplicatio*, illam *Triplicatio* & ſic porrò. Quanquam non ſemper iſta ſcrupuloſitas attendatur.

80. Hîc venit notanda admonitio illa, quæ dicitur communiter legatis, quòd ſeſe ita in tractatibus habere debeant, quaſi boni & aſtuti advocati, qui ſeſe ad tempus accommodare ſtudent. Sic & legatus hiſce in occaſionibus vigilans eſſe debet, ut conjuncturas tam temporis in genere, quàm in ſpecie, quibus ſtatus principis ſui afficitur, callidè & ſapienter ponderet.

81. Tractatibus abſolutis, ſequitur tandem, ſi neceſſitas negotii requirit, *Ratificatio*, ubi ea, quæ geſta & placita ſunt, ſolenni modô ſubſcribi & quandoque juramentô confirmari ſolent. Ubi in ſubſcribendô obſervatur ordo præcedentiæ & dignitatis principalium, non legatorum, an primi vel ſecundi ordinis ſint.

82. Alter modus procedendi in ſcriptis extra tractatus fit per *literas memoriales* durch Ubergebung der Memorialien / quæ negotiandi ratio uſitatiſſima eſt, neque etiam promtitudinem magnam requirit, quia omnia facilè domi præmeditatè concipi poſſunt. Reſponſio ad tales literas dicitur *Reſolutio*.

83. De *Conferentiis* nihil novi dicendum eſt, quia omnia cum dictis intuitu Tractatuum conveniunt, quô pactô non rarò termini ſynonymicè uſur-

uſurpantur, ſola differentia eſt, quòd hîc ore, ibi calamô tractatio fieri ſoleat.

84. Succedunt *Audientiæ* ſeu colloquia legatorum cum principe. Diſtingvimus autem easdem in *ſolennes* ſeu *publicas* & in *minus ſolennes* ſeu *privatas*. Publicæ audientiæ ſecundum peculiares aularum conſvetudines variè ſolent inſtitui, ſecundum ſolennia, quæ à gentibus obſervantur. Sic peculiaris eſt modus *introducendi* ad colloquium, peculiaris *in actu ipsô*, imò peculiaris, *eô peractô*.

85. In introducendô ſolent adeſſe ſecundum dignitatem principis, cujus legatus eſt, principes, vel primi miniſtri ſtatus, qui eum ſolenniter introducant. In actu colloquii partim ambo, tam princeps quàm legatus caput pileô tegunt, vel princeps tantùm, vel nemo horum. Differentia cognoſcitur ex exiſtimatione ipſorum principum, an nimirum *æquales* an *inæquales* ſint.

86. Cave tamen intelligas, ac ſi omnes indiſtinctè legati huc applicari poſſint, obtinet enim jam diſtinctio inter legatos primi & ſecundi ordinis. Priores duntaxat dignatur princeps colloquiô publicô, poſteriores verò nunquam vel raro iſtô honore affecti ſunt, pro illis enim remanſerunt usque adhuc colloquia privata.

87. Reſtat ut proponamus ſimul illuſtrem eam quæſtionem: *quâ linguâ uti ſoleant legati in negotiis ſuis?* Ubi, præcipuè hodiè inter gentes Europæas extra Germaniam, legati principum Germaniæ, imo aliorum principum, lingua utuntur partim gallicâ, partim latinâ, adjectô tamen exemplari



Digitized by Google

linguæ vernaculæ. Non tamen video, cur peririe deberet negotium, ſi legatus ſuâ duntaxat lingvâ utens iſtud inchoaret. Nam apud multos populos receptum eſt, quòd non ſoleant tractare cum legatis, niſi in linguâ propriâ, quales præcipuè Turcæ ſunt.

88. Sequitur, ut tandem ad controverſiam intuitu legatorum utiliſſimam, quæque è ſolô jure Naturæ pendet, accedamus, ſcilicet diſputarunt usque adhuc viri eruditi maximè de *inviolabilitate* legatorum, quam ut breviter & perſpicuè decidamus, præmittenda ſunt anteà duæ neceſſariæ quæſtiones de *origine & neceſſitate* legatorum.

89. Equidem *originem* non longè derivare debemus, quia dixiſſe ſufficiat, quòd functio legatorum ortum ſuum traxerit cum origine Societatis Gentium. Quia enim Socii iſti ad obtinendum ſuum finem non raró, ut in capite præcedente audivimus, convenire ſoleant, quibus conventionibus cum non ſemper præſentes eſſe poſſint, ideo per tales miniſtros perſonas ſuas repræſentant, ut illis fides habeatur.

90. Neque *neceſſitatem* longè repetere debemus, quia tu ipſe ſcis, quale incommodum oriretur, ſi principes (ex quibus quandoque unus ab alterô, cum quô paciſci cupit, longè diſtat, imò ex quibus unus eôdem tempore cum pluribus rem habet, quibus omnibus præſens eſſe nequit) ipſi ſemper convenire deberent, ſic ad ſuſtinendam amicitiam & ad finem Societatis gentium obtinendum, maximè requiruntur ejusmodi perſonæ, quæ hæc omnia pro principibus agere ſolent.

91. Si

Digitized by Google

91. Si itaque de legatorum *inviolabilitate* aliquid dicendum eſt, non poſſum non inter ipſos legatos anteà diſtingvere, vel enim ſermo eſt duntaxat de *legatis repræſentantibus*, vel *non repræſentantibus*, de quibus prioribus hîc non quidem requirere volumus, ut ex diſpoſitione noſtrarum gentium ſolennibus literis credentialibus ſint inſtructi, modò ſimul aliunde conſtet, quòd princeps in perſona ablegati ſuam ſanctam perſonam præbere voluerit. Neque intereſt, an ſint primi vel ſecundi ordinis.

92. Loquemur inde prius de iſtis legatis, qui per fictionem principem repræſentant, qui hujus virtute omnia illa jura conſeqvuntur, quæ ſpectarent ad principem ipſum, aliàs enim nullus eſſet uſus iſtius fictionis, quæ ipſis à principe eſt impoſita. Atque ſic lex juris naturæ oritur: *legati ſint inviolabiles*, cujus legis ratio dependet partim ex §. hoc, partim ex §. 89. & 90.

93. His præmiſſis, nova oritur diſtinctio legatorum in *nocentes & innocentes.* *Nocentes* appellamus, qui tempore legationis committunt aliquid, per quod vel ex quô detrimentum & incommodum adfertur alteri. *Innocentes* ſunt, qui per tempus ſuæ functionis, non committunt aliquid, quod cauſa ſit, ut jura inviolabilitatis rumpantur.

94. Spectat huc alia diviſio legatorum inter *Togatos & Sagatos*, ubi priores illi ſunt, qui mittuntur tempore pacis, poſteriores autem, qui adveniunt tempore belli, atque ſic horum fundamentum eſt duplex ille ſtatus gentium, in quô vivere ſolent ſtæ.

95. Jam incipiemus de legatô *innocente Togatô* cujus inviolabilitas à nemine negabitur. Si enim ex officiis quorumlibet erga quoslibet loquimur, dependet aſſertionis veritas ex lege, *neminem eſſe lædendum*, quia omnes homines ad eam ſervandam indiſtinctè obligati ſunt; Si ex officiis gentium loquimur, eadem valebit, quia, prout diximus, in jure gentium intuitu pacis, iſti Socii officia ea generalia ſeqvuntur.

96. Hîc incidit quæſtio: *quid faciendum ſit, ſi talis legatus innocens à plebe fuerit inſigniter injuriâ affectus?* Hîc nihil aliud dicendum erit, quàm ut iſti offeratur debita ſatisfactio, quæ ſecundum circumſtantias variô modô accidere poterit, prout injuria facta eſt. Sic notum eſt illuſtre exemplum hodierni Regis Galliæ, qui, poſtquam in perſonâ legati ſui ducis Crequii in aula Romana à Corſis graviter fuiſſet læſus, obligabat Papam, ut ad injuriam eam refundendam ipſi Romæ Columna cum inſigni inſcriptione in ſempiternam gloriam hujus Regis, erigeretur. Spectat huc quæſtio: *quod princeps unus contra alterum bellum inchoare quandoq; poſſit propter injuram contra legatum ſuum commiſſam.*

97. Circa legatos *innocentes Sagatos* ſtatim præmittendum eſt, quòd ſentiant alii, qui diſtingvunt inter tempus *ante* & *poſt admiſſionem*: ita ante admisſionem concedunt planè jus vitæ & necis, ex eâ ratione, quòd hoſtis hoſtem lædere poſſit, inde ſi interficiatur talis legatus, violarentur ſolùm officia humanitatis, non verò præceptum de non lædendis aliis. Poſt admiſſionem tandem docent ſecuritatem ipſis manere firmam.

98. Ve-

Digitized by Google

98. Verùm nos ex aliô fundamentô negamus illis hunc procedendi modum, & tollimus planè effectum hujus diſtinctionis iſtô in caſu. Certè enim valet & hîc diſtinctio noſtra, ſuprà poſita, de perſonis in bellô nocentibus & innocentibus, cur enim & ante admiſſionem ille legatus innocens, de quô quæſtio erat, interficiendus eſt, cum tamen ut legatus neque phyſicè neque moraliter nocuerit.

99. Reſtant legati *nocentes*, quorum noxa duplici modô conſiderari poterit, partim quatenus *nocent principi* & *Reipublicæ*, in quâ degunt, partim prout committunt aliquid in *privatos*. Prior nocendi modus triplici modô ſeſe exerit. 1. quandò legatus delinquit aliquid injuſſu principis ſui, 2. quandò quid committit ex mandatô principis ſui. 3. Quandò princeps aliquid ſuſcipit contra principem alium, apud quem ſuus legatus reſidet.

100. Circa primum modum, ſeu quandò citra juſſum principalis aliquid committit, probè conſideranda erit qualitas delicti, an, ut alii optimè loqvuntur, videlicet ſit *manifeſtum* vel *atrox*, an *non manifeſtum* vel *leve*. Ubi circa *non manifeſtum* pronunciant, quòd propterea legatus lædi non debeat, quia, ut dicunt, contra ipſum nulla inquiſitio poſſit inſtitui, & circa *leve* ſtatuunt, quòd hoc condonandum potius ſit & diſſimulandum, addimus tamen, modò tale delictum ſit, quod princeps diſſimulaverit, ſi ab ipsô principali fuiſſet admiſſum. Idem eſt dicendum de crimine *manifeſtô*, quod tamen fuerit *leve*.



Digitized by Google

101. Vides inde, quòd omnis controverſia reſideat nunc in genuinâ explicatione & diſtinctione horum duorum terminorum. Inde neceſſariò terminorum vis evolvenda prius eſt. Sed à crimine *atroci* incipiemus, illud appello, quod tendit partim ad interitum vel mutationem Reipublicæ, vel ad perſonam principis ipſius, vel ad corrumpendos ſubditos. Reliqua crimina, quæ hujus farinæ non ſunt, ſpectare poterunt ad delicta *levia*.

102. Si itaque crimen fuerit *atrox*, ſtatuimus, ejusmodi legatum tranſcendere ſphæram ſuæ functionis ſuique officii, quia propterea à principali ſuô non miſſus eſt, ut noceat. Quô pactô amittit characterem ſui principis, & certè meretur, ut habeatur, tanquam rebellis, qui ſolâ internecione dignus eſt. Neque malè dictum eſt, p ti poſſe eum, ſi evaſiſſet, ut dedatur, vel ut ab alterô puniatur.

103. Circa legatum, qui *atrociter nocuit ex juſſu principalis ſui*, ſentio cum aliis, qui ſecurè conſulunt, ut tamdiu legatus vinculis vel cuſtodiâ, prout delictum atrox fuit, conſtringatur, donec ipſius legati principalis ſatisfaciat.

104. Tertius modus, *ſi princeps aliquid commiſerit, inſciô legatô*, non poterit imputari ipſi, quia præter id, propter quod miſſus erat legatus, nullum jus in perſonam ſuam poterit prætendere, & ſufficiat, ut honeſtè dimittatur. Remanet tamen parti læſæ jus ad poſtulandam ſatisfactionem à principe ipsô, qui læſerat.

105. Quòd ſi legatus *nocuerit privato alicui*, tunc crimen leve, iterum quantum fieri poterit, diſſimulan-

landum erit, ſi iſtud verò atrox ſeu grave eſt, non judicandus eſt ut hoſtis, ſed potius lentis mediis ab ipsô petatur ſatisfactio, quæ, ſi non ſequitur, res veniat ad principalem, qui illum vel puniat, vel dedat, vel pro illô ſatisfaciat. Dependet inde quæſtio: ***An legatus in cauſis talibus privatis jurisdictioni territoriali ſit ſubjectus.*** Quam facile ex præcedentibus negabis. Dantur tamen exempla affirmantia, ubi legati ſeipſos eidem ſubjecerunt.

106. Reſtant legati ***non repræſentantes***, qui, ſi *innocentes* ſunt, eôdem gaudent jure ac antecedentes, ſi verò ***nocent***, quod fieri poterit juxta modos §. 99. citatos, in arbitriô læſi eſt, quid cum illis facere velit, quia, licet occidantur, non violabitur jus gentium.

107. Cæterum ***domus & familia*** cum perſonâ legati etiam adhuc inviolabiles ſunt, uti dicitur, ***acceſſoriè***, quanquam jus iſtud magis inclinet ad jus voluntarium, quàm naturale. Gentes tamen iſti conſvetudini ita firmiter inhærent, ut quandoque maximæ controverſiæ propterea ortæ fuerint. Spectant huc quæſtiones duæ. ***De libertate exercitii Religionis, quâ gaudent legati in domô ſuâ.*** item: ***an Jus aſyli ſit in domum legati.***

108. ***An autem legatus aliquis ſit inviolabilis intuitu tertii?*** difficilis quæſtio eſt. Nos ad eam reſpondemus diſtingvendô inter tempus admiſſionis, ſic ſi jam admiſſus eſt in aulâ, vel in regione aliquâ pro legatô agnitus, pro inviolabili habetur, ſi nocuerit.

109. Duæ reſtarent materiæ, puta de ***admiſſione*** legatorum, & ***Salvô conductô***, ſed quæ fiunt præci-



Digitized by Google

puè ex jure voluntariô. Nos ſaltem, ſi æquitatem reſpicimus, dicimus, quod legatis nunquam ſine juſtâ causâ denegandi ſint. Et ſi denegantur, peccat alter ſaltem contra officia humanitatis.

110. Ultimò legatus quis *eſſe deſinit* præter modum naturalem, ſi moritur, duplici modô, partim intuitu *functionis* ſeu *negotii*, partim intuitu *relationis* de *negotio*. Prior modus fit, ſi id actum eſt, propter quod miſſus fuit, vel ſi revocatur à principe, poſterior modus accidit, ſi negotii ſui reddit rationes coram principe, ubi & deſinit character ejus.

# CAP. XXXI.
## *De Officiis viventium erga mortuos.*

I.

PEnè obliti fuiſſemus capitis, quod Grotius juri gentium inſeruit, *de jure* ſcilicet *ſepulturæ*. Verùm jus iſtud cum jure noſtrô gentium communionem aliquam habere nequit, quia deficiunt illa, quæ ſuprà jus gentium faciebant. Neque ipſe Grotius, & cum eô multi doctores hâc parte contra nos pugnarunt, quia exiſtimarunt ſolummodò, jus ſepulturæ dependere præcipuè ex jure gentium voluntariô. Sed quia nos tale jus non agnovimus ſuprà, ita nec jam agnoſcimus aliquam ejus obligationem exindè venientem.

2. Sed videamus tamen corollarii quaſi locô, *quid de officio viventium erga mortuos in jure natu-*

*ra*

*ræ ſtatuendum ſit?* Ubi alii ex Platone referunt, ſtatuiſſe eum *tria genera juſtitiæ.* Unum *circa Deos*, ſecundum *circa homines*, & tertium *circa defunctos.* Quanquam itaque hic philoſophus, ut iſti & multi alii arbitrantur, officium erga mortuos deduxerit duntaxat ex illâ opinione, quaſi *animæ hominum eſſent partes divinæ eſſentiæ*, quæ, licet ſeparatæ per mortem eſſent à corpore, nihilominus curam adhuc habeant rerum humanarum, imò quaſi virorum honoratiorum animæ dæmones fierent, quorum in univerſum ſepulchra ſint colenda & adoranda.

3. Exiſtimamus tamen, miſſâ verò animâ Platonicâ, triplicem iſtam juſtitiam non omni carere fundamentô. Quod enim priora duo genera concernit, non opus eſt, ut plura addamus nunc, quia demonſtravimus, fluere & convenire ea cum lege noſtrâ fundamentali juris naturæ. An autem officium erga mortuos inde fluat? videbimus.

4. Quærimus anteà: *Quid faciendum cum hominibus, ſi mortui ſint?* Hic ſanè omnes omninò reſpondebunt quod ſpectatoribus non exponi debeant, vel cuſtodiri, ut aliquid rarum vel charum. Nam niſi cadavera condiveris, fœtor & alia incommoda te cogent, ut iſta relinquas. Ideò cum cadaveribus nihil aliud erit diſponendum, quàm *ut in locum aliquem conferantur, ubi iſtud à vivis ſuperſtitibus non metuendum ſit.*

5. Poſitis his, facilè nunc eſt, nos probaſſe, *officium viventium erga mortuos conſiſtere in eo, ut mortuorum cadavera in locum certum reponantur, ex*

quo

*quo nullum incommodum viventes ſentire poterunt.* Atque ſic non difficulter reprimendi ſunt iſti, qui ſtatuerunt, officium iſtud reſpicere immediatè ad mortuos. Si enim ſpectabis *cadaver*, ipſi concedere debent, hoc nullius juris & obligationis eſſe capax, ſi *animam ſeparatam*, ratio tibi relicta eam ignorat, imò ignorat, qualis obligatio animæ debeatur. Itaque melius eſt, ut ſubſiſtamus in adſertione, reſpicere obligationem ſolùm *partim ad me ipſum*, partim *ad alios homines viventes*, non verò ad mortuos, quia ipſis homines naturaliter non ſunt obligati.

6. *Quomodò autem hæc repoſitio fieri debeat*, jus naturæ nihil determinavit, inde licebit ex iſtô jure mortuos *cremare*, *terræ mandare*, *in aquam projicere*, *beſtiis objicere* &c. quia omnibus hiſce modis obligationi fit ſatisfactio. Imò anthropophagi olim & hodiè ipſos devorant.

7. Non deſunt tamen, qui *pro ſolô jure ſepulturæ* pugnaverint, confundentes ſic rationem cum arbitriô hominum. Volunt, ut cadaver humanum in locis terreſtribus aſſervetur ſemper, proferentes duplicem præcipuè rationem, quarum prima eſt: *ob ſpem futuræ reſurrectionis*, altera verò petitur *à dignitate hominis*.

8. Sed quoad priorem reſpondemus illis, ita non reſurrecturos eſſe eos, qui in aquam immerſi, & qui devorati fuerunt, quoad poſteriorem verò arbitrarer ſanè, dignitati hominis magis congruere, quandò mortui omnes devorarentur, quia non dignius ſepulchrum noverim.

9. Inte-

Digitized by Google

9. Interim tamen certum manet, morem Chriſtianorum, quô ſolenni ritu mortuos ſuos terræ mandant, juri naturæ non repugnare, ſequentem ductum naturæ, quod hominis corpus, ex terrâ ortum, terræ iterum debeatur. Et quia ad principem ſpectat, quousque hîc aliquid determinare vel mutare velit, facilis erit deciſio nonnullarum quæſtionum, quas per diſtinctionem inter diſpoſitionem juris naturæ & principis tollere poteris, quales ſunt, *An & ubi illi, qui ſe interfecerunt ſepeliendi ſint? An & ubi inſigniter facinoroſi? An & ubi hoſtes?*

10 Interim non poſſum non locum præterire *viri* alicujus *ſummi*, qui dicta noſtra, & præcipuè §. 4. 5. maximè illuſtrabit, ita eam loquitur: *Simplicius eſt, ſepulchra primum inventa eſſe ad removendum fœtorem, ex cadaveribus provenientem, non principaliter defunctorum causâ, quod eis alias facilis ſit jactura ſepulchri. Et huc ſcilicet pertinent interdicta & prohibitiones, ne in civitate ſepulchrum fiat. Quemadmodùm igitur brutorum cadavera ideò terrâ obruimus, ne ex fœtore aër inficiatur: ita non alia videtur eſſe origo humanæ ſepulturæ, niſi quod benignius de eâ, & ut Chriſtianos decet, ſentiamus atq; loquamur.*

CAP.

Digitized by Google

# Cap. XXXII.

## *De Applicatione legum naturalium.*

I.

ATque ſic feliciter demonſtravimus ex fonte ſuô leges naturales, reſtat pars altera juris hujus, quæ leges demonſtratas debitô modô applicare docet, quæque nobis æque neceſſaria eſt, ac erat pars prior. Non enim ſufficit, noſſe, quid voluntas DEI ſit? & quid ſint leges naturales? niſi & illa & iſtæ debitô modô ad praxin referantur. Imò ſtudium Jurisprudentiæ, quod practicum eſt, requirit, ut cognitis legibus ſemper ad exercitium progrediamur.

2. Nos itaque nominamus *Applicationem* legum naturalium: *Operationem hominis, per quam de actionibus hominum moralibus judicium fert, an ſint juſtæ appellandæ, an injuſtæ?*

3. Notanter autem dixi *hominis* non *Jureconſulti*, quia ſic controverſiam tandem componere volui, quam ſtatim ſub initium hujus tractatus propoſui: *An nimirum diſciplina juris naturæ ſpectet ad Jureconſultos, an non?* Jam enim commodè diſtingvo inter juris hujus partem illam, quam appellavi *Demonſtrationem* & *Applicationem*. *Demonſtratio* certè legum naturalium ſpectat ad ſolos Jureconſultos, hocque, ut opinor, ſuô modô deduxi in Capite primô & ſecundô. Verùm *applicatio* relinquitur

tur adhuc aliis, non quidem, ut cuilibet relictum ſit, *publicè* pronunciandi ex eô, hoc enim iterum pertinet ad JCtos, qui propterea à Principe vocati ſunt, ſed ut ſaltem *privatim* absque autoritate publicâ ratiocinari poſſint, an actiones tam *propriæ* quàm *alienæ* cum æquitate illâ, quæ ipſis in cor impreſſâ eſt, conveniant an non.

4. Sed redeo iterum ad applicationem noſtram, quam duplici modô conſiderabimus, partim quatenus ea ſumitur pro Operatione *Intellectus*, partim verò *Voluntatis*. Prior operatio applicat actiones *quasvis jam commiſſas* ad leges, ut videamus, an juſtæ an injuſtæ fuerint. Poſterior, ſuppoſitâ operatione intellectus, applicat leges naturales ad actiones *proprias committendas*, ut videamus, an evadant juſtæ an injuſtæ.

5. Quod itaque operationem *Intellectus* concernit, non poſſumus præterire monitum, quod ad facilem reddendam eam multum contribuere videtur, quodque eſt. *Ut is, qui applicare vult leges eas, ante omnia ſe in iisdem exerceat.* Illud autem fit, quandò autores juris naturæ diligenter legit, & contenta ſibi imprimit.

6. Ut verò in adquirendâ notitiâ legum naturalium feliciter progrediaris, non abs inſtitutô erit, quandò unum vel alterum requiſitum hîc ſimul adponimus, ex quibus facilè *primum* eſt, *ut omnes præconceptæ opiniones, quæcunque eæ ſint, removeantur, & ita ſtudium inchoetur, quaſi ab iisdem liber ſis.* Secundum eſt, *ut in ipſo curſu ſtudii recurras ſemper ad fundamentum illud, quod in jure naturæ dome-*

*domeſticum eſt, ut ex eo, non ex autoritate virorum ſummorum concluſiones tuas demonſtres.* Nam hoc certe firmum manet: *Non illud ſemper verum eſſe debere, quod hic vel ille vir, quem magni æſtimas, aliquando dixerit.* Reliqua requiſita ejusdem farinæ, quæ huc ſpectare poterunt, prætereo, quia illa potius inculcantur in libellis, ubi recta via utendi ratione demonſtratur.

7. Ex ſecundô fluit *tertium, quod ad probandas concluſiones iſtas non producenda ſint teſtimonia Hiſtoricorum, Poëtarum gentilium* &c. quia jus naturæ ea duntaxat, ſi cum eô conveniunt, admittit, ut argumenta illuſtrantia, non verò ut probantia. Si autem à diſpoſitione ejus diſcrepant, tunc eadem, tanquam à rectâ viâ aberrantia reprimit rationibus domeſticis contrariis. Sic non curandus eſt Grotius, qui non raró errorem intuitu hujus moniti commiſit.

8, Ipſa operatio intellectus conſiſtit præcipuè in aptâ relatione facti ad *circumſtantias morales*, inter quas tamen ad dicendum id, quod juſtum vel injuſtum eſt, magna intercedit differentia. Vel enim eæ *jus variant* vel *non variant.* Priori modô certè omnes ponderandæ ſunt, quia *minima circumſtantia variat jus.* Verùm poſteriori modô, non opus eſt, ut ad eas attendamus, quia quaſi ſunt accidentia facti, & in jure dicendô parvum uſum habent, exemplum cape ex Cap. 17. §. 24.

9. Neque omittenda ſunt etiam *antecedentia & conſequentia* facti, quandò circumſtantiæ ipſæ non ſufficiunt, ut plerumque fit, ad juſtum pronunciandum.

10. Hîc

10. Hîc non prætetire debemus optimum quorundam conſilium qui tradunt, applicationem hanc probè ab *Advocatis & Judicibus* eſſe exercendam, utpote qui tam in judicandô quàm in defendendô partes, huc reſpicere debent. Atque ſic ſuô modô conſpicuam partem applicationis facit *modus litigandi*, quem nos diſpeſcimus, quatenus fuit *ante conſtitutas Reſpublicas* in Communitate, & quatenus *hiſce exortis* obtinet.

11. De *modô litigandi* in æqualitate naturali *ante Reſpublicas* jam non nova dicenda ſunt, quia in capite de causâ impulſivâ Reipublicæ *arbitrorum* mentionem fecimus, per quos, quia ibidem nullus ſuperior Judex adeſſe poterat, controverſia omnis componenda erat. Ut verò totum hunc proceſſum repetamus, ponamus aliquem caſum: Debebat unus alteri ex conventione rem aliquam, hîc debitor ex lege de pactis ſervandis, imò ex multis aliis obligatus erat, ad ultrò id juxta contenta præcedentis contractus implendum, quod placitum fuerat, quod tamen non obſtante lege, ipſum obligante, alteri denegabat, ſed Creditôr ex diſpoſitione juris naturalis præ ſe allegabat jus perfectum, cujus virtute alterum perfectè ad implendam ſuam obligationem cogere poterat.

12. Ex conceſſione hujus juris perfecti competebat quidem poſtulanti jus belli, ut videlicet cum violentiâ jus ſuum repeteret. Imò & alter non rarò certas & aptas rationes denegati adimplementi allegare poterat. Itaque, ne ſtatim ad bellum (quod medium & tum erat extraordinarium) properetur,



Digitized by Google

placebat inter partes primò *amicabile colloquium*, ubi vel ſorte, vel aliis viis omnis controverſia componenda erat.

13. Quòd ſi verò per colloquia nihil effici poterat, eligebantur *arbitri & mediatores*, de quorum officiis paſſim ſuprà egimus, hîc addimus ſaltem, quòd in arbitriô vel mediatione id ſimul obſervare debuerint, quod hodiè requiritur à bonis & aſtutis judicibus. Spectat huc, quòd mediante proceſſu, quandoque *editionem inſtrumentorum* vel *productionem teſtium* ad controverſiam juſtè & aptè componendam poſtulare potuerint.

14. Quandò *Sententia* ex æquô & bonô erat propoſita, tunc pars illa, contra quam lata fuerat, vel ſeſe accommodabat ad eandem, vel non. Priori modô lis omnis ceſſabat, quia tam ab arbitrô quàm à partibus litigantibus juſtitia erat impleta. Poſteriori autem modô, ſi pars una ſeſe accommodare nolebat, ſequebatur *exſecutio* rei judicatæ, ubi contra reum omnium viribus & armis ea procedebat, in quâ tamen juſtum temperamentum exſecutores obſervare debebant, ut nimirum ultra id, quod ad victorem ſpectaret, nihil caperetur.

15. *Exortis verò Rebuspublicis* res aliam induit faciem, hîc judicem habemus ſuperiorem, qui certum tam judicibus ſuis inferioribus, quàm advocatis præſcripſit litigandi modum, ſecundum quem jamjam omnia diriguntur, quem & partes, quia legislatori eſt parendum, ſeqvuntur.

16. Reſtat applicatio pro *operatione Voluntatis*, ubi certè nihil aliud dicendum eſt, quàm *ut quilibet*

*homo*

*homo, cujuscunq; etiam ſtatus ſit, actiones ſuas ita temperet, ut conveniant cum lege tanquam normâ illâ, quæ actionibus ſuis ſit præſcripta.* Hæc Voluntatis operatio dicitur *officium*, item etiam *cognitio ſui officii.*

17. Manifeſtum autem eſt, hominem ex triplici fonte cognitionem ſui officii haurire 1. ex lumine rationis ſeu jure naturæ, 2 ex divini numinis revelatione ſeu jure divinô poſitivô & 3. ex principis voluntate his duobus fontibus adjectâ, ſeu jure humanô.

18. Priores duæ ſpecies omni homini ſunt neceſſariæ, & unum habent autorem, ſcilicet DEum, qui voluit, ut ſimul omnes, quotcunque homines ſunt, obligarent, prout adhuc conſtabit ex illis, quæ diximus ab initiô. Atque ſic ex voluntate DEI obligat jus divinum poſitivum Gentiles etiam, quorum actiones, ſi ab eôdem diſcrepant, contra voluntatem ejus inſtitutas fuiſſe prædicamus.

19. Atque ſic nulla fingenda eſt repugnantia inter jus naturæ & revelationem, quaſi ſummum numen in jure naturæ tanquam voluntate tacitâ aliud quid ſtatuerit, & quaſi denique voluntas DEI tacita & expreſſa implicent. Hoc ſanè non injurium duntaxat, ſed & ineptum eſſet ſtatuere, quia DEus nunquam ſibi fuit contrarius.

20. Bene, dicis, cur tu in demonſtrandis tuis legibus naturæ hoc monitum non obſervaſti, video enim, te ſtatuere aliquam repugnantiam, & probo hanc meam objectionem præcipuè per polygamiam, quam tu anteà probaſti?



Digitized by Google

21. Benè, inquam, ſed aliud tamen eſt, ut ſuprà Cap. 4. monuimus, *vivere ſecundum voluntatem DEI*, aliud, *docere voluntatem DEI.* De ultimâ differentiâ egimus ſuprà dicto Capite §. 19. ſeq. reſtat itaque prior. Illa autem docet, ut quilibet homo in actionibus ſuis ſeſe temperet ſecundum voluntatem DEI revelatam. Sic quandò de Polygamiâ diſputamus, non concedimus eandem gentilibus, nam ita expreſſam profiteremur repugnantiam, ſed dicimus ſolùm, quòd juri naturali, quatenus iſtud abſtractivè ex ſuô domeſticô principiô cognoſcendi conſideravimus, non repugnet.

22. Tertius fons dicitur *jus humanum*, quod particulare eſt, & tot ferme modis variat, quot Reſpublicæ ſunt. Autor hujus eſt Princeps, qui leges naturales in ſcripturam & certitudinem aliquam redegit, ut ex eô fortius cives ſui obligentur. Spectat huc differentia inter *officium Civis* ad quod obligatur ex jure humanô, & *officium hominis*, quod ex obligatione juris divini provenit.

23. Poſtquam itaque homo cognitionem ſui officii ſibi impreſſit, tenetur ex §. 16. ad implendum illud. Sunt tamen duo præcipuè caſus, quibus ab obligatione legum naturalium ſolvimur: Prior eſt *Neceſſitas*, alter verò *concurſus duarum diverſarum obligationum.*

24. Triplici autem modô conſideratur *neceſſitas* partim quatenus tendit ad *honeſtatem*, ad *incolumitatem* & ad *commoditatem.* Neceſſitas ad *honeſtatem* eſt, quandò me obligat lex ad faciendum quid vel intermittendum: neceſſitas *ad commoditatem*

eſt,

eſt, quandò ego quidem ſum in vitæ periculô, ſed adhuc non præſente, vel res mea eſt in tali periculô: Neceſſitas *ad incolumitatem* eſt, quandò quid contra voluntatem legis ad me conſervandum, vel res meas conſervandas, ſi nulla alia via, quàm ultima ſupereſt, ſuſcipio.

25. Sed examinemus vulgarem regulam, quæ in omnium ore habetur: *Neceſſitas non habet legem*, quid de eâ ſentiendum ſit. Hîc ſanè quilibet nobis concedet, quòd neceſſitas *ad honeſtatem*, huc applicari haut poſſit, quia lex ipſa vult, ut illa ducatur in actum. Neque etiam huc referenda eſt neceſſitas *ad commoditatem*, quia periculum adhuc non præſens, & ita incertum eſt. Reſtat ergò neceſſitas ad incolumitatem, de quâ certè regulam intelligimus.

26. Sic itaque quæſtio oritur: *an aliquis poſſit aliquid contra expreſſam voluntatem legum naturalium* (nam de ſolis his nobis ſermo eſt) in *caſu neceſſitatis facere.* Vel, prout alii quærunt: *An neceſſitas in legibus èxceptionem tacitam faciat, ut legislator*, (qui jam DEus eſt) *non præſumatur ſubjectum adigere voluiſſe, ut legem obſervet, ſi obſervatio cum periculô ejusdem vitæ ſit conjuncta?* quæ quæſtio certè eſt difficilis & per certas demonſtrationes deduci nequit, ſufficiat itaque, ſi ſolis pugnabimus probationibus.

27. Iſtas verò cum aliis ſumemus à communi legum diſtinctione in *affirmativas* & *negativas.* De *affirmativis* ita loqvuntur alii: *ut heic & nunc ad exercitium actus quis obligetur, præſupponi 1. occaſionem 2. materiam. 3. & facultatem agendi*,

*quæ regulariter deeſſe intelligitur, ubi quid fieri non poteſt, niſi ipſe peream.*

28. Verùm in *negativis* iterum alii varias diſtinctiones adhibent, quærunt quippe, an neceſſitas *originem* habeat *à DEO*, an *à malitiâ* hominum, & an medium evadendi ſuppeditetur ab *inſtinctu naturali*, an iterum *à malitiâ hominum.*

29. Si neceſſitas originem habet *à DEO*, & medium evadendi datur mihi *à naturâ*, tunc certe absque peccatô hoc facere poſſum. Quanquam enim periculum mihi advenerit à DEO, habeo tamen medium, quod mihi ſuppeditavit natura, quod idem eſt, ac dixeris, quod ſuppeditavit DEus. Quandò verò medium mihi dicitur *à malitiâ* hominum, tunc injuſtè côutor, quia ad violationem legis divinæ tendit.

30. Si autem neceſſitas oritur *à malitiâ* hominum ſed medium evadendi *à naturâ*, licebit mediô uti, quanquam abs DEO fuerit interdictum. Non enim præſumitur DEus in favorem alicujus nebulonis tam rigorosè mecum agere velle. Si verò medium oritur etiam *à malitiâ* hominum, tunc illud uſurpare non licet, quia, ut alii dicunt, ego tacitè abnegavi numen divinum.

31. Hæ diſtinctiones facilè omnes quæſtiones, quas alii proponere ſolent, tollere poterunt, quales præcipuæ ſunt: *De nutrimento ex carne humanorum cadaverum. Ut plures ſerventur unius aut quorundam interitu. Ut quis ſe ipſum conſervet alterius interitu. De eô, qui à tyrannô, niſi propriam vitam velit perdere, jubetur interficere hominem innocentem.* De *jure ad auferendas res alie-*

*alienas in neceſſitate.* De *neceſſitate, quæ jus concedit ad res alienas non pretiores noſtris perdendi. An neceſſitas circa res noſtras perdendas verſans, ſimile jus in res alienas perdendas concedat. De deſtructione ædium tempore incendii,* & quæ ſunt aliæ.

32. Sequitur *concurſus duarum diverſarum obligationum,* illæ enim quandoque faciunt, ut leges ex unâ parte impleamus, ex alterâ verò earum obligationem planè intermittamus. Quia enim multæ leges naturales reperiuntur, quæ quidem invicem non pugnant, imò diversô tempore non tantùm commodè ſervari ſed & impleri poſſunt, quibus tamen ſatisfieri nequit, ſi earundem impletio in idem temporis momentum incidit. Itaque per certas regulas docendum eſt, quænam lex cedat alteri, ſi duarum implementum fieri nequit. Iſtas autem regulas non ipſi fingemus, ſed quas mutuabimur partim à Grotiô, partim ab aliis: hoc addimus, quòd illæ nonnunquam cum granô ſalis accipiendæ ſint, quia ſecundum circumſtantias nonnullæ aliquas pati poterunt limitationes.

33. I. Regula eſto: *Ea lex, quæ arctius ligat hominem, præfertur iſti legi, quæ eidem vinculum laxius imponit,* quæ lex generalis eſſe poterit, quia ſequentes reliquæ fermè omnes ex eâ rationes ſuas accipiunt. II. *Illud, quod tantùm permittitur, cedit ei, quod jubetur.* III. *Lex affirmativa cedit negativæ,* ratio hujus regulæ fluit ex natura harum legum, exemplum cape de eô, qui fidem fallit, ut dare poſſit beneficia. IV. *Obligatio imperfecta*



Digitized by Google

*cedit obligationi perfectæ.* V. *Obligatio nova cedit obligationi antiquiori.* VI. *Obligatio ſimplex vincitur ab obligatione duplici, licet ſimplex ſit antiquior.* VII. *Quod faciendum eſt certô tempore, præfertur ei, quod quôvis tempore fieri poteſt.* IIX. *Quod permittitur, cedit ei, quod jubetur vel vetatur.* IX. *Quod jubetur, cedit ei, quod vetatur.* X. *Lex injungens beneficentiam cedit legi injungenti gratitudinem.* XI. *Voluntas inferioris poteſtatis cedit voluntati ſuperioris.* XII. *Quò arctiori vinculô nos alicui jungimur, eò arctiori obligatione ipſi ſumus addicti.* XIII. *Lex generalis cedit legi particulari, cæteris paribus.* XIV. *Prout cujusq; legis materia aliam legem nobilitate, utilitate aut neceſſitate ſuperat, ita regulariter una alteri præponderat.* &c.

34. Accidit quandoque, ut homines mali ex cavillatoria explicatione legis prætendant, non peccaſſe in caſu contra eam, ita & jam, ubi de applicatione legum pro operatione voluntatis loquimur, reprimendæ ſunt iſtæ cavillationes tanquam media, quibus *in fraudem* legis aliquid excogitatur.

35. Aliud tamen eſt facere aliquid *in fraudem legis*, aliud committere aliquid *contra legem*, quam differentiam optimè explicat jus Romanum hiſce verbis. *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò, qui ſalvis verbis legis ſententiam ejus circumvenit. Fraus enim legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* Interim hujus fraudis Doctores quatuor ſpecies recenſent: quod fiat commutatione 1. *rerum.* 2. *perſonarum*, 3. *contractuum.* 4. *modi contrahendi.*

36. Ut

36. Ultimò non præterire debemus aliquod monitum, quod apprime ſeſe accommodat non tantùm ad adquirendas leges naturales, ſed & ad applicationem earum honeſtô modô ſuſcipiendam. Scilicet ut quis ipſe, antequam vocetur, exempla ſibi fingat, vel ex hiſtoriis nonnulla ſibi colligat, quibus ad applicandum uti poſſit. Hâc quippe viâ non duntaxat evadit exercitatus, ſed & janua aperitur ad limitationes inveniendas, quæ in demonſtrandis legibus adhuc incognitæ ſunt. Sic & nos cenſuræ tuæ propediem committemus, quid in tali exercitio præſtiterimus in Commentariô ad Comminæum.

# SUMMARIA TOTIUS OPERIS.

## CAP. I.

## De Jurisprudentiâ in genere.

*Jus Naturæ eſt pars Jurisprudentiæ. §. 1. Quid Prudentia? §. 2. Quid ſit actio moralis? ubi de definitione hominis, & rationis, item de potentiis animæ rationalis: Intellectu & Voluntate. §. 3. 4. 5. 6. 7. Actio moralis eſt 1. vel juſta vel injuſta 2. vel honeſta vel inhoneſta. §. 8. 9. 10.*

*Expenditur Grotii diſtinctio inter jus pro lege & attributô perſonæ. §. 11. 12. Juris Synonymum eſt lex. §. 13. Quid Jurisprudentia? §. 14. Quid lex? §. 15. 16. Pœna quot modis ſumatur. §. 17. 18. Quid obligatio? §. 19. 20. Quid ſignificent* dare *&* facere. *§. 21. Primum principium Jurisprudentiæ. §. 22.*

*Legi ſubjectus ſolus eſt homo. §. 23. 24. 25. Quid Officium? §. 26. Quid juſtitia? §. 27. 28. 29. Legis diviſio. § 30.*

## CAP. II.

## De Jurisprudentiâ Divinâ.

*Quid ſit Jurisprudentia Divina. §. 1. 2. Theologia quotuplex. §. 3. Jus divinum dicitur univerſale. §. 4. Primum principium hujus juris. §. 5. Leges divinæ ſunt vel naturales vel poſitivæ. §. 6. Diviſio aliarum. §. 7. 8.*

CAP.

## CAP. III.
## De Jure Naturæ in genere.

*JUs Naturæ quid? §.1. Autor hujus juris. §. 2. 3. 4. Leges naturales dicuntur & divinæ, univerſales, immutabiles. §.5.6. Bruta à jure naturæ excluduntur. §.7. Homo ſine jure naturæ vivere nequit, ubi, quid libertas? §.8 9 10.11.12. Quomodò intellectus hominis concurrat ad jus naturæ, ubi quid Conſcientia? §.13. Quotuplex conſcientia. §.14. 15. 16. 17. Quomodò concurrat Voluntas. §.18.*

*Actio in jure naturæ eſt vel juſta vel injuſta. §.19. Actio juſta eſt vel neceſſaria vel licita, ubi quid actio indifferens? §.20.*

*Leges naturales ſunt vel præceptivæ vel permiſſivæ. §. 21. Utilitas bujus diviſionis. §. 22. Obligatio legum naturalium. §. 23. Mala conſcientia eſt pœna legum naturalium. §.24. Formantur regulæ aliquot ex præcedentibus. §. 25. 26. 27. 28. 29. 30.*

## CAP. IV.
## De Fundamentali lege Juris Naturæ.

*QUid per eam legem intelligamus? §.1. Requiſita ejus. §. 2.3.4 5.6. Undè lex fundamentalis quærenda? §.7. Nimirum in actionibus hominis. §. 8. Solvitur objectio: an actio hominis poſſit ſimul eſſe norma & normatum? §. 9. 10. 11. Actio conſideranda eſt ſecundum qualitatem ſubje-*

Digitized by Google

*ſubjecti ſeu hominis. §. 12. Hominis ſtatus integer & corruptus. §. 13. Diſputatur: an ſtatus integer huc ſpectet. §. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Diverſitas hominis ſecundum hos ſtatus. §. 22. 23. 24. Quæſtio: quomodò præcepta juris naturalis in ſtatu præſenti pugnent vel conveniant cum illis in ſtatu integrô? §. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Homo proponendus eſt ſecundum ſtatum corruptum. §. 33. 34. Conditio hominis miſerrima in præſenti ſtatu. §. 35. 36. 37. 38. Homini Societas à naturâ eſt neceſſaria. §. 39. 40. Hominis inclinationes tam intuitu ſui, quàm in relatione ad alios. §. 41. ad 47.*

*Lex fundamentalis juris Naturæ. §. 48. Quæ examinatur ſecundum noſtra requiſita. §. 49. Lex fundamentalis Hobbeſii. §. 50. ad 55. Grotii. §. 56. Scholaſticorum. §. 57. 58. Juris Romani. §. 59.*

## CAP. V.

## De Modô deducendi leges naturales ex lege fundamentali.

*Connexio. §. 1. Quomodo juri divino competat Interpretatio & Applicatio. §. 2. 3. 4. 5. & in ſpecie juri poſitivo. §. 6. 8. (Interpretatio legum quid? §. 7.) & juri naturæ 9. De demonſtratione. §. 10. 11. 12. Leges naturales ex lege fundamentali demonſtrandæ ſunt. §. 13. 14. 15. 16. Leges naturales ſunt vel affirmativæ vel negativæ. §. 17.*

CAP.

Digitized by Google

## CAP. VI.
### De Societate & ejus effectu.

*QUid Socialitas & Societas? §. 1. Societas eſt vel recta vel corrupta. §. 2. Convenientia & diſconvenientia Socialitatis cum Societate. §. 3. 4. 5. Duo requiſita ad aptè dividendam Societatem. §. 6. 7. 8. 9. Societas conjugalis. §. 10. 11. Societas parentum & liberorum. §. 12. Societas dominorum & Servorum. §. 13. De familiâ. §. 14. De Communitate. §. 15. De Vico & Civitate. §. 16. 17. 18. 19. 20. De Republicâ. §. 21. 22. 23. De Societate ſimplici & compoſitâ. §. 24. 25. Reſpublica cum Communitate ſunt effectus Societatum naturalium. §. 26. 27. 28. De diſtinctione inter Societates naturales & arbitrarias. §. 29. Examinatur diſtinctio inter Societates æquales & inæquales; ubi de Converſatione. §. 30. 31. 32. Societas gentium. §. 33. 34. 35. 36. Quæſtio una, an detur Societas hominis cum DEO? §. 37. 38. 39. 40.*

## CAP. VII.
### De modô deducendi obligationes ſeu officia hominum.

*QUid obligatio erga Socium? §. 1. 2. Obligatio iſta eſt vel perfecta vel imperfecta, ejusq; triplex acceptio. §. 3. 4. 5. 6. Coactus ad obligandum, quomodò juſtè inſtituatur. §. 7. 8. 9. Status hominum naturalis vel civilis. §. 10. 11. Status naturalis quotuplex. §. 12. Sciagraphia totius juris naturæ. §. 13. ad fin.*

CAP.

Digitized by Google

## CAP. IIX.

## De officiis hominis erga ſeipſum intuitu DEI, ſeu de Religione naturali.

*DEum eſſe probatur ex ratione. §. 1. 2. 3. 4. 5. quomodò ex ratione inquirenda DEI eſſentia, ubi, quomodò DEus dici poſſit juſtus. §. 6. 7. Origo obligationis erga DEum. § 8. Religio quid? §. 9. Religio interna & externa. §. 10. Jus Naturæ requirit religionem internam. §. 11. 12. Religio eſt vel generalis per particularis, quæ ultima iterum vel vera vel falſa. §. 13. 14. Religio generalis eſt religio naturalis. §. 15. Religio ſpecialis eſt religio revelata. §. 16.*

*Leges, quæ veniunt ex obligatione religionis naturalis. §. 17. ad 26. Quis vir bonus? quis Atheus? §. 27. Atheiſmus differt à Gentiliſmo. § 28. Athei ſunt vel theoretici vel practici & priores vel craſſi vel ſubtiles. §. 29. 30. 31.*

## CAP. IX.

## De officiis hominis erga ſeipſum intuitu Sociorum.

*HOmo debet eſſe Socialitati aptus & idoneus §. 1. Injungitur homini notitia ſui. §. 2. 3. Officium hominis generale intuitu animi & corporis. § 4. Speciale intuitu animi. §. 5. 6. 7. De bonis animi moralibus & naturalibus. §. 8. 9. 10. De bonis corporis & fortunæ. §. 11. Officium hominis intuitu corporis. §. 12.*



Digitized by Google

*Quæſtio.* I. *An homo ſit obligatus ad vitam ſuam ſervandam?* §. 13. 14. II. *An ſibi ipſi quis poſſit vitam eripere?* §. 15. III. *An vita pro patriâ, principe, patre, benefactore ſit exponenda?* §. 16. IV. *An licitum ſit, nos contra alterum defendere?* §. 17. *Ubi diſtinguitur inter Retorſionem.* §. 18. 19. *Et defenſionem, circa quam diſpiciendum, an aggreſſor habeat animum me interficiendi vel non.* §. 20. *Ubi quid poſteriori caſu licitum.* §. 21. 22. *Et quid priori caſu, ubi perſona, quæ me aggreditur conſideranda eſt, quæ vel eſt princeps.* §. 23. *Vel miniſter principis aut alius vir neceſſarius.* §. 24. *Vel pater.* §. 25. *Vel dominus, benefactor, amicus &c.* §. 26. *De moderamine inculpatæ tutelæ.* §. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33.

*De defenſione rerum mearum.* §. 34. 35.

## CAP. X.

### De Officiis hominis erga alios intuitu cuſtodiendæ æqualitatis.

*Fontes ad demonſtrandas leges quorumlibet erga quoslibet.* §. 1. 2. 3. 4. *De æqualitate hominum naturali.* §. 5. *De æqualitate juris, ubi de lege inde veniente.* §. 6. *Æqualitas Hobbeſii.* §. 7. *Leges aliæ.* §. 8. 9. *Diſputatur circa ordinem ſequentem.* §. 10. *ad finem.*



Digitized by Google

*§. 22. Quomodo cædes? §. 23. Quomodo vulnus? §. 24, Quomodo damnum moraliter datum? §. 25. Quomodo damnum rei datum. §. 26.*

*Damno opponitur id, quod eſt utile & commodum. §. 27. Utilitas præſens dicitur Donatio. §. 28. Donatio differt à Beneficio. §. 29. Lex intuitu Donationis. §. 30. Ad donationem vel perfectè vel imperfectè obligati ſumus. §. 31. 32. De rebus innoxiæ utilitatis. §. 33.*

*Beneficium & donationem ſequitur Gratitudo. §. 34.*

# CAP. XIII.

## De Officiis hominis erga alios intuitu promiſcuorum officiorum humanitatis.

*QUid per hæc officia intelligatur. §. 1. Hæc officia regulariter ſunt imperfecta. §. 2. Per humanitatem intelligimus Beneficium. §. 3. Beneficium alteri fit* I. *ſi illum corrigimus. §. 4.* II. *ſi defendimus. §. 5. Obligatio ad defendendum alterum partim eſt perfecta partim imperfecta. §. 6. 7. 8.* III. *ſi omni utilitati alterius ſuccurrimus. §. 9.*

*Gratitudo fit vel animo vel re. §. 10. 11. 12. Ingratus quis? §. 13. 14. 15. Dono & beneficio opponitur Exprobratio. §. 16.*

# CAP. XIV.

## De Officiis hominis erga alios intuitu appetitus Dominii

*Connexio. §. 1. Rerum creatarum autor eſt DEus. §. 2. Qui eas creavit propter neceſſitatem hominis. §. 3. Inde homini argumentum & lex fit. §. 4. Poteſtas utendi rebus in Communione primæva omnium fuit in omnia. §. 5. Diviſio rerum ſupponit hominum conventionem propriam, non ſpecialem diviſionem DEI. §. 6. 7.*

*Dominium quid? & quotuplex. §. 8. A dominio communi diſtingvitur Communio vel negativa vel poſitiva. §. 9.*

*Res ſunt vel in dominio vel in communione vel nullius. §. 10. Dominii requiſita. §. 11. Quæritur: an res inexhauſtæ utilitatis ſint in dominio & quæſtio illuſtris de dominio maris. §. 12. ad [illegible] Subjectum dominii. §. 20. Ad dominium requiritur poſſeſſio. §. 21.*

*Modi poſſesſionem adquirendi ſunt vel principales vel acceſſorii. §. 22. Principales vel originarii vel derivativi. §. 23. Occupatio eſt modus originarius. §. 24. Occupatio rerum immobilium. §. 25. 26. Et mobilium. §. 27. 28. 29. Res mobiles ſunt vel ipſæ ſe moventes vel quæ moventur ab aliis. §. 30. Priores capiuntur per Venationem, Aucupium & Piſcatum. §. 31. 32. Poſteriores conſiderantur vel quatenus ſunt theſaurus. §. 33. Vel res pro derelictis habitæ. §. 34.*

Modi

*Modi derivativi fiunt per Alienationem. §. 35. Transfertur aliquid 1. expreſsè per Traditionem, Donationem, Teſtamenta, Contractus. 2. tacitè per uſucapionem & ſucceſsionem ab inteſtato. §. 36. 37. 38. De teſtamentis in ſpecie. §. 39. 40. De ſucceſsione ab inteſtato. §. 41. 42. 43. 44. 45. De Uſucapione. §. 46. 47. 48. 49. 50.*

*Modi dominium adquirendi acceſſorii. §. 51. Acceſſoria principali accedunt vel intrinſecè in fructu, fœtu, alluvione: Vel extrinſecè, in ædificiô, chartâ, tabulâ, ſpecificatione. 52. Rei alienæ fit acceſsio vel per noſtram induſtriam vel rei noſtræ. §. 53. Quid hîc juſtum ſit? exponitur per diſtinctiones. §. 54. 55. 56. 57. 58.*

*Res quæ ſunt in Communione, §. 59.*

*Lex intuitu communionis negativæ. §. 60. Intuitu communionis poſitivæ. §. 61. Intuitu dominii communis & ſimplicis. §. 62. Officia bonæ & malæ fidei poſſeſſoris. §. 63. 64. 65. 66.*

## CAP. XV.

## De Officiis hominis erga alios intuitu Pactorum.

*Connexio. §. 1. Conventio quid? §. 2. Conſenſus quid? & quotuplex §. 3. 4. 5. Qui conſentire non posſint. §. 6. 7. De efficaciâ erroris in conventionibus. §. 8. De dolo. §. 9. De metu. §. 10. 11. 12. De Violentiâ. §. 13.*



Digitized by Google

*De numero contrahentium. §. 14. An etiam per alios contrahere poſſimus? §. 15. An id, quod in mandato eſt, poſſimus revocare. §. 16.*

*De materiâ conventionum. §. 17. Circa quam rem convenire poſſimus? ubi de re poſſibili & impoſſibili. §. 18. Sententia Hobbeſii. §. 19. De impoſſibilitate morali. §. 20. Quomodò res alterius promitti poſſit? §. 21. 22.*

*Modus promittendi duplex ſimultaneus & ſucceſſivus. §. 23. Uterq; fit vel purè vel ſub conditione. §. 24. Declaratur differentia inter conventionem ſucceſſivam & conditionatam. §. 25. 26. Conditionibus adnumeratur adjectio loci. §. 27.*

*Leges nonnullæ circa conventiones. §. 28. 29. 30.*

*Conventio eſt* I. *vel ſimultanea vel conditionata vel ſucceſſiva. §. 31. Quæ omnes vel gratuitæ vel oneroſæ. §. 32.* II. *vel tacita vel expreſſa. §. 33. Jus naturæ ignorat differentiam pacti & contractus. §. 34.* III. *conventio eſt vel publica vel privata. §. 35.* IV. *Conventiones vel pretia rerum præſupponunt vel non. §. 36. De conventionibus, quæ ineuntur ſuper ſervitutibus. §. 37.*

# CAP. XVI.

## De Officiis hominis erga alios intuitu Pretii & de Interpretatione Pactorum.

*CAuſa pretii eſt rerum dominium. §. 1. Pretii origo, ubi de ejus diviſione in vulgare & eminens. §. 2. De neceſſitate & antiquitate unius ſpeciei præ*

*præ altera. §. 3. Pretium eſt vel commune vel affectionis vel determinatum. §. 4. De pretio communi in ſpecie. §. 5. Quid ſit rei nobilitas, utilitas & raritas. §. 6. Quæ affectiones inter ſe computantur. §. 7. Pretium affectionis. §. 8. Pretium determinatum. §. 9.*

*Lex intuitu pretii cujuscunq;. §. 10. De læſione ultra dimidium. §. 11. 12. An in termino ſolutionis pecunia in eo valore ſit ſolvenda, quo nunc eſt, an quo tempore promisſionis erat? §. 13. Quid ſi tempore famis frumentum emitur & ſolutio differtur ad tempus ubi magna frumenti copia? §. 14. Quid, ſi rei vendendæ vitia non indicentur? §. 15. Diviſio conventionum pretia ſupponentium. §. 16.*

*De interpretatione pactorum & præcipuè de interpretatione declarativâ. §. 17. ad fin.*

## CAP. XVII.

## De Officiis hominis erga alios intuitu Juramentorum.

*Juramenta ſunt acceſſoria obligationum præcedentium. §. 1. 2. Juramentum quid? §. 3. Juramentorum origo. §. 4. Jurandum eſt per DEum. §. 5. An licitum ſit jurare per Creaturas? §. 6. An per principem, patrem, benefactorem jurare posſimus? §. 7. Juramenta quæ fiunt per dextram. §. 8. Per quem DEum jurandum ſit? §. 9. Non jurandum temerè. §. 10. Modus jurandi eſt vel eſſentialis vel accidentalis. §. 11. An permittendum illi ſit juramentum, de quo pejeraturum eſſe*

*conſtat? §. 12. An Athei ad juramenta ſint adſtringendi? §. 13.*

*Ab eo, qui jurat, animus deliberatus requiritur. §. 14. Lex intuitu illius, cui juratur. §. 15. de juramento dolo, metu & violentiâ extorto. §. 16. Juramenta circa rem impoſſibilem non valent. §. 17. De Juramentis, quæ fiunt in alterius animam. §. 18. De diſpenſatione jurmmentorum. §. 19.*

*Juramento opponitur Perjurium & huic juramentum nullum. §. 20. An ille ſit perjurus habendus, qui contra iſtud, quod in juramento promiſit, efficit aliquid? §. 21. An vis & obligatio juramentorum tranſeat ad hæredes? §. 22.*

*De Interpretatione juramentorum. §. 23. De cavillationibus & reſervationibus mentalibus. §. 24. Cum Juramentis affinitatem habent obteſtatio & conteſtatio. §. 25. Diviſio juramentorum. §. 26.*

## CAP. XIIX.

## De Officiis inter Conjuges.

*Connexio. §. 1. 2. 3. Quid ſit matrimonium, conjugium, nuptiæ? §. 4. Neceſſitas conjugii. §. 5. 6. 7. Lex inde veniens. §. 8. 9. 10. Finis Societatis conjugalis. §. 11. Qui duplex eſt, vel primarius vel ſecundarius. §. 12. Qualis finis ſit procreatio liberorum? §. 13. Et qualis expletio libidinis, & fines reliqui? §. 14. Lex, ex fine principali oritur. §. 15. Ejus limitationes. §. 16. Quas invenimus*

I. *intuitu ſexus, ut perſonæ ſint diverſi ſexus. §. 17.*

II. *In-*

II. *Intuitu capacitatis quoad ætatem.* §.18. *De conjugiis, quæ contrahuntur in ultimo vitæ articulo.* §. 19. *De impotentiâ.* §. 20. 21.

III. *Intuitu conſenſus, ubi, an conſenſus, an concubitus faciat nuptias?* §. 22. *Conſentire nequeunt, quibus Intellectus & Voluntas deficit.* §. 23. *De Errore.* §. 24. 25. *De Dolo.* §. 26. *De Metu & Violentiâ.* §. 27.

IV. *Intuitu numeri contrahentium, ubi de polygamiâ muliebri, & matrimonio cum jam nuptâ.* §. 28. *De polygamiâ virili.* §. 29. 30. *De monogamiâ, & polygamiâ ſucceſſivâ.* §. 31

V. *Intuitu conjunctionis, an omnibus licitum ſit contrahere inter ſe matrimonium? ubi de religione & conſangvinitate.* §. 32. *Cauſa prohibitionis in linea recta.* §. 33. 34. 35. *Fundamentum pudoris eſt incertum.* §. 36. *Noſtra cauſa prohibitionis proponitur.* §. 37. *De prohibitione in lineâ obliquâ.* §. 38. *Et in affinitate.* §. 39. *Utilitas ex nuptiis propinquorum.* §. 40.

*Forma conjugii, ubi, an Societas conjugalis duret per dies vitæ?* §. 41. *An & invitâ alterâ, poſtquam fini ſatisfactum eſt, una pars recedere poſſit?* §. 42. 44. *De cohabitatione momentaneâ* §. 43. *An & contra pactum Societas hæc ſolvi poſſit?* §. 45. *De ſolutione per Divortium* §. 46. 47.

*De nuptiis minus ſolennibus ſeu Concubinatu.* §. 48. 49. 50. 51.

*Obligatio in hâc Societate eſt vel generalis vel ſpecialis.* §. 52. *Officium generale.* §. 53. *Offici-*

*um ſpeciale mariti. §. 54. 55. Officium ſpeciale mulieris, ubi de adulterio. §. 56. 57.*

*Contraria matrimonii ſunt congreſſus, ubi finis aliquis ſecundarius intenditur, & ſunt Inceſtus, Adulterium, Scortatio, ſtuprum, fornicatio & Sodomia. §. 58. An ad conjugium non ſufficiat finis ſecundarius ſine principali poſtpoſito vel intermiſſo. §. 59. 60.*

## CAP. XIX.

## De Officiis Parentum & Liberorum.

*ORigo hujus Societatis. §. 1. 2. 3. 4. Finis hujus Societatis & officium intuitu parentum. §. 5. Educatio liberorum quomodò ſeſe exerat? §. 6. 7. In quo conſiſtat patria poteſtas? §. 8. An parentes habeant jus in vitam liberorum. §. 9. Et in bona liberorum. §. 10. Cui individuo ex parentibus competat poteſtas? §. 11.*

*Adhuc aliqua de fine hujus Societatis. §. 12. officium liberorum erga parentes. §. 13. 14. De adoptione liberorum. §. 15. De exhæredatione liberorum. §. 16. 17. An liberi neceſſariò conſenſum parentum habere debeant ad nuptias. §. 18.*

## CAP. XX.

## De Officiis Dominorum & Servorum.

*GEneralia de hâc Societate. §. 1. Finis hujus Societatis. §. 2. Officium Domini. §. 3. Poteſtas in Servos. §. 4. Officium Servi. §. 5. An*

*den.*

*dentur Servi naturâ? §. 6. Quid dominus adquirat per Servos? §. 7. An Servus extra rem familiarem obligatus ſit domino? §. 8. An Servi ad ſævitiam dominorum tolerandam obligati ſint? §. 9. An dominus defendere debeat Servos, & ægrotos ſuſtentare? §. 10. An dominus mercedem pro damno dato retinere poſſit? & an mandata illicita dominorum ſervi exequi teneantur? §. 11. Quamdiu ſervitus duret? §. 12.*

## CAP. XXI.
## De eô, quod juris eſt in Familiâ.

*Connexio. §. 1. Quis ſit caput familiæ. §. 2. Qualis vis coactiva ſit in familiâ? §. 3. Quomodò res fuiſſet diſpoſita, ſi una manſiſſet familia? §. 4. Qualis obtinuerit vis coactiva in familiâ ſegrege. §. 5. An mulier etiam poſſit appellari caput familiæ. §. 6. Quis obligaverit patrem, matrem, dominum vel dominam, ſi & ipſi obligationi non ſatisfecerunt? §. 7. De vi coactiva orta Communitate. §. 8. 9. De vi coactiva orta Republicâ. §. 10.*

## CAP. XXII.
## De causâ impulſivâ conſtituendæ Reipublicæ & inæqualitate inde proveniente.

*Connexio. §. 1. 2. Origo Reipublicæ repetitur ab origine familiæ. §. 3. Et communitatis, quæ erat vel Vicus vel Civitas, earumq́; differentia. §. 4. Fi-*

*nis Communitatis. §. 5. Conſtituta communitate intravit in eam malitia hominum. §. 6. Inde ad obtinendam beatitudinem de nonnullis mediis ſoliciti erant. §. 7. Inter quæ ſola obtinuit inæqualitas. §. 8. Si malitia non acceſſiſſet, neq; Reſpublicæ exortæ eſſent. §. 9. An homo rapiatur à natura ad Rempublicam? §. 10. Origo Reipublicæ eſt neceſſitas. §. 11. An melius feciſſent gentes, ſi unicam placuiſſent Rempublicam. §. 12. 13. Finis Reipublicæ in eum collatus eſt, qui eidem præeſt. §. 14. Finis ſeu beatitudo Reipublicæ in quo conſiſtat? ubi ſimul de nova differentia Civitatis & Vici. §. 15. Solvitur objectio. §. 16. An literati, an mercatores ad Rempublicam requirantur. §. 27.*

*Cui jus competat poteſtatem aliquam Reipublicæ præficiendi? §. 18. 19. Meditatio aliorum de conſtituenda Republica per duo pacta & decretum unum. §. 20. Quæſtio: Unde primò Majeſtas fuerit? §. 21. 22. 23. 24. 25. 26. An illa ſit Reſpublica appellanda, in qua Princeps non præſens eſt? §. 27.*

*De conſtituta inæqualitate cum origine Reipublicæ. §. 28. 29.*

## CAP. XXIII.

## De qualitate & quantitate Reipublicæ.

*Qualitas conſiſtit in formâ Reipublicæ, & unde ea petenda? §. 1. Quid Reſpublica abſoluta? ubi de Tyrannide & regnis deſpoticis. §. 2. 3. Reſpublica limitata quid? §. 4. De Republica regulari & ir-*

*& irregulari. §. 5. Quid ſit Reſpublica mixta? §. 6. 7. Et quid ſyſtema fœderatorum? §. 8. De duabus diviſionibus Reipublicæ. 1. ſimplicis & compoſitæ. 2. & ſimplicis atq; mixtæ. §. 9. Quæſtio: quæ ex his formis alteri ſit præferenda? §. 10.*

*Qualitas Rerumpublicarum in quo conſiſtat? §. 11. Et quæ alteri ſit præferenda? §. 12. Ad Rempublicam conſtituendam Vicus etiam ſufficit. §. 13. De Republicâ dividuâ & individuâ. §. 14. Monitum aliquod intuitu quantitatis ex numero imperantium. §. 15. De Monarchiâ & Polyarchiâ, hisq; oppoſitâ Anarchiâ. §. 16. De Monarchiâ hiſtoricâ. §. 17. De Monocratiâ, Polycratiâ, Ariſtocratiâ, Democratiâ, Oligarchia & Ochlocratia. §. 18. 19. Quæ ex quatuor prioribus alteri præferenda ſit? §. 20.*

*Utilitas noſtræ diviſionis in formale & materiale Rerumpublicarum. §. 21. Sententia noſtra de Republica univerſali, de politia & de Republica libera. §. 22.*

## CAP. XXIV.

## De Affectionibus Reipublicæ.

*AFfectiones Rerumpublicarum unde ſumendæ? §. 1. De origine earum, & an de qualitate, an de quantitate primò convenerint populi? §. 2. De Republicâ electivâ & ſucceſſivâ. §. 3. Et de patrimoniali & uſufructuariâ. §. 4. De modo eligendi, unde electio vel libera vel reſtricta. §. 5. De Interregno. §. 6. Si de ſucceſſione lis oriatur, cui poteſtas decidendi eam competat? §. 7.* De

*De mutatione, & in quo ea conſiſtat. §. 8. 9. Quæſtio: an illud, quod geſtum eſt, per mutationem tollatur? §. 10. De mutatione, quæ fit per vim. §. 11. 12. An acta invaſoris, depulſo eo, adhuc obligent? §. 13.*

*De modo regiminis, ubi de Republicâ rectâ & corruptâ. §. 14. Quomodò Reipublicæ corruptæ ſuccurrendum? §. 15. De Rebuspublicis ſanis & morbidis. §. 16. Duæ quæſtiones.* I. *Quomodò morbo præcurrendum? ſeu, quomodò prudenter regimen inſtituendum?* II. *Quomodò morbus, qui jam intravit, iterum prudenter corrigendus? §. 17. 18.*

*De interitu Rerumpublicarum, & quomodò ille accidat. §. 19. 20.*

## CAP. XXV.
## De Juribus & Officiis ſummorum Imperantium.

*JUra Imperantium, quæ ſint? §. 1. Regalia ſunt naturalia majeſtatis. §. 2. 3. Regalium diviſiones aliorum. §. 4 5. Et diviſio noſtra. §. 6. 7. Proverbium: quod vult Princeps, illud vult Civitas, quomodò intelligendum? §. 8. 9. 10. De imperio in perſonas & res ſubditorum ſeu regali communi. §. 11. Et officio principis inde pullulante. §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. De principiis Machiavelliſtarum & Monarchomachorum. §. 19.*

*Ad regalia ſpecialia refertur primò quod venit ex fine Reipublicæ uno ſcilicet juſtitiâ quod eſt Jus legislatorium. §. 20. Principis, offi-*

*officium circa id §. 21. 22. Lex an ferenda ſit circa Locomotivam? §. 23. Lex fertur ad reſtringendos actus morales, & qui hic iterum excludantur. §. 24. 25. 26. 27. Eſſentiale legis pœna eſt. §. 28. Quæſtio: an par à pari pœnam ſumere poſſit? §. 29. Pœnæ expoſitio materialis, quæ vel vulgaris vel propria. §. 30. Finis pœnæ propriè dictæ. §. 31. Quomodò pœna determinanda. §. 32. 33. 34. Poteſtas abſolvendi à pœna. §. 35. Ex hoc regali venit poteſtas conſtituendi magiſtratus. §. 36. Duæ quæſtiones: An detur pœna injuſta? & an quis ſeipſum vindicare poſſit? §. 37. Laudatur argumentum ab officio boni medici ad officium boni legislatoris. §. 38.*

*Alterum regale ſpeciale veniens ex fine Reipublicæ altero eſt intuitu defenſionis & offenſionis, principisq; officium circa iſtud. §. 39. 40. 41. 42. Ubi quæſtio: an princeps Civem dedere poſſit. §. 42. De jure Conventionum & legatorum. §. 43.*

*Regalia reſtringuntur principibus in forma limitata per leges fundamentales, ubi de earum interpretatione. §. 44. Officium principis in ſtatu limitato. §. 45. Quod deducitur ulterius. §. 46. 47. 48.*

*De jure principis circa ſacra. §. 49. 50. 51.*

## CAP. XXVI.

## De Officiis & Juribus Parentium.

*ORdo. §. 1. Parentes, ſubditi & Cives quomodò conveniant & diſtingvantur? §. 2. 3. Uſus diſtin-*

*ſtinctionis. §. 4. Quomodò quis Civis fiat. §. 5. Quæſtio: an quis poſſit fieri ſubditus vel Civis reſervata libertate, ſe non obtemperare velle legibus Reipublicæ. §. 6. De homagio. §. 7.*

*De officiis Civium intuitu regalis communis. §. 8. 9. Ubi ſimul: quæ ſit voluntas principis juſta, quæ injuſta? §. 10. 11. 12. Quomodò injuſta voluntas cognoſcatur? §. 13. 14. Quæſtio: an injuriis principis reſiſti poſſit? §. 15. Quæſtio alia: an cives rationes poſſint poſtulare à principe? §. 16. De majeſtate reali & perſonali. §. 17. 18. An princeps deponi poſſit? §. 19. 20. An princeps interfici poſſit? §. 21. Alia quæſtio: An mandatum ſuperioris injuſtum exequi quis poſſit ſine peccato? §. 22.*

*Officium Civium intuitu Juſtitiæ. §. 23. Intuitu defenſionis & offenſionis. §. 24. Quæſtio: an juſſu principis rectè quis militet in bello injuſto? §. 25. De officiis magiſtratuum. §. 26. 27. De corporibus ſubordinatis. §. 28. Quomodò quis deſinat civis eſſe? §. 29. Quod fit vel voluntariè. §. 30. vel coactè per exilium. §. 31. 32. Et per deditionem. §. 33. Quæſtio: an Civis è Republica expelli poſſit? §. 34.*

*De officiis & juribus Civium in ſtatu limitato. §. 35. 36. 37. 38.*

## CAP. XXVII.
## De jure Gentium in Pace.

*QUæſtio: an ſperanda fuiſſet Societas gentium, ſi una manſiſſet Reſpublica? §. 1. Item: an Societas gentium rectè appelletur Societas? ubi de*

*fine*

*fine ejus. §. 2. Jus gentium ad quam partem Juriſprudentiæ ſit referendum? §. 3. 4. 5.* Quomodò *leges gentium ſint demonſtrandæ, quod explicatur per diſtinctionem inter tempus belli & pacis. §. 6. Leges gentium tempore pacis. §. 7. 8. Jus & obligatio gentium vel perfectè vel imperfectè ſeſe exerunt. §. 9.* Quid, *ſi jus poſtuletur imperfectum? §. 10. 11. 12. 13. An princeps unus juriſdictionem in territorio alterius acquirere poſſit per præſcriptionem? §. 14. De præcedentia inter gentes. §. 15. 16. 17. 18.*

## CAP. XXIIX.
### De jure Gentium in Bellô.

*Quid bellum? & unde? §. 1. Bellum eſt ſtatus extraordinarius. §. 2.* Quis *hoſtis? §. 3. Juſtitia duelli. 1 §. 4.*

*Partitio belli.* I. *in offenſivum vel defenſivum. §. 5.* II. *in juſtum vel injuſtum. §. 6. An intereſſe ſit juſta cauſa belli? §. 7. An metus, & cupido regnandi? §. 8. An bellum ex utrinq; parte juſtè geratur? §. 9. De cauſis belli juſtis, ſvaſoriis & juſtificis. §. 10.* III. *Bellum eſt vel publicum vel privatum. §. 11.* IV. *Bellum eſt vel ſolenne vel minus ſolenne. §. 12.* V. *Bellum eſt vel proprium vel auxiliare, ubi quæſtio: pro quo bellum licitè ſuſcipiatur. §. 13.*

*De origine belli. §. 14. 15. Bellum licet §. 16. Sed pax præfertur bello. §. 17.* Quod *ſit per conventiones, & arbitros. §. 18. Per jus repreſſaliarum. §. 19.*

De

*De indictionis fine. §. 20. 21. 22. Indictio pura. §. 23. Et conditionata. §. 24. Indictio poſt tempus. §. 25. De ſolennibus indictionis §. 26. Ab indictione differt belli proclamatio. §. 27.*

*Quot modis bellum incipiat? §. 28. Belligerantes ad certas leges ſunt adſtricti. §. 29. De fine belli. §. 30.*

*De jure in bello injuſto. §. 31. De jure in bello juſto ſine defenſione. §. 32. 33. Cum defenſione. §. 34. Regulæ Grotii circa jus in bello. 35. 36. Et aliorum. §. 37. Regulæ noſtræ. §. 38. 39. Vim vi repellere licet. §. 40. Addendum tamen cum temperamento. §. 41. Quot modis ſe exerat temperamentum? §. 42. De licentia interna & externa, ſeu jure interno & externo. §. 43.*

*Perſonæ innocentes in bello maneant immunes. §. 44. Nocentes nocent vel moraliter vel phyſicè. §. 45. De jure in milites. §. 46. Quæſtio: quali nece hoſtes afficiendi ſint? §. 47. Item: an percuſſoribus verſus hoſtem uti liceat? §. 48. De jure in Cives. §. 49. Quid juris in hoſtem captivum? §. 50. De victo, captivo & dedito. §. 51. Captivus fit belli Servus. §. 52. 53. De temperamento circa victos. §. 54. De temperamento circa deditos. §. 55. Deditio pura & conditionata. §. 56. Deditio fit vel hoſti vel non hoſti. §. 57. 58. An deditio pura ex jure naturæ defendi poſſit? §. 59. Temperamentum deditionis conditionatæ. §. 60.*

*Temperamentum circa res, ubi diſtingvitur Inter res captas & capiendas §. 61. Circa res capiendas. §. 62. 63. Circa res captas. §. 64. Circa*

*res incorporales ſeu jura.* §. 65. 66. *De rebus, quæ ſervando ſervari nequeunt* §. 67. 68. *Quæſtio una: quomodò res capta cenſeatur? ad quam reſpondetur pro diſtinctionem inter rem capere & poſſidere.* §. 69. 70. *Quæſtio alia: An capta cenſeatur regio, ſi exercitus non eô animô eam fuerit ingreſſus?* §. 71. *Item: Cuinam res capta adquirantur.* §. 72. 73. 74. 75. 76.

*De Temperamentô belli adverſus illum, qui hoſtis non eſt, fieri tamen poterit per ſubſequentiam.* §. 77. 78. 79. 80. *An habeat gens juſtam belli rationem adverſus eam, quæ rem ad bellum gerendum idoneam alteri ſuppeditat?* §. 81. *An jus habeat gens una in bellô ad rem alterius, qui non eſt hoſtis?* §. 82. 83.

*De Temperamentô circa fidem in bello.* §. 84. *De ſtratagematibus, ubi de mendacio & falſiloquio in bello.* §. 85. 86. 87. *Quæſtio: quomodo hoſti fides ſit habenda.* §. 88.

*De analogo belli ſeu bello minus ſolenni.* §. 89.

*De illis, qui ſunt medii in bello, ſeu neutralibus.* §. 90. *temperamentum belligerantium verſus eos.* §. 91. 92. 93. *officium neutralium.* §. 94.

*De poſtliminio.* §. 95. 96. *perſonarum* §. 97 *rerum.* §. 98. 99. *integri populi.* §. 100.



Digitized by Google

# CAP. XXIX.

## De Jure gentium circa Conventiones.

*ORdo. §. 1. quid conventio inter gentes? & quotuplex? §. 2. de conventione publicâ & privatâ. §. 3. De naturali & præter-naturali. §. 4. de æquali & inæquali. §. 5. 6. de reali & perſonali, ubi quæſtio ſimul, an conventio pacta exſpiret mortuo principe? §. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. Ex quo dignoſcendum, an conventio publica an privata à gentibus fuerit inita? §. 13.*

*Nova conventionum diviſio inter gentes, in conventionem tempore pacis & tempore belli. §. 15. expenditur Grotii diviſio conventionum §. 16. 17. 18. Conventio fit vel autoritate & juſſu imperantis, vel ſine eo. §. 19. De Differentia fœderis & pactionis. §. 20.*

*In conventionibus pacis primò obtinet fœdus. §. 21. Nonnullæ quæſtiones, quarum I. An princeps fidem in fœdere datam poſſit revocare, ſi iſtud pugnabit cum utilitate reipublicæ ſuæ? §. 22. II. An illa pacta valeant, quæ contraxit princeps, cui regale fœderum ademtum eſt? §. 23.* III. *An unius partis perfidia liberet alteram ab obligatione? §. 24. IV. Quis ſocius alteri in contradictione ſit præferendus? §. 25. 26. 27. 28. 29. V. An fœdus aliquod tacitè revocatum intelligatur? §. 30.*

*In conventionibus pacis ſecundo obtinet ſponſio §. 31. Officium ſponſorum ante ſponſionem, ubi de*

*de ſponſione purâ & conditionatâ. §.32.33.34. poſt ſponſionem. §.35. Quæſtio: Adquid obligatus ſit princeps, ſi ſponſionem ratihabere nolit? §.36. De deditione paſſivâ §.37. Quomodò obligatus ſit princeps ad ſponſionem ratihabendam? §.38.*

*De conventionibus in bello §.39. Fides in bello eſt I. vel expreſſa vel tacita vel præſumta §.40. II. Vel publica vel privata §.41. An fides privata in bello obliget? §.42. Quouſq; ſeſe extendat poteſtas privatorum circa fidem privatam? §.43. An privati, ſi in fide præſtanda negligentes ſint, à ſuis poteſtatibus cogendi ſint eam implere? §.44. an alter principem propterea adſtringere posſit? §.45*

*Ordo ſequentium intuitu fidei publicæ §.46.47. An pacta, manente bello, ſint valida? §.48.49. I. De Induciis §.50. Differentia inter pacem & inducias §.51. Quandò incipiant induciæ §.52. De eo, quod commiſſum eſt ob ignorantiam induciarum §.53. Quid liceat tempore induciarum. §.54 55. Si rumpantur induciæ §.56. II. De jure commeandi §.57.* III. *De captivorum redemptione §.58.*

*De pactis pacem reducentibus, ubi* I. *de pacis pactione. §.59. An pacem jam factam rumpere poſſit gens una. §.60.61.62. An contra amicitiam ſit, ſuſcipere eos, qui ex alterâ ditione in alteram migrare volunt. §.62.* II. *De Sorte §.63.64.* III. *De certamine condicto §.65.* IV. *De arbitris §.66.67.* V. *De deditione pura ſeu arbitri ſumtione §.68.* VI. *De Obſidibus. §.69.70. Quale jus ſit in obſides*

Digitized by Google

*obſides.* §. 71. *An Civitas civem in obſidem cogere poſſit?* §. 72. *An obſes in aliam cauſam rectè retineatur?* §. 73. 74. *De obſide dato à captivo* §. 75. VII. *De pignoribus* §. 76. 77. IIX. *De jure prætenſionum & rerum dependentium* §. 78.

*De interpretatione conventionum publicarum.* §. 79. 80. 81. 82. 83.

## CAP. XXX.

## De jure Gentium circa Legatos.

*JUs legatorum anſpectet ad jus naturæ? an ad jus voluntarium?* §. 1. 2. *Legatus quis?* §. 3. *qui duplex eſt, vel habens repræſentativum vel non.* §. 4. *Utilitas hujus diviſionis intuitu præcedentiæ & honoris.* §. 5. 6. 7. *Civilitas inter legatos ſolita, eſt juris voluntarii.* §. 8. 9.

*Regula generalis ad deducendam Civilitatem intuitu Legatorum* §. 10. 11. *cautela inde fluens pro legato* §. 12. *pro principe ad quem miſſus eſt.* §. 13. *limitatio aliqua ubi de actibus legationis publicis & privatis* §. 14 *legati, licet invitati fuerint ad actum privatum non ſemper comparere ſolent* §. 15.

*Obſervationes ſpeciales intuitu principis, cui miſſus eſt.* §. 16. 17. *Intuitu legati advenientis* §. 18. 19. *Intuitu viſitationis* §. 20. *intuitu alimentorum* §. 21. *De miniſtrô ceremoniarum* §. 22. *an legatus illum*

*illum principem, apud quem negotiatur, præcedere poſſit? § 23.*

*De Civilitate legatorum verſus principes §. 24. De titulis illis non denegandis §. 25.*

*Controverſia illuſtris intuitu tituli excellentiæ. §. 26 27.*

*De Ceremoniis legatorum inter ſe intuitu præcedentiæ. §. 28. & Viſitationis. §. 29. 30. 31. De viſitatione reciprocâ. §. 32.*

*De ſubdiviſione legatorum, ubi de Ambaſſadoribus & Reſidentibus eorumque differentiâ. §. 33. 34. de illis, qui dicuntur Envoyés. §. 35. De Agentibus. §. 36. De Plenipotentiariis §. 37. De Commiſſariis. § 38. De Conſulibus. §. 39. De Secretariis legationum. §. 40. qui ex his habeant repræſentativum qui non? §. 41. Qui ex repræſentantibus ſint primi vel ſecundi ordinis. §. 42.*

*An plures mitti poſſint legati. §. 43. 44. 45. 46. 47. An unus legatus pro diverſis principibus negotiari poſſit? §. 48. 49. De legato honorario §. 50. An fœmina illuſtris poſſit eſſe legatus? ubi de ambaſſadrice, §. 51. De legato obedientiæ. §. 52.*

*De Protectoribus. §. 53. 54. De Nunciis. §. 55. De Heroldis & Tubicinibus. §. 56.*

*De perſonâ legati. §. 57. & ejus nativitate. §. 58. ætate. §. 59. virtutibus. §. 60. ſtudiis. §. 61 62. Qualis princeps legatos mittere poſſit. §. 63. 64. 65. 66. Ad quem legatus mittendus ſit. §. 67.*

*De re, propter quam mittuntur. §. 68. de inſtructione. §. 69. De literis Credentialibus ſeu creditivo. §. 70. 71. 72. De Mandato §. 73. 74.*



Digitized by Google

*cum quo negotia ſuſcipere debeat. §. 75. De Tractatibus. §. 76. 77. 78. 79. 80. 81. De literis memorialibus. §. 82. De Conferentiis. §. 83. de audientiâ. §. 84. 85. 86. quâ linguâ legati in negotiis utantur. §. 87.*

*De origine legatorum. §. 88. 89. de neceſſitate legatorum. §. 90.*

*De inviolabilitate legatorum repræſentantium. §. 91. 92. de legatis nocentibus & innocentibus. §. 93. de legatis togatis & ſagatis. §. 94. de inviolabilitate legati innocentis togati. §. 95 legato violato offerenda eſt ſatisfactio. §. 96. de inviolabilitate legatorum innocentium ſagatorum. §. 97. 98. Quot modis legati noceant? §. 99. De legato, qui nocuit injuſſu principis, ubi de differentiâ criminis levis & atrocis. §. 100. 101. 102. de legato, qui nocuit ex juſſu principis. §. 103. ſi princeps aliquid commiſerit inſcio legato. §. 104. De legato, qui nocuit privato alicui. §. 105. De inviolabilitate legatorum non repræſentantium. §. 106 Domus & familia legati ſunt inviolabiles. §. 107. De inviolabilitate legatorum intuitu tertii. §. 108.*

*De admiſſione legatorum & ſalvo conducto. §. 109. Quando deſinat munus legationis. §. 110.*

## CAP. XXXI.

## De Officiis viventium erga mortuos.

*Jus ſepulturæ ex hypotheſi Grotii. §. 1. Platonis juſtitia triplex. §. 2. ejus uſus. §. 3. Quid faciendum cum hominibus, ſi mortui ſunt. §. 4. In quo conſiſtat officium viventium erga mortuos. §. 5. Quomodò cadaver ſit reponendum. §. 6. de jure ſepul-*

*ſepulturæ, & an demonſtrari poſſit ex jure naturæ. §. 7. 8. 9. confirmatio ſententiæ noſtræ per ſententiam alterius. §. 10.*

## CAP. XXXII.

## De Applicatione legum naturalium.

*APplicationis neceſſitas & utilitas. §. 1. Applicatio quid? §. 2. Deciditur controverſia, quomodo jus naturæ ſpectet ad ICtos. §. 3. Applicatio ſumitur vel pro operatione Intellectus vel Voluntatis. §. 4. Ad felicem operationem intellectus requiritur notitia legum naturalium. §. 5. duo requiſita ad adquirendam iſtam notitiam. §. 6. 7. De Circumſtantiis moralibus §. 8. De antecedentibus & conſequentibus. §. 9.*

*De Applicatione advocatorum & judicum. §. 10. De modo litigandi in ſtatu naturali. §. 11. 12. 13. 14. in ſtatu Reipublicæ. §. 15.*

*Applicatio pro operatione voluntatis. §. 16. homo cognitionem officii ſui haurit ex triplici fonte. §. 17. Convenientia juris naturæ cum jure poſitivo. §. 18. Nulla ſtatuenda eſt repugnantia inter hæc duō jura. §. 19. 20. 21. De jure humano. §. 22.*

*Duo ſunt modi, quibus ab obligatione juris naturæ quandoque ſolvimur. §. 23. Neceſſitas triplex. §. 24. Neceſſitas non habet legem. §. 25. Quomodò hæc regula applicanda. §. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Quæſtio quæ lex in concurſu duarum obligationum ſit implenda & quæ non. §. 32. 33. Quomodo fraus fiat legi? §. 34. 35. Admonitio ad praxin juris naturæ. §. 36.*

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google

# ERRATA.

PAg. 17. §. 36. lege. infantiæ. pag. 18. §. 46. quot. p. 27. §. 12. educationem. p. 28. §. 22. degunt. p. 45. §. 9. ciebunt. p. 49. §. 21. ſemel. p. 57. §. 2. omnino. pag. 59. lin. 2. diſpoſito. & §. 12 *quæſtiones* dele. pag. 61. §. 17. humanarum. p. 64. §. 12. defenſioni. p. 70. lin. 1. Societate. p. 75. §. 8 proprietatem. p. 78. lin. 2. damnum & §. 17. poteſtatis. pag. 81. §. 30. ipſæ ſe. p. 86. lin. 18. poſſesſoris & §. 51. adeptus ſum. p. 96 §. 18. præſumſit. p. 99. lin. ult. expedit. p. 106. §. 9. ea minatur p. 118. §. 17. tam phyſicam quàm moralem. p. 123. §. 3. vendicat. p. 132. §. 24. retrahere. p. 143. §. 49. dele *non*. p. 147. lin. 5. partim. p. 155. lin. 4. alendis. p. 159. lin. 14. quæ. p. 162. lin. 26. æqualitate. p. 168. lin. 9. proveniente. p. 169. lin. ult. fuit. p. 176. §. 15. manſiſſet. p, 185. §. 4. ademta. p. 198. §. 6. concilium. p. 219. lin. 1. nimirum. p. 231. §. 7. ſit. p. 232. §. 9. conferant. p. 238. §. 23. immanens pag. 249. §. 15. formas abſolutas. p. 271. §. 62. fontes. pag. 272. §. 66. dicuntur. p. 316. lin. penult. tota ea. p. 321. lin. 4. certum eſt. p. 331. §. 56. poſſint. p. 333. lin. 7. quamdiu & lin. ult. princeps. p. 337. §. 78. præterea. p. 340. lin. 1. perire.

Sic & Benevolus Lector pro dexteritate ſua §. 17. Cap. XVI. in Præfatione emendatum corriget.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

16. 41. 76. un. 55. nt/noo

Digitized by Google